


Acta eruditorum Lipsiensia, anno 1682 à 1776

Digitized by Google

9585

UNIVE NT

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
ANNO M DC LXXXV
publicata,

ac

SERENISSIMO FRATRUM PARI,

DN. JOHANNI
GEORGIO IV.
Electoratus Saxonici Hæredi,

&

DN. FRIDERICO
AUGUSTO,
Ducibus Saxoniæ &c. &c. &c.

PRINCIPIBUS JUVENTUTIS

dicata.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Potentiſſimi Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud J. GROSSIUM & J. F. GLEDITSCHIUM.

Typis CHRISTOPHORI GüNTHERI.

ANNO M DCLXXXV.

Digitized by Google

Digitized by Google

N. I.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Januariis Anno M DC LXXXV.

ספר חידושי אגדות על כל שיטת

התלמוד אף מה שהשמיט כעב״ל העין יעקב אשר איזן חקר
ותקן האלוף המרומם אשר שמונירע בשערים החכם השלם
הגאון נ׳ פה׳ כמה״ר שמואל אליעזר בן מה״ח יודא
סג״ל ש״י ר״מ אבד״קק אוסטרא :

hoc eſt:

NOVÆ EXPLANATIONES HISTORIarum toto Opere Talmudico comprehenſarum, earum quoque, quas Autor Libri Hen Jacob omiſit. Autore Excellentiſſimo ac celeberrimo Doctore, Lumine & Columine Iſraëlitarum, Rabbi Samuele Elieſare ben Juda, Antiſtite Levitico, Archi-Synagogo & Summo Moderatore Sanctæ Synagogæ Oſtravienſis.

Francofurti ad Mœnum in fol. anno תמג i. e. Chriſti M DC LXXXIII.

Non primum quidem hoc anno prodiit Opus ſatis ſplendidum Rabbini inter ſuos tot titulis clariſſimi, quippe ab Autore ipſo, quem ſuperſtitem adhuc & nonagenario ſuperiorem ferunt, pridem editum Cracoviæ, anno minoris ſupputationis CCCXCI. quem e literis initialibus nominis ſui præfationi ſubſcripti, ש״סואל אליעזר ב״ם אב״י מה״רר י״ודא ז״כרונו ל״ברכה eliciendum voluit, i. e. anno Chriſti M DCXXXI. Inde tamen ab eo tempore vix ulli Chriſtianorum innotuit, nec Buxtorfio, nec Plantavicio in Bibliothecis Rabbinicis memoratum, ut jam merito novum videri poſſit, ex quo innovandum

 ejus

ejus uſum nova editione judicavit Synagoga Francofurtana, moderatore Davide Tablan ben Iſaac. Præmiſerat anno ת״מ i. e. Chriſti M DC LXXX ejusdem Autoris חידושי הלכות *Novellas Halacharum*, ſive novas explanationes Conſtitutionum Talmudicarum, veluti priorem totius Operis Tomum, in quo omnes Rabbinorum Conſtitutiones, de quibus in Gemara Talmudica diſputatum fuit, ad examen revocantur; cui triennio poſt alter hic ſucceſſit, qui אגדות חידושי *Novellas Aggadarum*, ſive novas explanationes hiſtoriarum Talmudicarum comprehendit, quales ante ipſum nemo hac methodo tentaverat. Extant equidem libelli plures titulo חידושים *Novellarum Talmudicarum*, cujusmodi ſcripſere Rabbi Niſſim, Raſchba, Ramban, alii; ſed eorum ſinguli ſingulos tantum & particulares Titulos e Talmude excerptos novis meditationibus dilucidarunt, nec præter conſtitutiones quasdam legales quicquam aliud ſibi in iis propoſuerunt excutiendum. Hic vero *R. Samuel Elieſer ben Juda* integrum opus Talmudicum incredibili diligentia aggreſſus, plane uti Conſtitutiones *priori Tomo* expenderat, ita hoc altero (quo tamen æque ut illo peculiare opus abſolvitur) hiſtorias per univerſam Gemaram diffuſas, ordine, quo ſe non tantum Tituli Talmudici, ſed & in unoquoque narrationes iſtæ excipiunt, ad unam omnes illuſtrat, & quid de ſingulis vel obſervatum noverat ab aliis, vel proprio inveſtigarat ſtudio, exponit, id ubique dans operam, ut reconditus fabularum Talmudicarum ſenſus cuivis ad oculum pateat.

DISQUISITIONES CRITICÆ DE VARIIS per diverſa loca & tempora Bibliorum editionibus. Quibus accedunt Caſtigationes Theologi cujusdam Pariſienſis ad opuſculum Is. Voſſii de Oraculis Sibyllinis, & ejusdem reſponſionem ad objectiones nuperæ Criticæ Sacræ.

Londini, ap. Richard. Chisvvel, 1684. in 4.

Bipertitum opus, quale ipſa loquitur inſcriptio, in Gallia incerto parente, uti comparere vult, oriundum, in Anglia demum luci publi-

publicæ expoſuit *Robertus Deniſon*, qui & præfationem quaſi dedicatoriam ad quendam virum doctiſſimum novo inſcriptionis genere, quo nomen reticetur illius, cui munuſculum offertur, præmiſit. Haud obſcure vero in ea prodit, non unum utriusque libelli autorem eſſe, & disquiſitionum quidem *Richardum Simonem*, cujus Sacram Criticam Veteris Teſtamenti, & nos jam olim in Actis anni 1682. pag. 92. ſqq. recenſuimus, & ſuperiore anno deſcripta typis Oratione Inaugurali, cum a Profeſſione linguæ Hebrææ ad Theologiæ ordinariam in Academia noſtra tranſiret, juſto ſtudio accurataque cenſura excuſſit vir Maxime Reverendus, *Jo. Benedictus Carpzovius*; caſtigationum vero alium Doctorem Theologum & Canonicum Pariſienſem, qui illis hanc appendicem attexuerit, & utrumque ſibi libenti animo communicarit. Sumptas nempe ait Disquiſitiones iſtas e *Critica Sacra Veteris Teſtamenti*, quam Latino ſermone conceptam dudum meditatus fuerit Criticæ illius autor in publicum edere. Gallicam enim editionem, quæ in omnium manibus verſetur (a Natali Alberto de Versé translata,) Latinæ, quæ Solem non aſpexerit, tantum eſſe Compendium, quod linguæ ſuæ hominibus deſtinaſſet, qui ut paulo delicatiores ſunt, ita quæ longa, tanquam ſibi moleſta faſtidiant. Neque tamen poſtea opus integrum, quale primitus ſcripſerit, potuiſſe ab autore obtineri: has tantum disquiſitiones laudato Theologo Pariſienſi eum tradidiſſe, ut Biblico apparatui, quem meditabatur, insereret. Qua occaſione Theologos Pariſienſes ſimul laudat, apud quos non ita, ut olim, frigeat rei Criticæ ſtudium, quin ætate noſtra reperiantur inter illos viri eruditiſſimi, qui ſpretis Scholarum minutiis, & vanis ſubtilitatibus, artem illam feliciter tractent, linguasque Græcam & Hebraicam apprime calleant.

Cæterum prius illud *Disquiſitionum Criticarum* opus ſeptem & viginti capitibus interſtinctum eſt; Appendix vero *Caſtigationum ad Opuſculum Iſaaci Voſſii de Sibyllinis Oraculis, & Reſponſionem ad objectiones Criticæ Sacræ*, continua orationis ſerie profluit. Utrumque ſtrictim perluſtraſſe juvat.

Disquiſitionum *Capite I.* quod eſt de Bibliis in genere, nihil affert, quod non in vulgus jam notum ſit, niſi quod ad hypotheſin illam de Scribis publicis Hebræorum ſtabiliendam, libros hiſtoricos ideo *Prophetas* a Judæis dici contendit, quia tunc temporis illi apud Judæos

nominati ſint Prophetæ, quorum erat annales ætatis ſuæ deſcribere. *Cap. II. & III.* de Codicibus Bibliorum MSCtis agit, eosque in publicos, qui Synagogarum uſui inſerviant, & privatos, in hominum privatorum uſum exaratos diſpeſcit. Antiquos etiam diſtinguit a recentioribus, illosque non carere modo punctis, ſed & omni plane diſtinctione, utpote novo Grammaticorum invento, deſtitui pronunciat. Imo & inter privatorum Codices hoc obſervat diſcrimen, quod alii a Judæorum vulgo, alii ab eruditis, & in uſum Virorum Excellentium ſcripti ſint, quorum major, quam illorum autoritas; præterea Hiſpanicos Germanicis, Gallicis, & Italicis, uti ſimpliciores, ita & emendatiores eſſe, illos vero pueriles, qui Maſoram ad marginem variis figuris & imagunculis exprimant. Porro nullum ſupereſſe manu Eſræ exaratum, & plurimorum antiquitatem fingi, eaque occaſione de Codice Hilleliano, deque variis lectionibus Codicum MSCtorum, denique de duobus libellis Criticis *Scbethe Jadoth* & *Minchath Coben* diſſerit. *Cap. IV. V. VI. VII. & IIX.* exemplaria Bibliorum typis edita in examen trahit, & illa omnia *Maſorethica* vocat, inque iis admirari vetat tantum ubique conſenſum, quoniam Judæi opus Maſorethicum veluti divinum quid amplexi, MCStos Codices inde a quingentis annis ad illud reformarint, & hinc nata ſit mira illa inter Codices Bibliorum editos concordia. Huc delatus de Maſora agit ex inſtituto; quæcunque tamen affert, trita ſunt & proletaria omnia, tantum eo inflexa, ut hypotheſi de fontium corruptione ſerviant. Quare & in Ariam Montanum & Buxtorfium, Hebræi Codicis ſinceritatem ex Maſora defendentes, invehitur. Antiquitatem Maſoræ a nonnullis Chriſtianis celebratam inter nugas & Judæorum febricitantium deliramenta numerat, cum ea longe poſt Græcos Interpretes & Hieronymum ſcripta ſit. Primos autores Magiſtros Tiberienſes, horumque primam curam punctorum vocalium & accentuum inventionem facit. Negat, Maſoretharum opera textum Hebræum a mendis immunem; negat, Maſoram recte ſepimentum legis dici; negat, diſtinctionem in verſus ante Maſorethas extitiſſe, & aliam laudat, quæ fuerit in ϛίχοις. Multa a Maſorethis inter diverſas lectiones inutiliter, multa ſuperſtitioſe annotata, ope MSCti Hiſpanici ante D annos exarati, probare nititur. Producit variarum lectionum exempla aliquot e Codicibus MSCtis, quæ a Maſorethicis lectionibus diſſideant.

deant. Suadet ut loca ſacri contextus, quæ manca eſſe vel corrupta antecedentium & conſequentium ratio demonſtret, veterum interpretum auxilio reſtituantur, cum in pauciſſimis Codices MSCti venire poſſint in ſubſidium. Errores enim antiquiſſimos eſſe, libros autem manu exaratos recentioris ævi, & ad Maſoræ caſtigationem reformatos. Denique exagitat ætatis noſtræ Maſoricolas,quos vocat, qui in retinenda Maſora adeo tenaces ſint, ut ipſis contextus Hebraicus,qualis hodie eſt,idem plane videatur,atque Prophetarum temporibus fuit ; & tandem ſelectiores Hebraicorum Bibliorum editiones commemorat. *Cap. IX.* quæſtionem, utrum Judæi dedita opera Codices ſuos corruperint? diligentius ventilat, & recte negat contra Leonem Caſtrium & Joannem Morinum, atque ad autoritates Patrum,idem Judæis crimen impingentium,reſpondet, locutos eſſe de prava Scripturæ interpretatione, non ipſo textu. Quam ad rem Juſtini Martyris, Irenæi, Tertulliani, Origenis,Hieronymi, dicta cujusque ſingula expendit,ſimulque de Origene & Hieronymo multa tradit notatu non indigna, poſtquam generatim monuiſſet, non eſſe in hoc negotio ſtandum Patrum decretis, quorum autoritas multum quidem in fidei rebus valeat, ſed in re Critica tum demum æſtimanda, quando cum veritate concordet. Ejusdem quæſtionis negativam *Cap. X.* contra Iſaacum Voſſium vindicat,qui palam Judæos falſitatis accuſat, quod multa in ſuis Codicibus, ex Chriſtianæ religionis odio de induſtria, poſt Chriſti adventum, & exuſta Hieroſolyma, expunxiſſent, eosque, qui Judæorum cauſam agunt, acriter ſuggillat, *aſellos* vocans *caſſos lumine & intellectu, toga cinctos Profeſſoria,pro clypeo geſtantes Biblia Maſorethica cum omnibus ſuis punctis.* Quem tamen dum caſtigat, non ideo vult in multis vitiatos negandum eſſe, quorum ſcilicet eadem omnino ſors fuerit, atque Græcorum Latinorumque librorum. *Cap. XI.* ad Samaritarum codices progreditur, quos ſolo uti Pentateucho docet,oſtenditque,Samariticos æque eſſe genuinos ac Judaicos, licet in nonnullis ab invicem diſcrepent ; & quamvis ſuos quoque nævos habeant, præſtare tamen ſcribit Judaicis, tum quod multa in hos ſuperſtitioſe invecta, in illis deſiderentur, cujus generis ſint literæ majuſculæ, minuſculæ, ſuſpenſæ, inverſæ,& ſimiles, deinde dictiones lectæ & non ſcriptæ, & alia ; tum quod Samaritæ antiquos Hebraicæ Linguæ characteres,

(quos

Digitized by Google

(quos vocant Moſaicos,) retinuerint, Judæi vero poſt ſuum e Babylonia egreſſum Babylonios ſive Chaldaicos, quibus aſſueti erant, ad ſcribendos ſuos Codices uſurparint. Sic bona digreſſio ad quæſtionem de primis ac genuinis Hebræorum literis, in cujus deciſione ipſe pro Samaritarum characteribus pugnat. Qua expedita ad Samaritarum paraphraſes pergit, quas patrio ſermone concinnarint, ſtatim atque ſermo Hebræus deſiit eſſe vernaculus. Libros enim Scripturæ Sacræ primum lingua ab omnibus intellecta ſcriptos, contra D. Mallet, Theologum Pariſienſem, diſputat, ut etiam a plebejis hominibus legi potuerint. Hinc antiquata Hebræa lingua apud Samaritas, ortam primo verſionem Syro-Chaldaicam, quæ in Polyglottis Pariſienſibus & Anglicanis habetur; deinde & Arabicam pro iis, qui Arabice loquebantur. *Cap. XII.* de Bibliis Sadducæorum & Karræorum agit, quos negat eosdem eſſe cum Samaritis, neq; ſolum Pentateuchum, ſed univerſam Scripturam recipere ait. Nulla poſt Hieroſolymorum everſionem ſupereſſe Sadducæorum veſtigia; Karræos vero ſeculo X ortos non omnino Talmudem & traditiones rejicere, ſed illas tantum Sacris Codicibus non æquiparare, contra Buxtorfium affirmat, eaque occaſione de Karræorum Theologia, deque celebri Karræo, Aarone ben Joſeph diſſerit. *Cap. XIII.* ad Judæos redit, & de eorum Paraphraſibus Chaldaicis non niſi vulgaria, eademque maximam partem ex Elia Levita tradit. Gloriatur inter alia, ſe forte incidiſſe in Pentateuchum, charta maxima in pergameno prægrandioribus literis deſcriptum, qui Onkeloſi paraphraſin hoc modo exhibeat, ut quemlibet contextus Biblici verſum excipiat comma paraphraſeos. In eo autem exemplari punctationem Chaldaicam a qualibet alia, quam hactenus deprehendere licuerit, tam in editis, quam in MSCtis Codicibus, mire diſcrepare, & analogiam punctationis librorum Eſræ & Danielis repræſentare longe melius, quam Buxtorfianam editionem. *Cap. XIV.* reliquarum verſionum Judaicarum hiſtoriam texit, utpote Arabicæ R. Saadiæ, Perſicæ Jacobi Tavaſi, Græcæ, Hiſpanicæ geminæ, quas literis Hebraicis omnes Conſtantinopoli emiſerunt, præter unam Hiſpanicam Ferraræ hoc & ſuperiori ſeculo editam, & ex Pagnini tranſlatione confectam. *Cap. XV. & XVI.* de Græca Septuaginta Interpretum verſione diſquirit, & expoſita de Ariſteæ libello ſententia ſua, rationem nominis, cur LXX. dicatur, tantum in formula loquendi quo-

quærendam judicat, Judæis admodum familiari, qua res omnes, quæ alicujus momenti ipſis videntur, LXX Senioribus tribuunt, ut plus iis accedat autoritatis. Plurimi illam faciendam eſſe, non tamen ideo Hebraicis Codicibus præferendam contendit; exceptam quoque ait a Judæis olim cum gaudio, ſed poſtea ob diſputationes cum Chriſtianis rejectam. Concertationes Virorum doctorum *de Lingua Helleniſtica* exſibilat, quia lingua, quæ Helleniſtica vocatur, non ſit alia, quam Græca, quæ in ore Judæorum aliquid linguæ Hebraicæ & Syriacæ retinuit; id quod non ſolum in lingua Græca reperire ſit, ſed & in aliis omnibus linguis, quas Judæi in Scripturæ Sacræ verſione adhibuerint. Ita verſiones Arabicas, Hiſpanicas, Perſicas, vix ab Arabibus, ab Hiſpanis, & a Perſis intelligi poſſe, niſi linguam Hebraicam calleant. Merito *ſermonem Synagogæ* appellandum, quia & in Synagogis natus ſit, & earum uſui ſerviverit. His præmiſſis, toto *Cap. XVII.* cum Iſaaco Voſſio congreditur, qui elevatis Hebræorum codicibus Græca LXX Seniorum exemplaria omnibus aliis anteponit, ipſosque hos Interpretes laudat Spiritu S. afflatos. *Cap. XIIX.* cæteras translationes Græcas, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis, & alias Origenis Hexaplis inſertas commemorat, ipſaque hæc Hexapla luculentius deſcribit, ac denuo Iſaaci Voſſii de Hexaplorum diſpoſitione opinionem refellit. *Cap. XIX. & XX.* translationes veteres excutit, quæ in gratiam Occidentalis Eccleſiæ factæ ſunt, quarum omnium antiquiſſima, & quæ ab Apoſtolorum fere temporibus usque ad Hieronymi ætatem obtinuerit, Itala vocatur, ab aliis Vulgata & communis, ſumpta ex Græca LXX Interpretum verſione, circa quam eundem laborem in hominum ſuæ linguæ uſum exantlavit Hieronymus, quem Origenes ante eum circa Græcam. Cæterum cum novam Hieronymi translationem ex Hebraica veritate factam deſcripſiſſet, autoritatem ejus, quæ hodie vulgata dicitur, explicat, maxime quo ſenſu authentica laudetur a Tridentinis; ubi imprudentem Theologorum quorundam Hiſpanorum zelum redarguit. Ex Occidente migrat in Orientem, & *Cap. XXI.* Orientalis Eccleſiæ verſiones recenſet, quas omnes judicat e Græca LXX prognatas, excepta Syriaca; Arabicas pleraſque recentiores, & minoris autoritatis; melioris notæ Copticam & Æthiopicam; Perſicam nullius momenti, uti & Armenicam, Moſcoviticam & ſimiles. *Cap. XXII. & XXIII.* de

Latinis recentioribus verſionibus agit, & in *illo* quidem de iis, quas Theologi Catholici cuderunt, Franciſcus Ximenius, Santes Pagninus, Arias Montanus, Cajetanus, Thomas Malvenda, Iſidorus Clarius, Vatablus; in *hoc* vero de Proteſtantium labore, Sebaſtiani Münſteri, Leonis Judæ, Sebaſtiani Caſtalionis, Junii & Tremellii, Lucæ Oſiandri, hujusque filii Andreæ, (quorum Oſiandrorum interpretandi methodum laudat,) denique Joannis Cocceji. Pari modo judicium fert de verſionibus Bibliorum in lingua vernacula, ita quidem, ut *Cap. XXIV*, præmiſſa quæſtione de Bibliis in ſermonem vernaculum vertendis, quam affirmat, Italas, Gallicas, Germanicas, Polonicas, Anglicas, Hiſpanicas, Gothicas, &c. *Cap. XXV.* Proteſtantium, Lutheri Germanicam (quam miris modis exagitat) Calvinianorum Tigurinam, Piſcatoris, Belgicam, Anglicam; *Cap. XXVI.* Gallicas Genevenſium nonnullas commemoret. *Cap. XXVII*, quod *ultimum* eſt, finem disquiſitionibus imponit hiſtoria Bibliorum Polyglotton, tum Conſtantinopolitanorum a Judæis editorum, tum Complutenſium, tum Antwerpienſium, tum Pariſienſium, tum Anglicanorum; & quid in ſingulis deſideret, ſimul animadvertit. Hæc ſumma *Diſquiſitionum*.

Caſtigationes quod attinet, videtur eas ſub alterius nomine idem ſcripſiſſe *Simonius*; ſit tamen alius, qui fingitur, Theologus quidam Doctor & Canonicus Pariſienſis earum autor, certe ad Simonii mentem ſcripſit omnia. Initio aliquot errores, quos tum in epiſtola opuſculo de Sibyllinis oraculis præmiſſa, tum in ipſo opuſculo commiſit Iſaacus Voſſius, advertit, quales ſunt falſatio loci apud Hieronymum in traditionibus Hebraicis; invectiva in viros Hebraice doctos paulo acerbior; conjectura de nomine *Hegira* Arabicæ, quaſi ductum fuerit ex Hebræo חגר *bagger, proſelytus*; relatio librorum Sibyllinorum inter Apocryphos Biblicos; figmentum novorum Prophetarum veteribus oculatiorum, novique librorum Scripturæ Sacræ ordinis hactenus inauditi, & ſimiles errores alii, quorum omnium palmarius eſt aſſertio autoritatis LXX Interpretum. Quam cum in Critica Sacra infra autoritatem Hebræi Codicis collocaſſet Simonius, & vero Voſſius adverſus illum vindicaſſet, reſponſionum Voſſianarum momenta hic cumprimis autor ponderat & retundit, ubi quidem paſſim Simonio multa queritur maligne affingi. Maxime vero amoliri a Simonio

Simonio invidiam laborat, quam conciliare illi Voſſius conatus ſit, dum eum parem fecerit Spinoſæ Judæo in iis, quæ habet de incertitudine Scriptorum Veteris Teſtamenti. Quam ejus hypotheſin quoniam & alii Viri eruditi damnarant, ipſamque ideo Criticam illius Sacram poſtularant hæreſeos, quod feciſſe quendam nuperum Scriptorem ex ordine Seraphicorum, zelo pluſquam Seraphico accenſum, in Disquiſitionibus Biblicis, ſtomachatur; rem omnem ſibi ab ovo repetendam ratus, quicquid Simonius ſcripſerat de publicis gentis Hebraicæ Notariis, quos Prophetas vocat, & non ſolum res ſuis temporibus geſtas chartæ commendaſſe, ſed & ea, quæ a prioribus Prophetis ſcripta fuerint ſervataque in ſcriniis publicis, recognoviſſe putat, ſtrictim atque ex inſtituto perſequitur, ſingulos libros Veteris Teſtamenti in hunc finem ordine expendens. Cæterum immiſcet paſſim, quæ obſervatione non prorſus indigna ſunt. Defendit Ligthfootum, qui e Talmude Evangelia expoſuit, & minus peccaſſe Voſſio videbatur, ſi ex Alcorano expoſuiſſet, *p. 230*. Refutat Huetium, & alios, qui duplex apud Hebræos Hagiographorum genus commenti ſunt, & famoſam illam Bath Kol, quam alterum Hagiographorum genus conſtituere volunt, inter otioſorum hominum ſomnia numerat, *p. 235*. Diſtinguit inter res religionis, quæ ad doctrinam, & quæ ad diſciplinam pertinent, quarum illæ non poſſint traditione non ſcripta propagari, hæ poſſint, *p. 246*. Laudat Simonium, qui nec a Græcis LXX interpretibus cum Voſſio, nec a vulgata cum pleriſque Romanæ Eccleſiæ Theologis, nec a Judæis cum Proteſtantium fœtu pendeat, ſed nullius Magiſtri legibus addictus ſit, *p. 248*. Arguit Doctores illos Judæis ipſis ineptiores, qui fabularum monſtra veluti literaliter accepta Rabbinis exprobrant, cum ipſi fabularum architecti eas non niſi allegorice capiendas velint, *p. 255*. Inprimis vero commemorandum illud eſt, quod *p. 241*. Morinum prodit e Capelli Critica Sacra prius, quam ederetur, multa expungi curaviſſe, quæ ad ipſius palatum non fuerint.

HISTOIRE DE FRANCOIS I PAR LE SIEUR de Varillas, a laquelle eſt jointe la comparaiſon de François I avec Charles Quint par le meme Auteur.

i. e.

Hiſtoria Franciſci I autore Dn. de Varillas, cui acceſsit comparatio Franciſci I cum Carolo Quinto, ejusdem autoris.

Tom. 1. & 2.

Hagæ Comitum, apud Arnoldum Leers, 1684 in 12.

NOn pœnitet nos elogii, quod in Actis menſis Junii ſuperioris anni p. 273. *V. Cl. Varillaſio*, dum hiſtoriam ejus de Carolo IX. recenſeremus, tribuimus: nec de æqui Lectoris conſenſu dubitare poſſumus, qui alterum hunc inſignis ingenii fœtum conſideraverit. Quamvis enim res a Franciſco I Galliarum Rege geſtæ, tot ſcriptoribus memoratæ ſint, ut actum agere videri poſſint, qui easdem repetere inſtituerint: reperit tamen Autor, quibus faſtidium legentibus demat. Eruit ex Actis, quæ aliis forte non fuere communicata, novitate ſua placentia, & quæ eam ſpirant libertatem, de virtutibus & vitiis Principum & miniſtrorum judicandi, ut quam in hiſtoria Carolina laudavimus, ingenuitatem Viri mirifice oſtendant. An ea de cauſa, & ne cenſuræ rigorem experiretur candor ſuus, apud Batavos librum, quem Lutetiæ imprimi maluerit, aut annon inſcio potius ac invito Auctore editum hoc opus fuerit, non ſatis nobis compertum eſt, ſicut nec rationem reddere poſſumus, cur Franciſci, quam in titulo indicat, hiſtoriam tantum ad annum 1543 perduxerit, cum Rex hic usque ad finem Martii menſis anni 1547 vixerit, poſtremique ejus anni magnis eventis non caruerint. Diſſertatio etiam de Manuſcriptorum, quibus uſus eſt, autoribus, qualem Caroli IX hiſtoriæ, & vitæ *Guilielmi Cevrii* (de qua proxime agemus) præmiſit, hic non invenitur, præfante Typographo, quod nihil tale ad ſe pervenerit. Sed ferri poſſet hæc jactura, dummodo major in exſcribendo diligentia adhibita fuiſſet. Dici enim vix poteſt, quot mendis typographicis totus liber ſcateat, præſertim in nominibus hominum & locorum,

corum, ut omnino ſecunda cum opus ſit, ſi lectores non peritiſſimi erroris periculo liberandi ſint; nequaquam enim ſufficiunt ad emendationem paucula, quæ in fine *Tomi II.* conſignata habentur. Cæterum hiſtoriam ipſam per compendium enarrare ſuperſedemus, cum geſta Franciſci, ut diximus, plurimorum & egregiorum Autorum veterum & recentium labore, omnibus fere linguis deſcripta, in manibus plerorumque vel mediocri librorum ſuppellectile inſtructorum verſentur. Operoſum vero fuiſſet & ſupra inſtitutum noſtrum, ſi quæ diverſa ab aliis, & a celeberrimo inprimis *Vitarum regiarum* ſcriptore *Dn. de Mezeray*, tradidit Varillaſius, annotare & conferre voluiſſemus. Alliciet tamen & contentum lectorem dimittet, de qua ſpondere poſſumus, plurimarum rerum vel noviter erutarum, vel magna cum jucunditate & candida epicriſi relatarum gratia; præterquam quot tot tamque illuſtribus eventibus tempora Franciſci inſignita ſunt, ut ſine tædio multoties narrari & audiri poſſint. Quem enim non moveat aut delectet, tot bellorum, tot fœderum & pactorum, tot caſuum in aulis ſummorum Principum, magnitudo & varietas? Deſcribuntur hic Gallorum in Mediolanenſem Ducatum per invia Alpium improviſa irruptio: Italorum clades: fortiſſima Franciſci Regis cum Helvetiis ad Marignanum pugna: tractatus cum Pontifice, ſive *Concordata*, per quæ ſublatis electionibus, fruſtra obnitente clero & ſenatu regni, jus nominandi Epiſcopos ad Regem, pecunia ex reditibus Eccleſiaſticis ingens ad Pontificem pervenit, & *Pragmatica*, quam vocabant, *Sanctionis*, tanto tempore & labore obtentæ, vincula ſoluta fuerunt. Hic accurate expoſita leguntur Caroli Borbonii defectio, Regiæ fœminæ, ob ſpretum amorem offenſæ, furore procurata, Regi & regno, & autori denique ipſi funeſta: hic captus amiſſo ad Ticinum exercitu, & duris conditionibꝰ liberatus Franciſcus: hic Roma expugnata: hic Imperatoris, Regum, Pontificum congreſſus; pacta & diſſoluta matrimonia: hic apertæ inter illos criminationes, inde ſæviſſima bella, obſidiones, prælia terra marique conſerta, occiſi legati, jus omne ſacrum & profanum non ſemel violatum, paces infidæ: hic miniſtrorum fraudes, fortunæ, caſus: hic clariſſimorum belli ducum ex omnibus nationibus geſta, aut neglecta: hic aularum ſimultates & ſophiſmata; fœminarum in aulis laſcivia, potentia & factiones: hic luxus regius, fides ſubleſta, & infinita alia, quæ &

B 3 oble-

Digitized by Google

oblectant & inſtruunt. Parallelismus denique ſive comparatio inter Carolum & Franciſcum ſub finem *Tom. II.* ad *Ariſtotelis* & *Plutarchi* monita & normam inſtituta, digna ſane Autoris ingenio nemini non videbitur, & inſigne exemplum imitaturis præſtare poteſt.

LA PRATIQUE DE L' EDUCATION DES Princes, contenant l' hiſtoire de Guillaume de Croy, Surnommé le Sage, Seigneur de Chievres, Gouverneur de Charles d' Autriche, qui fut Empereur Cinquieme du Nom. Par Monſieur Varillas.

i. e.

Praxis educationis Principum, continens hiſtoriam Guilielmi Croyi, Dynaſtæ Cevrii, cognomento Sapientis, Caroli Auſtriaci, qui poſtea Imperator hoc nomine Quintus fuit, Educatoris. Autore Dn. de Varillas.

Pariſiis apud Cl. Barbin, in 4. & Amſtelodami, apud Wetſtein, in 12. 1684.

SAtisfecit etiam in hoc tractatu, ſi quid judicamus, clariſſimus autor, Antonius Varillaſius, Hiſtoriographus Gallicus, (ita enim epiſtolam ad Regem ſubſcripſit(ſpei ex aliis ejus ſcriptis conceptæ. Tot ſane res memorabiles in librum non magnum congeſſit, eoque ſtylo & judicio, ut non poſſit non ſumma cum voluptate legi. In *Dedicatoria,* Chriſtianiſſimi Regis virtutes & geſta, cum actis aliorum Principum, ex familia Burgundica potiſſimum, eleganter & acute collata, omnibus præferuntur. Sequitur *diſſertatio* de genio & moribus illorum, ex quorum manuſcriptis hiſtoriam hanc compilaſſe ſe dicit, *Maximiliani* nempe & *Caroli* V Imperatorum: *Ludovici* XII Galliæ, *Ferdinandi* Arragoniæ, *Henrici* VIII Angliæ Regum: Pontificum *Julii II, Leonis* X, *Adriani* VI: tum Cardinalium *Georgii Amboiſii, Franciſci Ximenii,* & denique callidiſſimi miniſtri Regum Hiſpanorum *Johannis Manuelis.* Periodus temporis verſatur inter annum 1506, quo Cevrius pueritiæ Caroli formandæ præpoſitus fuit, & annum 1521, quo deceſſit. Diſtributa eſt hiſtoria in libros ſex. In primo de illuſtriſſima gente

Croyo-

Croya, ejuſque fatis ſub Burgundis ex Gallica ſtirpe Principibus, quædam præmittuntur, donec ad *Guilielmum*, de quo agitur, pervenitur. Hic natus eſt, ut refertur, *Philippo* patre, anno 1458. Eximia fuit corporis ſpecie, ingenio vaſto, judicio ſublimi, quo ſupplebat, quæ alii ſtudio literarum acquirunt. Mente erat generoſa, quæ virtutem & merita ſuper omnia æſtimaret, & quæ omnia ad decus & honeſtatem, nihil ad ſordidam utilitatem referret: in ferendis temperandisque incommodis prudentiſſimus; in judicandis hominum ingeniis, & cum fructu ad munia, quibus paria eſſent, applicandis, ſagaciſſimus. Adoleſcens militia, quæ tunc ſola Nobilitatis ſchola erat, ſe exercuit, & quidem ſub Galliæ Regibus *Carolo* VIII & *Ludovico* XII, in Italia bellantibus. Dein in patria Hannonia quiete viventem *Philippus Auſtriacus*, Maximiliani Imp. filius, materno jure Belgis imperans, in aulam adſcivit, & tanti fecit, ut in Hiſpaniam ad dotalium regnorum poſſeſſionem profecturus, Belgio regendo eum præpoſuerit, quo munere egregie functus eſt. Prærepti propera morte Philippi relicto filio primogenito *Carolo*, annos tantum ſex nato, hic ipſe *Cevrius* educator datus eſt, & quidem ex *Ludovici* XII optimi & juſtiſſimi Galliæ Regis arbitrio, cui id Philippus teſtamento condito detulerat, cauſas habens, cur neque patri Imperatori, nec ſocero Arragonio impuberis filii curam concederet. Sed diverſa narrant *Sandovallius* & alii ſcriptores Hiſpani, quos autor refutat. Primus labor Cevrii fuiſſe dicitur, ut ingenium alumni, ad tot regnorum & provinciarum imperium nati, intime cognoſceret. Id ex virtutibus vitiisque mixtum accurate deſcribit Autor, ab aliis ſcriptoribus haud multum diſſentiens. Ad literarum ſtudiis imbuendum Carolum, delectus eſt a Cevrio celebris ille tunc Lovanienſium doctor *Adrianus*, qui poſtmodum Pontificatum Maximum ad breve tempus tenuit. Ipſe vero Cevrius hanc ſibi operam regio puero præſtandam ſumſit, ut eum in hiſtoria, tum generali, tum maxime patria, diligentiſſime inſtrueret, propoſitis omnibus, qui extabant, autoribus, ea qua quisque ſcripſerat lingua. Inde obſervanda commendavit, quæ utilia aut noxia a majoribus geſta erant, quidque imitandum vitandumve eſſet, pro ſtatu provinciarum, quibus Carolus imperaturus olim erat. Non caruit difficultate hæc informatio, non quod non capaciſſimum eſſet Caroli ingenium, ſed quod adeo vagum & inquietum erat, ut vix uno momen-

Digitized by Google

mento intentum alicui rei eſſe poſſet. Incredibile pene eſt, quod narratur, aliis tamen æque memoratum, quod circa Carolum puerum, cum effigies ejus maximiliani avi juſſu accurate pingi juberetur, quatuor gladios diſponi fecerit Cevrius,ut metu,ne in eos corpus impingeret,tantillo tempore quietus ſederet. Factum tamen,ut in lingua Latina non multum proficeret, vel ingenii talis culpa, vel quod Cevrius perfectam Latinitatis cognitionem, & ſcribendi loquendique peritiam, ad ſolidam regiæ ſcientiæ vim parum facere exiſtimaret. Sed in rebus ad regnorum ſtatum pertinentibus, & in Genealogia illuſtrium familiarum, nihil ignorare eum paſſus eſt, & ita informatum in tenera hac ætate, quæ aliis per delectamenta puerilia tranſigi conſuevit, ad ſeria applicuit. Introduxit enim Carolum in ſenatum Belgarum; legenda ei & referenda dedit, quæ maximi erant momenti; ſententiam primum rogavit; errantem correxit, recte ſentientem non laudavit tantum, ſed & firmavit, exactis, cur ita ſentiret, rationibus, & objectis quæ refelleret. Legati non audiebantur,niſi præſente Carolo, & ut poſtmodum ipſe illorum poſtulata in conſenſu ſenatorum referret. Reſpondiſſe fertur Cevrius, cum illuſtris quidam Gallus a Rege miſſus, inſtitutum hoc, adhibendi tam mature ad graviſſima negotia pueri, familiariter reprehenderet, ſibi curæ eſſe,ita inſtruere Carolum,ut Tutore carere poſſet: niſi enim in prima ætate rerum ſuarum notitiam ſibi adquirerent Principes, adultos tædio laboris & voluptatum illecebris corrumpi, ut nihil aut parum præſtent, & totâ vita ſub aliena teneantur poteſtate. Inter alia, quæ laudari merentur, Cevrii conſilia, hoc quoque memoratur, quod ſerio caverit, ne inter Galliæ Reges, & Belgarum Principes bellorum cauſæ foverentur. Cum igitur arcta amicitia cum *Arturo Gouſſierio Boiſſiaco, Franciſci Valeſii*, qui Ludovico in regno Galliæ ſucceſſit, educatore jungeretur, & hic eodem pacis inter utramque gentem, tam vicinam & multiplici nexu conjunctam, ſervandæ ſtudio teneretur, creditum eſt, funeſta illa inter Carolum & Franciſcum bella non fuiſſe eruptura, ſi utrique miniſtro vita duraſſet, *Libro II.* Ad prudenter a Cevrio geſta ſpectant, quæ de *Joh. Manuelis* fuga ex Hiſpania, ubi Ferdinando, quem Catholicum vocant, Caroli avo, a ſecretis fuerat, recenſentur. Hunc tuendum ſuſcepit Cevrius,ita tamen, ut honeſtæ cuſtodiæ virum,peritiſſimum quidem, ſed præfervi-

dum

dum, eo potiſſimum fine includeret, ne vi vel aſtu vitæ periculum ei ſtrueretur, vel ipſe præcipiti feſtinatione ſibi accerſeret: hac tamen cautione offenſus *Manuel* malam ſervatori gratiam poſtea retuliſſe dicitur, æmulis ejus accedens. Haud minus provide factum habetur, quod Cardinali Ximenio, Archiepiſcopo Toletano, patrocinium præſtitit. Is ex infima ſorte & Franciſcano cucullo, ad ſummas dignitates, maximam in aula potentiam, & opes regiis fere majores, in Hiſpania aſcenderat. Sed eum non tantum Nobilitas omnis, cujus licentiam variis modis refrænabat, immani odio perſecuta eſt, ſed & ipſe Ferdinandus Rex tandem deſeruit, & ſubvertebat, niſi Cevrio ſuadente, Carolus labenti ſubveniſſet. Sed tantam ſibi ob hoc invidiam, (ut Libro III narratur,) apud Ferdinandum, & hujus inſtinctu, apud generum ejus Henricum VIII Angliæ Regem conflavit Cevrius, offenſo etiam *Adriano*, qui tunc in Hiſpania res Caroli curabat, ut non niſi rara Principis alumni conſtantia locum ſuum tenuerit. Vix tamen vitæ periculum evitavit, veneno per inimicorum dolum tentatus. Sed detectis licet ſceleris autoribus & miniſtris, tanta egit moderatione, ut & famæ eorum parceret, & Carolum a vindicando flagitio dehortaretur. Fructus compoſiti animi ſolidæque prudentiæ ad Principem multiplex pervenit, is præcipue, ut Ferdinandus a propoſito eum Hiſpaniæ regnis arcendi, & fratrem juniorem Ferdinandum, (poſtea Cæſarem,) a ſe in Hiſpania educatum, præferendi, in fine vitæ abſiſteret, miniſtris quibusdam obtemperans, qui teſtamentum Regium jam in eum finem conditum, abolendum, & conſtituto Ximenio, inviſiſſimo licet, gubernatore, regnum abſenti Carolo ſervandum ſuaſerant. Magna etiam induſtria (Lib. IV.) id effecit Cevrius, ut mortuo Ferdinando, viva licet filia *Johanna*, regnorum hærede, & non obſtante qua laborabat dementia, dominatum non invitis Hiſpanis affectante, nepos Carolus regium titulum & jus, Pontificis & Maximiliani Imp. conſenſu, operaque Ximenii, obtinuerit, & quod majoris ſolertiæ erat, cum Gouffierio, (quem diximus,) a Rege Franciſco miſſo, ita convenerit *Novioduni*, ne Carolo in capeſſendo Hiſpaniæ imperio ullam, ut tunc facile poterat, remoram injiceret. Tumultuantes vero proceres Hiſpanos, probato Ximenii conſilio, compeſcuit, armatis nova lege urbium & pagorum Hiſpaniæ incolis, quibus ad id usque tempus armorum uſus interdi-

ctus,ſolique Nobilitati, a cujus majoribus Mauri ſubacti fuerant,conceſſus erat. Civilis etiam animi indicium dedit, dum autor fuit, ut cum Americanis populis, quos duriſſima ſervitute Hiſpani premebant, mitius ageretur, & in metalli fodinas, coemta potius vili pretio ex Africa mancipia, laborem facilius tolerantia, quam indigenæ cogerentur, qui paucos intra dies emori in illis ſolebant. Sed conatus hic illo tempore ſucceſſu deſtitutus fuit. *Libro V* duo alia inſignia Cevrii conſilia exponuntur, quibus Caroli poteſtas & autoritas in Hiſpania & Germania conſtabilita fuit, remoto licet a ſumma rerum & mox mortuo Ximenio. Amolitus enim eſt Cevrius ex Hiſpania Ferdinandum Caroli fratrem, cujus evehendi ad regnum cupidine pars nobilitatis & populi maxima flagrabat, & Maximilianum Imperatorem induxit, ut Imperatorium axioma, morti jam vicinus, Carolo potius, quam (ut hucusque annixus erat,) *Ferdinando* ſecundo genito ex nepotibus procuraret. Infeliciter autem ceſſit Cevrio, quod blandimentis procerum quorundam obſecutus, paſſus eſt fratris ſui filium, ſibi cognominem, & e baptiſmate ſuſceptum, *Guilielmum Croyum*, annorum novendecim adoleſcentem, Carolo quidem, cum quo educatus fuerat, longe chariſſimum, & jam Cameracenſi præſulatu mactatum, ad Archiepiſcopatum Toletanum, ſummæ dignationis & opulentiæ in Hiſpania ſacerdotium evehi: factum inde, & Belgarum, qui gratia apud Carolum valebant, in adipiſcendis vel vendendis in Hiſpania ejusmodi muneribus ambitione & ſordibus, ut Cevrio miniſtrorum omnium primario, odium gentis Hiſpanæ fere univerſale incumberet. Ea tamen illi fuit Hiſpanicarum rerum notitia, ex diligenti Actorum lectione comparata, eaque agendi dexteritas, ut ſuperatis omnibus difficultatibus, proceres Regnorum, cum civitatibus, in Caroli fidem adigeret, & quas ad infirmanda regia jura poſtulaverant conditiones, dextre elideret. Inde ad Imperatoriam dignitatem Carolo aſſerendam, viam invenit pecuniam a Rege Luſitaniæ conquirendi, & *Erardum Marcanum*, Epiſcopum Leodienſem, & *Franciſcum Sickingium*, potentem ex nobilitate in tractu Rheni virum, a Gallorum partibus ſeparandi, quorum opera Electores iſtius regionis ad ſuffragia pro Carolo ferenda permoti fuiſſe dicuntur. Sed (Lib. VI) in ſummum diſcrimen adducta eſt Cevrii autoritas, cum mortuo *Gouffierio*, ad ſimultatem & bella inter Carolum & Galliæ Regem omnia ſpectarent,

ſtarent, & tota fere Hiſpania in apertam rebellionem erumperet. Prætextum Hiſpani ſumſerant a Belgarum, quorum conſiliis Carolus utebatur, rapacitate, & ut matri Caroli, parum benigne habitæ, regni gubernationem reſtituerent; vehementiſſimo inter alios motuum incentore *Epiſcopo Zamorenſi*, Burgenſis Epiſcopi ex nobili *Acunniorum* familia notho, homine, ut deſcribitur, nequiſſimo, qui presbyteris triginta aut pluribus ſui ſimilibus comitatus, divina & humana jura omnia proterve violabat. Oppreſſi tamen ſunt rebellionis autores, eaq; moderatione uſus eſt Cevrius apud Carolum, ut non ſolum amneſtia univerſali publicata populo parceretur, ſed & ex ducentis, qui venia indigni declarati erant, nonniſi duo ſupplicio affecti fuerint. Magnæ etiam induſtriæ ſpecimen præſtitit, quod Henricum Angliæ Regem callide induxit, ut qui hucusque medium ſe inter Cæſarem & Gallum gerere voluerat, in illius tamen partes propenderet, & ſuo interventu poſſeſſionem *Navarræi regni*, quam Ferdinandus Arragonius *Labretana familia* eripuerat, quamque hæc Gallorum ope vindicare cœperat, Carolo firmaret. Verum hoc inter ultima officia fuit, quæ alumno ſuo exhibuit Cevrius. Cum hoc enim Wormatiam ad comitia illa celeberrima anno 1520 habita profectus, non tantum fratris filium Archiepiſcopum, de quo ſupra diximus, amiſit, veneno a malevolis propinato ſublatum, ſed ipſe etiam eodem ſcelere peremtus eſt, *die 14 Maji anno 1521*, annos natus ſexaginta tres, ſucceſſore, quia liberis carebat, ditionum & gratiæ apud Cæſarem relicto agnato ex Croya gente proximo, *Duce Araſchotio*. Multa in his comitiis in cauſa *Lutheri* egiſſe Cevrium, autor refert, deque hac ita ſentit, ut ſolent, qui Romanam religionem profitentur. Narrat etiam de *Friderico* Saxoniæ Electore aliqua, quæ cum traditis hiſtoricorum ejus temporis non ſatis conveniunt, ſed hic examinari non poſſunt. Satis ex his, quæ per compendium retulimus, apparere putamus, qua utilitate legi poſſint, quæ de tanti viri virtute & induſtria commentatus eſt autor. Sed non minor ad Lectorem perveniet, ex plurimis aliis, quæ de Regum illius temporis, virorumque illuſtrium, quorum miniſterio pace belloque uſi ſunt, geſtis, minime vulgaria conſignavit, v. g. de *Maximiliano I* Imperatore, de *Ferdinando Arragonio*, vaferrimo illius ſeculi Principe, de *Ximenii* Cardinalis prodigioſa induſtria & fortuna, de Pontificum Romanorum multorumque Prælatorum moribus &

conſiliis, de Angliæ & Navarræ Regum ingenio, & actis, ex quibus omnibus Politicarum artium, bello & pace exercitarum, & aulicarum factionum arcana, magna cum libertate expoſita, & ſucceſſus caſusque admirandi percipi poſſunt.

BOHUSLAI BALBINI S. I. MISCELlaneorum Hiſtoricorum Bohemiæ Decadis I. Liber V. & VI.

Pragæ, 1683 & 1684, fol.

Multi laboris & ingenii eſſe Balbinum, ſcriptorem non prima nobis vice memorandum, vel hi libri comprobant. Laboris quidem, quod tot perreptatis voluminibus, plura tamen ſibi negata eſſe vel decies conqueritur: ingenii vero, quod prohibitus ab archivorum longe plurium fontibus, rivulos tamen tam feliciter ſectatus eſt, ut hiſce etiam primæ Miſcellaneorum ſuorum Decadis libris expectationi Lectoris abunde ſatisfecerit, ac firmior ipſi valetudo, quam afflictam hactenus expertus eſt, merito ſit optanda, quo vaſtum, quod ſuſcepit opus, abſolvere ex voto valeat.

Liber V *Parochialis & Sacerdotalis* inſcribitur, quod altera ejus pars veteris Bohemiæ parochias recitet, altera Sacerdotiorum (vulgo Capellaniarum) fundationes exhibeat. Et priore quidem parte nihil ferme habetur aliud, quam manuſcriptus codex Bibliothecæ Archi-Epiſcopalis, cui titulus eſt: *Decimæ Eccleſiaſticæ anno 1384.* Eas enim decimas ſibi pendi Wenceslaus a Pontifice impetraverat in ſumptus itineris, quod Romam coronationis cauſa ſe ſuſcepturum promiſerat; tametſi poſtea ſpem fefellerit, &, quæ Balbini verba ſunt, *domeſticis voluptatibus irretitus deſederit domi.* Confectus vero ille index eſt juxta ordinem decem Archidiaconatuum, in quos veteris Bohemiæ Parochiales Eccleſiæ diviſæ erant, ac licet inde cognoſcere, quantæ jam illo tempore cleri in Bohemia opes fuerint, quantusque ſacerdotum numerus. Pars altera fundationes continet & donationes altarium, ſub Carolo IV potiſſimum & Wenceslao Rege ejus filio factas, ex XIII grandibus Erectionum voluminibus, quæ auſpiciis olim Arneſti primi Pragenſis Archiepiſcopi, cujus vitam Balbinus peculiari libro

Digitized by Google

libro a. 1664 edito enarravit, collectæ fuerunt, in quibus perlegendis integrum ſe annum & duos præterea menſes contriviſſe Balbinus profitetur, improbo labore excerptas. Quarum quidem uſum hunc præcipuum eſſe voluit, ut pietas Bohemicæ gentis illuſtraretur, monumenta liberalitatis, quam inprimis antiqua Bohemorum Nobilitas in Eccleſiam exercuit, publice proſtarent, pateretque adeo, ut verbis Auctoris in ipſo operis titulo expreſſis utar, *nullam prope in Bohemia eſſe aut fuiſſe vetuſtæ ſtirpis tam Dominorum quam Equitum proſapiam, quæ Divinæ Majeſtati perpetuum Miſſæ Sacrificium in antiquitate non fundaverit.* Cæterum negari non poteſt, ex illis fundationum formulis peti multa poſſe, quæ ad Hiſtoriam illorum temporum illuſtrandam, inprimis vero ad dignoſcendas & diſtinguendas illuſtres Bohemiæ familias, earumque Genealogiam contexendam faciant. Quem fructum ut promoveret, ſimulque tædium legendi diſcuteret, notas hic illic interſeruit Balbinus, elegantes ſane, magnamque Auctoris non in Genealogicis ſolum, ſed & Heraldicis peritiam, quadraginta annorum ſtudio partam, abunde teſtantes; ut curioſus Bohemicarum rerum Lector non poſſit non promiſſam ab Auctore *Stemmatographiam Bohemiæ*, quæ partem Miſcellaneorum horum ſuo loco conſtituet, avidiſſime exſpectare. Subjectus eſt ſecundæ huic libri V parti accuratiſſimus & incredibili labore compoſitus index, quem percurri Auctor, antequam opus ipſum legatur, percupit; non alphabetico ordine, ſed quod magis e re videbatur, XXXVI titulis diſtinctus.

Liber VI, quem *Archiepiſcopalem* Auctor vocat, duabus itidem partibus abſolvitur, quarum prior litteras publicas ad Pragenſem Archiepiſcopatum ſeu Diœceſin ſpectantes, poſterior Præſulum titulos, prærogativas, privilegia, ſucceſſionem, adminiſtrationem atque ſepulturas tradit. In literis publicis, numero CXXI, quas Clariſſimus Vir ex Decretalibus & Bullariis Romanorum Pontificum, Tomis Conciliorum, Baronii Annalibus, eorumque continuatore Od. Raynaldo, Actis Sanctorum, Coſmæ Chronico, Pontani Bohemia Pia, Peſſinæ Phoſphoro, Goldaſto, ſuisque libris Erectionum &c. tranſcripſit, non eſt ſecutus ordinem Pontificum, Cæſarum, Regum, Principumque, ut titulus voluminis præ ſe ferre videtur,

tur, ſed obſervata temporis ſerie Bohemicæ Hiſtoriæ nexum accuratius tenuit, ab A. C. 879 ad A. 1630 progreſſus. Multa in his leguntur de Regum Bohemiæ inunctione & coronatione, ac quibusdam in ſacra juribus; de Archiepiſcopatus Pragenſis origine, incrementis, terminis, privilegiis; de ſanctis, ut putant, reliquiis, Caroli IV Imperatoris inprimis induſtria comparatis; de Actis Bohemorum cum Concilio Baſileenſi, quod Bohemis Moravisque, ut Sacram Synaxin ſub utraque ſpecie percipere ſibi liceret, enixe contendentibus, tandem anno 1443 annuit, *non permiſſione tolerantia*, ut ipſi Patres proteſtati ſunt, *ſed autoritate Chriſti & ſponſæ ejus*, addita tamen lege, ut ſub utraque ſeorſim ſpecie integrum Chriſtum contineri crederetur; de Wiclefitis, Huſſitis, Piccardis late per Bohemiam dominantibus, ut ipſe Archiepiſcopus Conradus Weſtphalus non dubitarit iis accedere, a Papa Martino V ideo excommunicatus, ac Archiepiſcopatus curatores ſede vacante Zittaviæ degere cogerentur; de Archiepiſcopatus reſtitutione, aliisq; pluribus ad Eccleſiaſticam inprimis Bohemiæ Hiſtoriam pertinentibus, quæ ſingula hic enarrari, prolixum nimis foret, ac ab inſtituto noſtro alienum. Niſi operæ forte pretium fuerit, de *Contractu Salis*, ut vocant, cujus ſumma capita ultimo loco exhibentur, quædam referre. Nempe cum occaſione turbarum, quæ ex diſſidio circa religionem natæ, Bohemiam graviſſime longo tempore afflixerunt, bona Eccleſiaſtica ampliſſima alienata eſſent, ac in manibus laicorum verſarentur, nec vindicari tamen commode Eccleſiæ poſſent, viſum tandem eſt ea de re ſic tranſigere, ut bona illa Eccleſiaſtica poſſeſſoribus ſarta tecta conſervarentur, ac in ſortem adeo bonorum ſecularium tranſirent, Eccleſiæ vero ac Clero compenſatio aliunde præſtaretur. Itaque anno 1630, Urbanus VIII Pontifex Romanus ſuo & totius cleri nomine, & Ferdinandus II nomine ſuo ſuorumque in Regno Bohemiæ ſucceſſorum, aliorumque Eccleſiaſtica in eo Regno bona poſſidentium, pactum ſolenne, & jurejurando a Delegatis utriusque partis confirmatum iniverunt; vi cujus prætenſiones cleri omnes in bona Eccleſiaſtica, quocunque prætextu ante regimen Rudolphi II occupata ac alienata, & in ea quoq;, quæ poſt Rudolphi II regimen in laicorum manus pervenerant, ſi ejusmodi ſint, ut poſſeſſores habeant actionem de evictione contra cameram Regiam Bohemiæ, exſtinctæ penitus fuerunt:

runt: viciſſim vero Camera Regia Eccleſiæ in perpetuum ceſſit annuum reditum 15 cruciferorum ſuper quolibet modio ſalis, quem vulgo vocant magnam čupam, in Regnum introducendi, aut in ipſo effodiendi coquendive, vel quomodolibet conficiendi, ſic ut reditus ille deinceps cenſeretur Eccleſiaſticus, iisdemque juribus, quibus alia bona mere Eccleſiaſtica, frueretur.

Libri VI pars II. Archiepiſcopis Pragenſibus conſecrata, undecim capitibus abſolvitur, quorum argumenta paucis indicaſſe ſuffecerit. Capite I de titulis agitur, quibus inſigniri Pragenſes Archi-Epiſcopi conſueverunt. Salutantur vero S.Romani Imperii Principes, quem titulum primus hoc ſeculo uſurpavit aut reſumpſit Matthæus Ferdinandus de Pilenberg, & hortatu quidem Balbini noſtri. Cum enim Matthæus anno 1669 in Archi-Epiſcopum Pragenſem conſecratus eſſet, veteri amico & condiſcipulo rem gratam facturus Balbinus, peculiari ſcripto rationes complexus eſt, quibus non Principis tantum, quo prædeceſſores quoque uſi fuerant, ſed S. Romani Imperii Principis titulus Pragenſibus Archi-Epiſcopis vindicari posſit, auctorque novo Antiſtiti fuit, ut titulum hunc a ſeculis omisſum de novo aſſumeret; quod factum etiam fuit, approbante aula. Provocat inprimis Balbinus ad quamplurima Imperii comitia, quibus Pragenſes Antiſtites interfuerint, velut immediati Imperii Romani Status; qua occaſione aſtruere quoque nititur, Nobilitatem Bohemiæ in Imperii Nobilitatem allectam eſſe, ac proinde Principes in Regno Bohemiæ ab Imperatoribus creatos, Sacri Romani Imperii Principibus accenſeri. Porro Primates etiam Regni Bohemiæ, nec non Legati nati Sedis Apoſtolicæ, Pragenſes Archiepiſcopi ſalutantur, quorum titulorum rationes itidem hoc capite explicantur. Cap. II. de quibusdam aliis Archiepiſcoporum prærogativis agitur, quod jure Reges Bohemiæ inungendi gaudeant; quod Regi non homagium, ſed fidelitatem tantum præſtent; quod poteſtatem habeant notarios publicos creandi; quod jus venandi habeant in Regiis ſylvis &c. Cap. III de ditionibus, potentia & opibus Archiepiſcopatus, nec non de antiquis clientibus & armigeris Eccleſiæ Pragenſis, quorum munus fuerit Præſules ad comitia bellave proficiſcentes comitari, disquiritur. Cap. IV Archi-Epiſcopi Pragenſes recenſentur, qui Romanæ Eccleſiæ Cardinales fuere. Cap. V Epiſcoporum, quo-

quorum 27 numerantur, ſucceſſio non tam Hiſtorice, quam Chronologice deducitur. Cap. VI Archiepiſcoporum Pragenſium ſeries ab anno 1343 ad annum 1421 texitur, & quidem verbis Georgii Crugerii, ſed a Balbino adjectis notis illuſtratis. Cap. VII Adminiſtratores Eccleſiæ ab anno 1421, quo ſedes vacare cœpit, usque ad annum 1561, quo Archi-Epiſcopatus reſtitutus eſt, ſimili modo recenſentur. Cap. VIII continuatio ſucceſſionis Archiepiſcoporum, poſt reſtitutam per Ferdinandum I Regem, & Julium III Pontificem, ſedem, traditur. Cap. IX de ſuffraganeis Pragenſium Præſulum: Cap. X de Domo Epiſcopali: Cap. XI de ſepulturis Præſulum agitur. Subjungitur appendix literas quasdam publicas ad Archi-Diœceſin Pragenſem ſpectantes, quæ in parte prima omiſſæ fuerant, complexa.

MEMOIRES OF THE FAMILY OF THE STUARTS.

i. e.

Memoriæ Familiæ Stuartorum.

Londini, apud W. Kittilby 1643, 8.

QUi hæc monumenta e variis Scriptoribus collecta, inque juſtum ordinem digeſta, gratitudini & pietati in Principem deſtinaverat, *Doctiſſimus Autor*, immatura morte præventus ultimam operi limam adhibere, & ſic magis politum publicæ luci omniumque oculis exponere non potuit. Erat ipſe, dum viveret, *Verbi Divini Miniſter*, aliquoties, cum civilium motuum tempeſtate Regnum agitaretur, ſede pulſus, quod Regiam Majeſtatem ſancte habens, audacius ſe oppoſuiſſet *Presbyterianorum* & *Independentium* factioni. Quam ejus fidem & integritatem liberaliter haud dubie remuneraturus erat *Carolus II.* in patrium ſolium nutu divino evectus, ſi diutius ipſum ſupereſſe fata voluiſſent; uti hæc in præfatione prolixius commemorat *Editor*, qui tamen voluit Viri nomen nos ignorare. Orditur hiſtoriam ſuam a *Roberto*, qui primus e *Stuartorum* familia Scotiæ regnum tenuit, delato ad ipſum ſceptro per matrem, quæ ſoror erat *Davidis*, & filia *Roberti Bruſſii*, illius, qui cum *Johanne Balliolo* de regia dignitate tot annos

nos ambigua fortuna certavit. Sequuntur *Robertus III*, quinque *Jacobi*, & ultimo *Maria* Reginarum infeliciſſima. Neque enim telam ultra producere vel licuit *Autori* vel placuit. Annotavit autem ſingulari induſtria, quicquid cujusque Monarchæ imperium dignum habuit memoratu. *Atholii* e regio ſanguine oriundi horrendum facinus, & funeſtam mortem prolixius enarrat, qui cum Aſtrologi cujusdam infauſtæ prædictioni, fore, ut populi acclamatione in publico Rex ſalutaretur, nimium credens, *Jacobum I.* Regem ſuum nefando parricidio jugulaſſet, tanti ſceleris pœnas poſtea daturus, coronam ferream candentem capiti impoſitam geſſiſſe fertur, cui inſcripta erant, ne falſa fuiſſet vaticinatio, hæc verba: *en proditorum Regem*! Similiter monſtrum illud enorme, quod *Jacobi IV.* tempore in Scotia natum perhibetur, pluribus deſcribit, idque ad 28 usque annum ætatem produxiſſe, & ſcientia bonarum literarum, quibus regio juſſu imbutum fuerat, ad miraculum valuiſſe affirmat, ſecutus hic, ut alias ſæpe, *Georgium Buchananum*, qui lib. 13. Hiſt. Scot. rem iisdem fere verbis retulit. Potiſſima vero *Autoris* cura, quam ipſe libri titulus patefacit, fuit, ut divinæ providentiæ miracula circa illuſtriſſimam Familiam *Stuartorum* declararet. Sane Principum, quos deſcribit, nullus eſt, qui natura obierit; omnium fata vis antevertit, aut caſus. Qui ergo parentes regios toties trucidatos, motus univerſi imperii internos tantoque magis periculoſos legit, is merito miretur, qua fortuna ſeptennes, nonnunquam biennes infantuli rebellium cruentas manus effugerint, & in uno ſæpe ſurculo eoque tam tenero ſtirps clariſſima ſuperarit. Fuit ut plurimum, quantum ex Autore noſtro cognoſcere licet, cauſa turbarum, quas imperantibus *Stuartis* Scotiæ regnum expertum eſt, Nobilium nimia potentia. Hi enim poſtquam primum faſtu & ambitione invicem certarunt, mutuo deinde odio ſe proſecuti ſunt, quod, ubi ad arma ventum fuit, quale quid *Roberto III.* imperante accidit, non aliquot tantum domibus, ſed toti regno exitium attulit. *Mariæ* hiſtoriam *Autor* plenius explicat, ſummaque opera evincere nititur, fortunam ipſi potius adverſam, quam mentem pravam fuiſſe. *Buchananum* reprehendit, quod & animo & ſcriptis innocentis *Reginæ* famam nefarie ſit adortus, memoratque morti vicinum petiiſſe a DEO, tantillum temporis ſibi concederet, quo poſſet conſcientiæ ſuæ

D mor-

morſibus mederi, & crimen in Majeſtatem commiſſum palinodia expiare.

TUTA AC EFFICAX LUIS VENEREÆ, SÆPE abſque Mercurio, ac ſemper abſque Salivatione Mercuriali, curandæ Methodus. Autore Davide Abercromby M. D.

Londini, apud Samuelem Smith, A. 1685. in 8.

CUm boni Medici ſit, non cito ſolum & tuto, ſed inprimis jucunde curare morbos; ſummopere laudandus eſt conatus Autoris noſtri, qui omnem nervum intendiſſe videtur, ut illam adeo familiarem hodie curandæ luis Venereæ per ſalivationem Mercurialem methodum, tanquam crudelem juxta ac periculoſam explodat, locoque ejus aliam magis convenientem & minus tædioſam communicet. Qua ratione vero id præſtiterit, judicabit B. L. ex ſumma contentorum præſentis tractatus, quam nunc exhibere placet. Cap. I. omnium in genere Medicorum, qui hucusque circa explicationem luis venereæ deſudarunt, hypotheſes, & ſpeciatim Kircheri & Palmarii, minus tutas, nulliusque in praxi uſus pronunciat. Novam idcirco hujus mali theoriam proponit, ſtatuendo, naturam venereæ luis in frigido quodam humidoque vapore, attracto vel propulſo a partibus genitalibus ad corpus, conſiſtere. Cap. II. demonſtrat modum operationis frigidi illius vaporis. Cap. III. Mercurium examinat, Unzerique opinionem de ſulphurea, viſcida, ac acri hujus metalli natura confutans, potius ſubſtantiam ejus ſumme frigidam ac humidam eſſe, aliis perſuadere laborat. His præmiſſis cap. IV. concludit, adverſus luem hanc in Mercurio nullam poſſe latitare vim alexipharmacam, quoniam ipſe totus frigidus, autorem morbi, frigidum vaporem emendare aut deſtruere haud potis ſit. Curam itaque per mercurialia palliativam ſolum, hoc eſt, producta morboſa, bubones puta ac tophos removentem, neutiquam vero radicalem eſſe ſperandam, audacter affirmat. Cap. V. curandi veram methodum exhibet, ſcilicet per calida. Quo fine concedit lue venerea correptis vini lymphati æque ac meri potum, nullisque de cætero aliis medicamentis opus eſſe ſtatuit, niſi quibusdam cathar-

catharticis ex rhabarbaro ac ſenna, decoctiſque ligni guajaci, ſalſaparillæ, ac cinnamomi cum vino, & ſyrupi alicujus ex aromaticis ingredientibus parati, cumque theriaca exhibiti. Præter hanc ſine Mercurio medendi rationem, aliam inſuper per infuſum Mercurii, ligni guajaci, & pulveris alabaſtri cap.VI. edocet; jubet tamen tum ſingulis alternis diebus, purgans ex Mercurio dulci interponere, adeoque ex toto Mercurium non reſpuit. Cap.VII. recenſet topica remedia pro præcipuis luis hujus ſymptomatibus. Cap.VIII. ſigna luis venereæ in fieri, cap.IX. autem affinitatem & differentiam ſcorbuti, venereique morbi exponit. Cap.X. agit de gonorrhœa virulenta bubonumque venereorum cura, ſicuti cap.XI. & XII. de remediis contra ſymptomata gonorrhœam concomitantia, & differentia gonorrhœæ ſimplicis ac virulentæ. Cap. tandem XIII & ultimo huic propoſitæ hypotheſi ſuæ, medicamenta hactenus recenſita apprime convenire commonſtrat.

THE GEOMETRICAL KEY: OR THE GATE of Æquations unlookd &c.

hoc eſt;

Clavis Geometrica catholica, ſive Janua Æquationum reſerata &c. Autore Thoma Bakero.

Londini, apud R. Clavel. 1684. in 4.

Exhibet tractatus iſte, Latino Anglicoque idiomate adverſis paginarum faciebus deſcriptus, methodum omnes æquationes ad quartum usque gradum, hoc eſt, lineares, quadraticas, cubicas, biquadraticas, quomodolibet affectas, conſtruendi, & omnes ipſarum radices, falſas æque ac veras, eliciendi; citra opem meſolabii aut triſectionis anguli; abſque itidem reductione, depreſſione, aliave quacunque præparatione: per circulum & unicam quamlibet parabolam, ex una regula generali; qua ſimpliciorem, perfectiorem, generaliorem, intellectu faciliorem & praxi accommodatiorem, nec excogitandam nec exoptandam Autor pronunciat,

Digitized by Google

In iſtam regulam fortuito ſe incidiſſe, cum in diſquiſitione illorum occuparetur, quæ *Carteſius Geom. l. 3. p. 85.* circa hoc argumentum, ſed nimis anguſtis limitibus definivit, Autor *in Præfatione* ſtudioſe fatetur: eoque ipſum *Carteſium* facile perventurum fuiſſe conjicit, ſi (quemadmodum per verticem axis parabolæ fecit) a quovis puncto poſitione dato per verticem cujusdam diametri parabolæ circulum deſcripſiſſet, proprietatemque quandam parabolæ huic inſtituto apprime aptam animadvertiſſet; hanc vero doctum ſe ex ingenioſiſſimo quodam de ſectionibus conicis manuſcripto, ſibi a Viro generoſo *Thoma Strode* liberaliter communicato, ingenue profitetur.

Diſquiſitionis autem hujus ſuæ exitum non minus fauſtum fuiſſe, quam media, quæ calci textus annexuit, invento proferendo congrua: hæc etiam, ſi tam ad hyperbolas & ellipſes, quam paraboloides, hyperboloides, elliptoides, elatiorumve graduum curvas efformandas applicentur, haud dubie variis regulis (particularibus ac univerſalibus) quarumvis æquationum, ad quodvis altius par graduum conſtruendarum, inſervitura eſſe perhibet.

Ipſi Tractationi præmittit Autor, tanquam cognitu neceſſaria, naturam, proprietates huc pertinentes, & conſtructionem parabolæ. Subnectit deinde, quo artificio, deſcripta parabola, punctum reperiendum ſit, a quo (tanquam a centro) intervallo quodam determinando, circulus poſſit deſcribi, qui ita ſecet aut tangat parabolam, ut a punctis concurſus rectæ eductæ omnes æquationum memoratarum radices determinent: tradita regula generali (quam centralem ſeu locum appellat) eaque ad parabolam pro diverſis caſibus applicata.

Deinde æquationibus in octo claſſes diſtributis, cuique earum regulam hanc, quatenus æquationibus ibidem conſtitutis congruit, in ſynopſi præſcribit, conſtruendæ æquationis modum edocet, eamque demonſtrationibus debitis munit: adhibitis ad quamlibet æquationem figuris, iisque per exempla in numeris propoſita ad omnes omnino poſſibilium æquationum caſus illuſtratis.

Ut vero ſolidam a tyronibus gratiam iniret Autor, tandem etiam methodum, qua ad catholicam hanc regulam eruendam deductus ſit, pandit, & ſingularum claſſium regulis ſynopticis accommodat.

Ad-

Digitized by Google

Adjectus eſt Tractatui indiculus plurium aliorum, quos Autor publico pollicetur, Tractatuum Geometricorum; optandumque eſt, ut propediem hi in lucem prodeant, & ſpem, quam tituli de ipſis faciunt, quamque præſens liber irritam non fore perſuadet, apud eruditos impleant.

VITA ÆTERNA EX LUMINE NATURÆ OSTENSA & ex Pentateucho Moſaico evicta, auctore Joachimo Hildebrando, SS.Th.D. & Ducat. Lüneb. ejusque Comitatuum ſupremo Superint.

Helmſtadi apud Georg. Wolfg. Hammium, A. 1684. in 4.

DEvotas DEO animas, inde a mundi primordiis, vitæ æternæ, quæ Chriſtiani ſummum bonum eſt, deſiderio flagraſſe, nec ſpem cum Sadducæis omnem de bonis poſt hanc vitam adipiſcendis projeciſſe, *Autor ampliſſimus* hoc libro potiſſimum evincere laborat. Nam cum una tantum vera ſit religio, ejusque unus idemque finis ſemper fuerit; colligit hinc, vitam æternam & in Paradiſo ſtatim, & poſtea Patriarchis fuiſſe revelatam & promiſſam. Atque ut hoc profanis etiam hominibus perſuadeat, ſub initium operis oſtendit, poſſe homini ex lumine naturæ conſtare, poſt hanc, aliam ſupereſſe vitam; etſi quis qualisve animarum ſeparatarum ſtatus ſit futurus, mens hominis ſibi relicta recte cognoſcere nequeat. Quam in rem B. D. Gerhardi teſtimonium *ex Loco de vita æterna c. 2. §. 21.* adducit: *omnium cordibus per naturam inſcriptum eſſe, reſtare ſeculum, in quo bonis bene, malis autem futurum ſit male.* Quare non dubitat aſſerere, reſurrectionem mortuorum rationi probabilem videri, ac gentiles vitæ æternæ atque reſurrectionis notitiam aliquam habuiſſe. Quibus præmiſſis, tum ex actis Paradiſi, tum ex hiſtoria Patriarcharum, tum denique ex lege Moſaica, diſtinctis argumentis evincit, vitam æternam in Vet. Teſtam. fuiſſe notam, ac piis & fidelibus promiſſam: adeoque falli H. Grotium & Socinianos, exiſtimantes, Moſen in religionis Judaicæ inſtitutione nihil promiſiſſe ſupra hujus vitæ bona, terram ſcilicet uberem, penum copioſam, victoriam de hoſtibus, longam & valentem ſenectam, poſteros cum bona ſpe ſuperſti-

perſtites; & ſi quid ſit ultra, umbris obtegi, aut ſapienti, ac difficili ratione colligendum eſſe.

PAULI G. F. P. N. MERULÆ JC. DUM VIVERET, in Acad. Lugd. Batavorum Hiſtoriarum Profeſſoris, & Dd. Ordinum Hollandiæ Friſiæque Borealis Hiſtoriographi Opera varia poſthuma &c.

Lugduni Batavorum apud Petrum a Meerſche & Joh. de Vivie A. 1684. in 4.

INter clariſſimos Academiæ Leidenſis viros, quorum æreas imagines, vitas ac ſcripta in *Athenis Batavis* exhibuit doctiſſimus Belga *Joh. Meurſius*, non poſtremo loco conſpicitur *Paulus Merula*, Guilielmi filius ac Pauli nepos, JCtus. Hic Dordraci natus eſt V. Id. Aug. A. ær. Chr. cIↃ IↃ LVIII, & Roſtochii, quorſum vires poſt morbum reparaturus, amicoſque ſalutaturus ſe receperat, denatus XIV. Kal. Septembr. A. cIↃ IↃcVII, cum annos XLIX vivendo exegiſſet. De cætero poſitis in ſcholis, patria & Delphienſi, nec non in Academia Leidenſi literarum artiumque fundamentis, Galliam, Italiam, Germaniam Angliamque perluſtravit, cumque demum redux factus animum ad forum adjeciſſet, cauſaſque aliquantiſper peroraſſet, poſt diſceſſum *Juſti Lipſii* ad vacantem Hiſtoriarum profeſſionem obeundam Dordraco Lugdunum Batavorum fuit accerſitus. Quam ſpartam ſibi concreditam ut pro virili ſua adornaret, non in Hiſtoricis tantum ac Philologicis, ſed & Juridicis libris conſcribendis (nam Aureliis & Genevæ octo totos annos, tum literarum, tum Juris civilis ſtudio impenderat,) erat defixus. Edidit autem adhuc aura ætheria veſcens *Praxin civilem Provincialis Curiæ apud Batavos*; *Ennii fragmenta cum commentariis*; *Eutropium*; *Coſmographiæ generalis libros III, ſpecialis IV*; *vitam Eraſmi & epiſtolas aliquot nondum editas*; *vitam Franciſci Junii*; *Angeli Merulæ Hiſtoriam Tragicam*; *Hiſtoriam Eccleſiaſticam & Politicam mille ducentorum annorum*, *quibus reliquos quadringentos adjecit filius Guilielmus*; *& Willeramum Abbatem in Cantica Canticorum cum Commentariis*; ſed longe plura re-

liquit

liquit ſcripta, eaque partim Philologica, partim Hiſtorica, partim Juridica, quæ obſtetricantes poſt obitum Autoris manus huc usque expectarant. Horum numerus trigeſimum apud Meurſium jam laudatum pag. 161. excedit. Sed intra Veſtæ hactenus penetralia latitarunt, multa etiam plane negligentia hæredum perierunt, præſertim cum filii ejus, quos habuit, omnes tabe confecti (inter quos & *Guilielmus*, quem patris Hiſtoriam Eccleſiaſticam & Politicam continuaſſe amodo diximus,) ante XXX. ætatis annum non diu ſupervixerint. Ex tenebris tandem in lucem opuſcula Merulæ aliquot, quæ & Meurſio l. c. notantur, Viri apud Leidenſes conſultiſſimi *C. A. Maerſche* beneficio hoc ipſo anno prodierunt. Hæc quatuor ſunt tractatus ſummis cum lucubrationibus concinnati, quorum duo ſpectant ad ſacra, de *ſacrificiis* & *ſacerdotibus*, duo itidem ad profana, de *legibus comitiisque Romanorum*, ſubjuncto brevi de *præmiis*, quæ militiam eorum ſequebantur, commentario. Iliada equidem poſt Homerum ſcripſiſſe videri poteſt Merula. Extat enim *Sauberti* de *Sacrificiis veterum Roman.* commentarius, extant *Antonii Auguſtini*, Archiepiſcopi Tarraconenſis, ut & *Petri Manutii*, Aldi filii, de *Legibus & Senatusconſultis* libri longe elegantiſſimi, ut & *Juſti Lipſii* tractatus de *Legibus Regiis ac Duumviralibus*. Extat denique & *Nicolai Gruchii* & *P. Ottonis Archeri comitiorum hiſtoria*. Verum & hoc ſcias oportet, *Saubertum* non eo, quo Merula, ordine ea, quæ ad Sacrificia pertinent, ex omni antiquitatis penu corraſiſſe, nec ſpeciatim de Sacerdotibus tam luculenter egiſſe. Deinde Antonium Auguſtinum cum Manutio & Lipſio ſcripſiſſe quidem de Legibus Romanorum, ſed nullum tamen ipſa Legum verba tam accurate recitaſſe, nec uſum earum moribus temporum noſtrorum applicuiſſe. Illa enim Merula non ſine maximo labore ex antiquis marmoribus, æneisque lapidibus XII. Tabularum eruit, Valerio Flacco, Feſto Pompejo, Nonio Marcello, Varrone, Catone aliisque priſcis autoribus pervolutatis. Porro quamvis Gruchius, quem Aicherus ſequitur, in Comitiorum hiſtoria palmam præripuit Merulæ, hic tamen, quæ diffuſe ille pertractavit, in compendium redegit. Tractatulum autem de præmiis, quæ militiam Romanorum ſequebantur, quod attinet, is exercitii gratia, vel in uſum tantum privatum collegii cujusdam aut lectionis publicæ videtur propoſitus. Ultimam certo

manum

Digitized by Google

manum adhuc expectat, quemadmodum & alia ejuſdem Autoris ſcripta ἀνέκδοτα. Cæterum opuſculis hiſce non vita tantum Autoris cum ænea effigie præmittitur, ſed & indices rerum & verborum, quoad quatuor opuſcula, ſic ſatis copioſi in fine ſubjunguntur.


CASPARI BARTHOLINI THOM. FIL. DE DUCTU Salivali hactenus non deſcripto Obſervatio Anatomica.

Hafniæ ap. Chriſtianum Hauboldt & Johan. Liebe, 1684 in 4.

IN Daniam migraſſe Africam, & laudem fertilitatis novarum rerum huic ceſſiſſe, prædicabat jam olim Thomas Bartholinus præſentis Caſpari genitor, de ſua lactearum thoracicarum vaſorumque lymphaticorum inventione patriæ gratulatus, in tractatu de vaſis lymphaticis conſcripto. Confirmat Parentis hoc effatum Filius, dum novum Daniæ anatomicum partum, obſtetricante manu ſua editum, obſervatione hac ſpectandum ſiſtit. Eſt autem ille partus ductus ſalivalis gemellus, ab hactenus notis Warthonianis ac Stenonianis, tam ratione principii, quam termini diſtinctisſimus. Etenim quoad principium, trahunt ii originem ex glandulis ſublingualibus Stenonii; quoad terminum, non circa marginem linguæ pluribus anguſtis vaſculis, prout alios docuit Steno, ſed potius in easdem papillulas ſub lingua ſitas cum Warthonianis aperiuntur in capite vitulino. Quod tempus concernit, quo prima vice ipſi innotuerunt nova hæc vaſa ſalivalia, nominat diem 13 Martii anni 82 currentis ſeculi, ubi nimirum inquiſiturus in Warthonianos ductus ſalivales vitulini capitis, cum illorum felicioris præparationis cauſa, per oſtiolum in papillula ſublinguali conſpicuum, ſtylum immittere vellet, errore non injucundo illum penetraſſe in novum hunc ductum refert. Ejus rei teſtes vocat celeberrimos, Olaum nempe Borrichium & Oligerum Jacobæum, quos ſpectatores judicesque hujus inventi fecit. Poſt illud tempus curioſe etiam in aliis animalibus indagati & reperti ſunt iidem ductus, in ove nimirum, urſo, lynce, tandemque leæna, & quoniam elegantiſſimos in ultimo nominata beſtia illos vidit, æri inciſos obſervationi huic attexuit.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

texuit. An ab alio antehac præſentes ductus ſalivales fuerint deſcripti, ignorare ſe dicit Auctor, Warthoni tamen verba, capitis XXI Adenographiæ, eos non [illegible]uere, nec e veterum monumentis quicquam pro ipſis faciens adduci poſſe probat, adeoque ſibi ſoli inventionis laudem vendicat.

Explicatio Figurarum ex anatome leænæ. Fig. I. Tab. I.

A. glandula maxillaris inferior.
B. B. ductus ſalivalis inferior Warthonianus.
C. glandula ſublingualis.
D. ductus ſalivalis novus, ex illa ortum ſumens.

Fig. II.

a. a. a. a. duo utrinque oſtia ductuum ſalivalium inferiorum Warthoniani nimirum ac novi.
b. lingua pauliſper reflexa.
c. maxillæ inferioris facies.

MAGISTERIUM NATURÆ ET ARTIS, OPUS Phyſico-Mathematicum, P. Franciſci Tertii de Lanis, Societatis Jeſu.

Brixiæ, apud Jo. Mariam Ricciardum, 1648. in fol.

PRimum eſt hoc Volumen magni Operis, cujus methodum & argumentum Auctor in Prodromo, novem abhinc annis Italice edito, ſatis fuſe quidem expoſuit, nunc tamen in Lectoris gratiam præfatus repetiit. Cum enim animadverteret, plurimos libros exſtare phyſicos & phyſico-mathematicos de diverſis materiis eximios, qui & diverſis principiis inniterentur, & in phyſicæ unum corpus relati nondum eſſent, *ipſe animum appulit adjuſtum ſyſtema conficiendum*, quo membra diſperſa ex iisdem principiis ducta cohærerent, & ſelectis tum experimentis, tum ſententiis probatioribus ſtabilirentur: ex quali opere plurimæ in ſingulis artibus inventiones, plurimæ etiam novæ in naturali ſcientia demonſtrationes, maxima cum utilitate Reipublicæ fluere poſſent. Huic labori cum manum inge-

Digitized by Google

niumque admoveret, occurrebat *Honorati Fabri opus totius Phyſicæ pulchrum & concinnum, in quo nihilominus deſiderabat copioſiorem experimentorum & obſervationum numerum, quæ cuilibet materiæ diſcutiendæ præmitti debuiſſent; materias plures non ſatis plene diſcuti, vel obiter tantum indicari; opiniones ſæpiſſime improbabiles approbari, nec doctrinam accommodari ad novas inventiones, aut cognoſcendam rerum inventarum cum ſpeculativis, tum phyſicæ, tum mathematicæ principiis connexionem.* In nullius Philoſophi verba jurat Auctor, ex omnibus optima eligens.

Ariſtotelem, non qualem fingunt Averroiſtæ, ſed qualem exhibent interpretes Græci omnes, ex Latinis optimi, ſæpe ſequitur; haud raro pugnantes inter ſe Philoſophos conciliat. Methodum ſervat, quæ plurimum ad Geometriam accedit, ſingulis libris in ſeriem ordinatam propoſitionum digeſtis: loco axiomatum, definitionum & petitionum, præmittens magnum experimentorum & obſervationum, diligenter, accurate, ſemel atque iterum habitarum numerum. Ex his atque principiis metaphyſicis indubitatis, propoſitiones ſcientificas educit. Quæ principia omnia ne ex aliis petere cogeretur, *in primo hujus Operis tractatu illa, quæ ex metaphyſicis cum ſcientia rerum phyſicarum magis immediatam habent connexionem, perſtringit, uti de natura corporum generatim, de quantitate, de loco, de extenſione &c.* Et ne mireris profitentem, ſe methodum Geometricam in univerſo opere uſurpaturum, cuilibet tractatui non præmiſiſſe definitiones & axiomata, rationes profert, cur iis omiſſis ſola experimenta & obſervationes, quæ ſunt loco petitionum ſeu poſtulatorum repoſuerit. His ſubnectit doctrinam in plures propoſitiones more Geometrico digeſtam, adhibita etiam Geometria ad majorem veritatis confirmationem. Ipſas propoſitiones diſpoſuit ordinate, ut una ex alia facili connexione deducatur. Per harum longam ſeriem propoſitæ doctrinæ ſpeculativæ ſubtexuit ſingulis libris, vel ſaltim tractatibus problemata, quibus res omnes practicæ ad rem propoſitam commode pertinentes comprehenduntur, vel jam ab aliis excogitatæ, vel ab ipſo Auctore nuper inventæ. Alii non pauci prorſus novi paſſim occurrunt, non modo ſpeculationum ab eodem habitarum, ſed & manualium laborum fructus, puta inventiones variæ *pro obtinenda longitudine nautica, nova ma-*

china

chinæ & motuum prodigioſorum ſpecies, novorum chorometrorum ſeu horologiorum conſtructiones, arte facta motus perpetui abſolute artificialis, & alia, quæ omnia invenimus in hoc primo Operis volumine. In reliquis pene innumera ſecreta promittit, non modo chymica & medica, quæ magno ſæpe pretio emuntur, verum etiam alia ad liberales omnis generis artes ſpectantia, ſcilicet ad Muſicam, ad Opticam, ad Picturam, ad Nauticam, ad Aſtronomiam, ad agrorum ac viridariorum culturam, ad Staticam & Hydroſtaticam, ad Magneticam, & Pyrotechniam &c. Quæ ab ingenioſiſſimo ſolertiſſimoque viro promiſſa, ſalivam phyſico-matheſin amantibus valde movent.

Primum autem Operis, quod in manibus habemus, *Volumen continet Tractatus tres libris ſuis diſtinctos ac capitibus.* In primo tractatu agitur de corpore in genere, ejusque primariis affectionibus, quantitate, figura & pondere. In ſecundo tractatu motus localis & impetus generatim explicantur. Hic *de diverſis machinarum generibus & principio univerſali & communi omnibus machinis, ad movenda ingentia pondera demonſtrationes habentur*, errores Auctorum & defectus machinarum inventarum paſſim oſtenduntur & emendantur. In tractatu tertio ad particularia progreſſus, diverſas *motus localis ſpecies* conſiderat, quas licet pene innumeras *ad ſex præcipuas*, quibus reliquæ comprehenduntur, revocat. Prima eſt motus recti ſurſum vel deorſum corporum, quæ gravia vel levia dicuntur: ſecunda eſt in planis inclinatis: tertia dicitur motus oſcillatorius perpendiculorum, quæ communiter pendula vocantur: quarta ſpecies omnes motus mixtos complectitur: quinta comprehendit motum, qui oritur in corporibus ab impetu ipſis impreſſo, cum ab alio mobili transferuntur motu horizontali: ſexta denique ſpecies eſt motus circularis. Quibus addit motum perpetuum, varia proponens ejus machinamenta, partim ab aliis, partim a ſeipſo recenter excogitata.


Ex qua elegantium experimentorum, propoſitionum, problematum multitudine, difficile ſit, excerpere ea, quæ factæ de laudato opere exſpectationi omnium reſpondeant. Aliqua ergo dabimus, ex quibus Auctoris in cæteris ingenium ſpeculandi, & dexteritatem operandi periti æſtiment.

Georgius Agricola lib. 6. de Re Metallica, quinque machinas

ad aquam vel materias minerales ex altiſſimis puteis hauriendum uſitatas deſcribit, quarum primæ tres hominum, reliquæ duæ equorum opera circumaguntur. In omnibus duplex ſitula, vel ciſta adhiberi ſolet, quarum una vacua deſcendit, dum altera plena attollitur. *In his machinis*, ſi putei altiores ſint, *hoc eſt incommodum*, quod cum duplex funis tantæ longitudinis, quanta eſt putei altitudo, neceſſarius ſit, qui utrique axi rotæ circumvolvitur, multum ſpatium in axe occupet, & eo longiorem axem requirat, quo craſſior fuerit funis, axis vero gracilior ; ex quo fit, ut ſi puteus non ſit latior toto illo ſpatio axis, cui funes obvolvuntur, ciſtæ putei lateribus impactæ motum retardent. Quod ſi axem craſſiorem adhibeas, paucioribus quidem funis circumvolutionibus minor ejus pars occupatur, verum majores vires potentiæ requiruntur pondus attollentis, vel rotæ longe majores, quibus immediate potentia applicatur. *Præterea*, quod potiſſimum eſt, *motus*, quo pondera adſcendunt, plerumque *eſt valde tardus*. Quare Machinam deſcribit *de Lanis* pag. 98, cujus ope pondus attollatur duplo velociori motu, quam ſit motus ipſius potentiæ.

TAB. II. Fig. I. Sit, *inquit*, ligneus cylindrus erectus perpendiculariter A B, & in ſuis polis facile volubilis, in cujus capite firmetur rotula A bacillis cylindricis inſtructa: in medio vero ſit inſtructus vecte uno, vel duplici C C, cui potentia applicanda. Supponit autem qualibet circumvolutione iſtius cylindri potentiam applicatam in C moveri circulariter per circumferentiam pedum ſex, ita ut quatuor circuitionibus abſolvat pedes 24. Interim vero mediante rotula A, rota D E unica vice circuitum abſolvat; at vero rota F G volvatur ſex vicibus, ac demum axis H I moveatur quadruplo ipſius rotæ G, ſcilicet circumvolutionibus 24. Quare ſi cylindrus (cui obvolvitur funis cum iſtis annexis) ſit tantæ craſſitudinis, ut in ambitu ſuo duos pedes æquet, aſcendet ciſta pedibus 48, motu ſcilicet duplo velociori, quam ſit motus potentiæ applicatæ in C.

Fig. II. Pag. 272. Tormenti genus a ſe excogitatum refert, ab unico homine portabile, quo mediante, ſine pulvere nitrario, globi vel granatæ ad magnam diſtantiam projici poſſint. Fiat, *inquit*, ex optimo chalybe elaterium ſpirale, virga chalybea E B C in ſpiram cylindricam convoluta: ſuperiori extremitati ſit firmiter annexum hemiſphæ-



Digitized by Google

Digitized by Google

ſphærium concavum A D, ad recipiendum globum ſeu granatam accommodum, in cujus centro E, deorſum ſcilicet in parte ejus convexa, ſit annulus ferreus, cui funis E F alligetur. Tum fiat tubus, cylindricus *H I L*, cui includatur prædicta ſpira, & ejus infimum extremum C adferruminetur ad latus inferioris partis tubi, v. gr. in I, deſcendatque funis M F tranſiens per foramen F in fundo tubi: qui tubus fieri poterit ex lamina aliqua metallica, non adeo craſſa. Impoſito igitur globo ſeu granata G hemiſphærio M, ſi violenter funis trahatur in F, deſcendet ſpira ſimul cum globo intra tubum, ad inferiorem partem I L; & quia ibi detinetur in ſtatu violentiſſimæ tenſionis, ſi priſtinæ libertati permittatur, aſcendet maximo impetu, & globum longiſſime propellet. Quia vero ſpira prædicta debet eſſe ſatis craſſa, & maxime reſiſtere violentæ tenſioni, ut majori vi globum explodat, dum ſe *reſtituit in priſtinum* ſitum, aptanda erit machinula aliqua a tergo ipſius tubi, v. g. axis in peritrochio P Q, vel alia ſimilis, qua mediante trahatur funis, & ſpira violentiſſime tendatur. Tunc enim facile erit, ut in baliſtis fieri ſolet, quoties libuerit funem laxare, ut ſpira ſuæ libertati ſe reſtituens globum explodat; quod facile obtinebitur, ſi annulus F mediante unco una cum fune trahatur, donec uncus ab annulo erumpat. Tubus ſupra dictus, cui includitur ſpira, fieri poterit ex craſſiori aliqua lamina metallica, ferrea vel cuprea, quæ tamen interius ſit optime lævigata.

Inter *invictas demonſtrationes pro Terræ quiete adverſus Copernicanos* hanc habet p. 409. Experimentis conſtat, in navi mota globum delapſum luto ſubjecto oblique immergi: aſt in terra quodcunque grave, ex quacunque altitudine demittatur, ſemper perfodere ſubjectum lutum ſecundum lineam perpendicularem. Quare ſi globus terraqueus moveretur circa Solem ab Oriente in Occidentem, motu annuo, deberet globus & quodlibet aliud grave cadens infigi luto per lineam obliquam ſeu ad horizontem inclinatam, non vero per lineam perpendicularem. *Quod argumentum* majus robur habere apparet, ſi conſideretur longe obliquiorem perfoſſionem in luto fieri debere in hypotheſi motus annui telluris, quam in navi, cujus velocitas motus, comparative ad velocitatem motus terræ, exigua, ac minima eſt. Cum enim perfoſſio in luto eo magis obliqua ſit, quo magis impetus horizontalis prævalet impetui perpendiculari; ſi

ri; ſi ſupponamus globum cadere ab æquali altitudine modo ex malo navis mobilis, modo ex turri, quæ cum terra movetur, ſi oblique perfoditur lutum a globo cadente ex malo navis; multo magis oblique perfodi oporteret, dum idem caderet ex turri, cum hæc velociſſime moveri ſupponatur. Impetus enim horizontalis globo impreſſus a motu terræ, ſemper longe magis prævaleret impetui perpendiculari a globo acquiſito.

Non minorem vim habet adducta ratio adverſus eos Copernicanorum, qui præter motum terræ annuum ab Oriente ad Occidentem, motum diurnæ revolutionis circa proprium centrum adſerunt: ſiquidem *ex uno capite* velocitas illa motus terræ in Orientem quandoque longe major erit, & linea motus gravium deſcendentium erit eodem fere modo obliqua ad horizontem; *ex alio capite* difficultates oriuntur, ex quibus ſe expedire illi nequeunt, cur perfoſſio luti a globo naturaliter cadente ſemper ſit perpendicularis. Qua enim ratione globus etiam per aerem deſcribit lineam perfecte parabolicam, adeoque motus ejus ſenſui apparet perpendicularis, poſito duplici impetu ipſi impreſſo, quorum unus eſt in circulo annuæ revolutionis, alter in alio minori circulo, videlicet in terreno æquatore? hi enim duo impetus, non modo oppoſiti, ſed determinati ad circulos longe diverſæ magnitudinis, non poſſunt coaleſcere ad efficiendum unum motum per lineam parabolicam; qui tamen motus parabolicus neceſſario eſſe debet, ut nobis appareat exacte perpendicularis. *Adde in diverſis parallelis* motum diurnæ revolutionis globi terreni diverſam habere velocitatem, proportionaliter ad ipſorum parallelorum circulorum magnitudinem. Sicuti igitur *juxta Riccioli calculum* motus diurnæ revolutionis, qui fit in æquatore tempore unius minuti ſecundi, eſt pedum 1698, at vero idem motus in parallelo Bononienſi eſt pedum 1210, & longe adhuc minor in parallelo Viennenſi, minor in Cracovienſi, & minor adhuc in aliis polo propinquioribus: ita etiam motus terræ compoſitus ex utroque motu, diurno & annuo, in diverſis parallelis diverſam habebit velocitatem, & conſequenter, idem grave cadens ab æquali altitudine in diverſis parallelis, incidet plano horizontali diverſa obliquitate, & porro diverſo modo & per diverſam lineam, perforabit ſubjectum lutum in uno parallelo, ac in alio; adeoque ſi in uno parallelo perfodit lutum linea per-

perpendiculari, in alio idem lutum perforabit linea ad horizontem inclinata, quod experimentis repugnat. *Idem argumentum militat contra illos, qui ſolam terræ diurnam circa ſuum centrum revolutionem admittunt.* Quamvis enim in hac hypotheſi motus horizontalis, quo transferetur globus, dum cadit e turri, vel malo navis, ſit longe minus velox, quam in hypotheſi Copernicana, eſt tamen ſatis magna ejus velocitas comparata cum velocitate navis. Imo maxima erit diverſitas velocitatis motus horizontalis in parallelis diverſis; ac proinde diverſitas obliquitatis, qua globus luto immergitur, longe major eſſe deberet: nec idem globus in diverſis parallelis poſſet ſemper perpendiculariter deſcendere, imo deſcendere deberet in luto majori obliquitate in parallelis æquatori propinquioribus, ubi eſt major motus velocitas.

Omnium efficaciſſimum argumentum *adverſus Copernicanos* arbitratur *p. 420. ſumi poſſe ab experimento*, quo globum vel aliud corpus grave in aqua, quæ cum vaſe motu horizontali transfertur, libere deſcendere videmus, non perpendiculariter ſecundum vaſis altitudinem, ſed oblique verſus partem vaſis poſticam. Quod ſi ergo terræ globus tenderet velociſſime in Occidentalem plagam, deberet in aqua profunda deſcendere grave oblique verſus Orientalem plagam.

OBSERVATIONS SUR LA COUSTUME DE POITOU, anciens reſſorts & enclaves d'iceluy, par Maitre Jean Lelet, Advocat en Parlement & au Preſidial de Poitiers.

h. e.

Obſervationes in Conſuetudines Pictonum, eorundemque jurisdictionem ac limites antiquos, per Joh. Leletum, Parlamenti & Senatus Pictavienſis Advocatum.

Pictavii, apud Joh. Bapt. Braud, 1683. in 4.

Vulgatum eſt, univerſas hodiernæ Galliæ provincias, jurium, quibus utuntur intuitu, in duas diſpeſci claſſes, provincias nempe ju-

juris ſcripti, & conſuetudinarias. Illæ, quas conſtituunt præſertim Aquitania & Gallia Narbonenſis, cum paucis quibusdam finitimis regionibus, mero reguntur jure Juſtinianeo; utpote ad quas ob Italiæ viciniam facilius legum Romanarum cognitio pervenire potuit. Hæ, conſuetudinariæ videlicet, quæ illas numero longe ſuperant, præter conſtitutiones regias, ſuis utuntur Conſuetudinibus ab antiquo receptis, & poſtmodum provida regum cura in ſcriptum redactis: quæ tamen & ipſæ maxima ex parte e legibus Romanorum petitæ ſunt; ad quas proinde his deficientibus in judiciis & cauſarum deciſionibus recurri ſolet. Inter hasce provincias conſuetudinarias non ultimum locum obtinet Pictonum regio, cujus Conſuetudines nobis hoc volumine ſiſtuntur, articulis 445 comprehenſæ, qui rurſus in 20 titulos, ceu ſumma materiarum capita, ſubdividuntur. Illuſtraverat eas jampridem commentario ſuo *Joh. Leletus:* poſt cujus obitum cum opus hoc, publicum quippe quod applauſum meruerat, recudendum eſſet, gratius id eruditis fore rati ſunt, quibus ea cura incumbebat, ſi acceſſionibus quibusdam novis auctius prodiret. Suppetebant eam in rem non additiones tantum ipſius *Leleti*, quas poſt primam editionem adornaverat, ſed & notæ *Baronis* & *Galterii*, Advocatorum celebrium, nec non *Milonis*, conſiliarii regii. Hæc proinde additamenta ut operi aptius inſererentur, totius reviſione accurata opus erat. Suſceperunt eandem *Joh. Fillæus*, *Joach. Thevenetus*, & *Stephanus Riffaldus*, Advocati exercitatiſſimi, qui conjuncto ſtudio non ex prædictis tantum commentariis opus concinnum efformarunt, ſed & de ſuo plurima addiderunt. Ultimam tandem labori huic manum admovit *Matthæus Braudius*, cauſarum patronus in Parlamento Pariſienſi: hic enim inſuper compilationis in modum ea adjicere laboravit, quæ notatu digniora in Commentariis *Rati*, *Thevenæi*, *Barraldi* & *Conſtantis* (qui præter *Leletum* hasce conſuetudines ſuis notis illuſtraverant,) reperire potuit. Non itaque ſoli Leleto debemus præſentes Obſervationes; quin potius eædem, adornatæ quippe tot præſtantiſſimorum Virorum ſudoribus, compendium & nucleus univerſorum Juris Municipalis Pictonici Commentatorum, merito audire poterunt. In quibus tametſi plurima reperiantur, quæ vix extra illas provincias, aut ubi ſimilia ſtatuta vigent, uſum habere poterunt;

qualia

qualia ſunt v. gr. determinatus columnarum patibuli numerus, pro diverſa dignitate eorum, quibus jurisdictio competit, *art. 1. 3. & 14*; jus Caſtellaniæ, *art. 3*; Notarii ſubalterni & particulares, quos quilibet dominus jurisdictionis intra certum numerum creat, non extra diſtrictum ſuum valituros, *art. 5. & 375*; jus habendi columbarium columnæ impoſitum, feudis nobilibus tantum conveniens, *ad art. 14. pag. 51*; jus adigendi ſubditos ignobiles ad molendinum & furnum bannarium, vi ipſius jurisdictionis baſſæ ſeu infimæ, *art. 34. ſeqq. & art. 46*; dimidium dotalitium viduæ in bonis ſuperviventium parentum defuncti mariti competens, *art. 260*; teſtamenta absque heredis inſtitutione valida, *art. 272*; teſtamenti factio non niſi poſt annum vigeſimum competens, niſi quis citius uxorem duxerit, *art. 276*; teſtamenta filiorum familias, *art. 276*; jus repræſentationis *in collateralibus in infinitum*, *art. 277*; ſpuriorum a matris etiam ſucceſſione excluſio, *art. 297*; jus Albinatus *part. 298*, ut alia quamplurima taceamus. Non tamen eapropter putandum eſt, ac ſi Obſervationes hæ nihil conducere poſſint illis, qui *in iis* degunt regionibus, ubi judicia jus Juſtinianæum pro norma ſequuntur, Nam non tantum hoc in opere ad explicandos Conſuetudinum articulos paſſim principia legum Romanarum adhibentur: ſed & hinc inde caſus non inelegantes ex fundamentis juris Civilis definiti, ſententiisque & arreſtis, ut vocant, Parlamentorum aliorumque judiciorum ſummorum deciſi leguntur; quorum nonnullos exempli loco hic referre non pigebit. Sic deciſum legitur, relegatum ex patria poſſe durante exilio, jure retractus gentilitii, revocare bona avita alteri vendita, *ad art. 2. p. 10*. Eundem pendente exilio decedentem, poſſe valide diſponere, ut in ſepulcro familiæ humetur, *ad art. 2. p. 13*. Ob venditionem neceſſariam, aut in commodum publicum factam, non deberi laudemia, *ad art. 21. p. 71*. Laudemium non facere partem pretii, ad effectum probandæ læſionis ultra dimidium, *ad art. 21. p. 78*. In præſcriptione conſuetudinaria ſeu ex ſtatuto non deduci tempus belli, *ad art. 26. p. 98*. Eum, qui furnum bannarium frequentare obſtrictus eſt, non niſi panem ordinarium ibi coquere teneri; non vero prohiberi propriam domi ſuæ fornacem habere, ubi fructus torreat, aut artocreata & ſimilia paret, *ad art. 46. p. 132*. Renunciationem filiæ in gratiam fratrum factam, non extendi ad fra-

F tres

Digitized by Google

tres poſtmodum ex alio matrimonio ſuſceptos, *ad art. 220. p. 510.* Filiam elocatam, quæ renunciaverat paternæ hæreditati, ſi pater rurſus ipſi remiſerit renunciationem, ad ſucceſſionem admitti, tametſi poſtea pater hanc ſuam remiſſionem denuo revocaverit, *ad art. 221. p. 515.* Donationem patris factam filiofamilias morte ejus validam fieri, quamvis acceptatione & inſinuatione, alioqui neceſſaria, caruerit, *ad art. 222. p. 518. ſeq.* Si matrimonium contractum ſit in loco, ubi jus civile viget, adeoque proprie dicta ſocietas bonorum inter conjuges non eſt, non poſſe fœminam de acquæſtu conjugali quicquam participare, tametſi poſtea talem in locum ſe contulerint, ubi vi ſtatuti omnia conjugum bona communicantur, *ad art. 229. p. 553,* & *art. 243. p. 610.* Prelum typographicum, aut ſimilia aliorum opificum inſtrumenta, licet domui firmiter affixa, haberi pro rebus mobilibus: contra trabes, aliamve deſtructi ædificii materiam, pro immobilibus reputari, quamdiu in loco, ubi ædes ſteterant, relinquantur, *ad art. 250. p. 628.* Fœminam, quæ ante completum annum duodecimum nupſerit, ſi vir decedat ante elapſum pubertatis terminum, non poſſe dotalitium petere, *ad art. 253. p. 3. Tom. 2.* Fœminæ, cujus maritus ob diuturnam abſentiam jam mortuus de jure præſumitur, non tamen deberi dotalitium, niſi mors reipſa probetur, *ad art. 253. p. 6. & art. 279. p. 117.* Idem dotalitium non deberi fœminæ, in caſum mortis civilis mariti, *ad art. 253. p. 7.* Nec e contrario viduæ monaſterium ingreſſæ, adeoque civiliter mortuæ, auferri dotalitium, usque ad mortem ejus naturalem, *ibid. p. 8.* Pecuniam pro redimendo ab hoſtibus marito ſolutam, doti in concurſu anteponi, *ibid. p. 9.* Facto teſtamento inter conjuges reciproco, ſi alter deceſſerit, ſuperviventem, ſi in eo ſibi relicta acceptaverit, non poſſe poſtmodum ex ſua parte mutare aut revocare teſtamentum, *ad art. 268. p. 71.* Executorem teſtamenti non poſſe ſibi ipſi ſolvere, quod ſibi in eo relictum, *ad art. 271. p. 83.* Acceptationem & inſinuationem non facere ex donatione mortis cauſa donationem ſimplicem, *ad art. 273. p. 89.* Ejus, qui ſucceſſioni renunciavit, liberos non poſſe, dum renuncians vivit, ſuccedere jure repræſentationis, bene tamē jure proprio, ſi ejuſdem gradus ſint cum iis, cum quibus concurrunt, *ad art. 277 p. 102. ſq.* Creditorem poſſe cogere debitorem, ut hic ſucceſſionem delatam acceptet, *ad art. 278. p. 104.* Equites Melitenſes, ut & eremitas, perinde ac alios monachos, ſucceſſionis incapaces reputari, licet proprie neque-

nequeant dici monaſterium ingreſſi, *ad art.287.p.163.ſq.* Spurios admitti ad vindicationem civilem necis paternæ, *ad art.297.p.201.* Sub alimentis, quæ parentes filiis naturalibꝰ debent, etiam comprehendi ſumtus ad opificium aliquod addiſcendum neceſſarios, *ib.p.202.* imo dotem etiam filiæ naturali conſtituendam, *ib.p.203.* Matrem, etſi minorennem, poſſe tutelam liberorum valide ſuſcipere, *ad art.305.p.228.ſqq.* Ad tempus relegatum non gaudere interim juribus patriæ poteſtatis, *ad art.308.240.* Eum, qui ad alimenta tenetur, obligatum quoque eſſe ad præſtanda medicamenta neceſſaria, niſi morbus fuerit inſolitus, uti peſtis, *ad art.309.p.246.* Peregrinum iis in locis, ubi juri Albinagii obnoxius eſt, non poſſe exercere retractum gentilitium, *ad art.319.p.271.* Hypothecæ a minorenni conſtitutæ, quam major factus ratihabuit, validitatem non computari demum a tempore ratihabitionis, ſed mox a die contractus, *ad art.319.p.272.* Hæc exempli loco adduxiſſe ſufficiat, ex quibus de reliquis facile judicium fieri poterit. Tandem nec illud tacendum eſt, cuivis articulo ſubjici loca parallela, aut eo facentia, ex antecedentibus pariter ac ſubſequentibus harum conſuetudinum: ſed & præterea aut recenſentur ibidem, aut ſaltem allegantur articuli ex Conſuetudinibus Pariſienſium, Andegavenſium, Turonum, Laudunenſium, Britannorum, Biturigum, Engoliſmenſium, Santonum & Rupellanorum, quatenus vel conſentiunt cum hisce Pictonum ſtatutis, vel ab iis diſcrepant. Unde liquet, Commentarium hunc non tantum inſervire addiſcendis juribus Pictonicis; ſed & ejus ope tantum non univerſæ Galliæ conſuetudinariæ leges municipales haud leviter deguſtari poſſe, ſi quis forte aliqualem earundem notitiam habere geſtiat.

CASPARIS ZIEGLERI RABULISTICA, ſive De Artibus Rabulariis Diſſertatio.

Dresdæ, apud Mich. Güntherum, A. 1685. in 4.

TRedecim fere anni elapſi ſunt, ex quo Celeberrimus hujus ſcripti Autor *Dicaſticen* ſuam, ſive de officio Judicum Tractationem edidit: quo in opere abuſus quamplurimos vitiaque, quæ ex parte judicis inviſa plerumque reddere ſolent tribunalia, expoſuit, iisque quoad fieri poſſet, mederi ſategit. Nunc alteram illam judiciorum peſtem, quæque in foro agentes non minus infeſtat, propor endam impugnan-

Digitized by Google

damque ſibi ſumſit. Rabularum nempe perverſitatem, utpote quam tantum non unicam malorum, quæ in fori negotiis ſeſe exerunt, cauſam eſſe judicat, indeque Tertulliani effatum comprobat, dicentis, *plus togas læſiſſe Rempublicam quam loricas.* Hanc ergo malignitatem ut quadantenus reprimeret, aut certe ejus ſectatoribus, vita eorum, quaſi in ſpeculo exhibita, ruborem incuteret, ſtatuit præcipuas iſtorum artes publicæ luci exponere; idque non ſuis adeo verbis, quam ſententiis atque teſtimoniis optimorum quorumque autorum, veterum inprimis, ſub certis capitibus propoſitis ac eleganti ordine connexis. Præmonet vero, ſe hac in re uti voluiſſe Stoicorum methodo; qui videlicet, ſumma ex hominibus ut tollerent vitia, ne minima quidem admiſerint, aut intacta reliquerint. Poſtquam igitur *cap. 1.* in genere egit de advocatorum (quos antiquitus *Oratores*, mediis dein ſeculis *Scholaſticos*, item *Clamatores* dictos fuiſſe, obiter notat,) dignitate, oſtenditque *c.2.* ab hisce vere talibus multum differre Rabulas; jam ad proprietates eorundem diſtinctim demonſtrandas accedit. Et quidem *c.3.* docet, præcipuum artis rabulariæ fomitem eſſe inſcitiam: ad quam a tribunalibus arcendam, neutiquam ſufficere putat præſumtionem, ex gradibus teſtimoniisque Academicis vulgo capi ſolitam, utramque ſcilicet conjunctam cum formidine oppoſiti: ſed ſatius fore autumat, ſi aut examinatores conſueti jubeantur, ad ductum *leg. 11. C. de advoc. div. judicior.* jurati ſub geſtorum teſtificatione depromere, eum qui advocatorum ordini adſcribi cupit, ſufficienti juris peritia inſtructum eſſe; aut judices ipſi examen aliquod de profectibus talismodi candidati inſtituant: multos enim hujus ſcrutinii timore ſponte foro ceſſuros. *Cap. 4.* obſervat, rabulas eſſe impudentes: ubi econtra boni oratores fere non niſi cum pudore ac metu, & perturbatione aliquali loquendi initium facere ſoleant; adeo ut Cicero, oratorum facile princeps, ipſe de ſe alicubi confiteatur, ſe in principiis dicendi expalleſcere, & tota mente atque omnibus artubus contremiſcere. *Cap. 5.* oſtendit, philautia plerumque infectos eſſe rabulas; *c. 6.* grandia loqui ſolere; indeque victoriam cauſæ clientibus promittere, *c. 7.* Ulterius *cap. 8.* rabularum morem eſſe ait, quascunque cauſas promiſcue defendendas ſuſcipere: qua occaſione perſtringit Ciceronem, non tamen ex ſua adeo, quam alterius, Panætii nempe Stoici, mente dicentem: non haben-

Digitized by Google

habendum eſſe religioni contrarium, nocentem aliquando & nefarium impiumque defendere: judicis eſſe, ſemper in cauſis verum ſequi; patroni, nonnunquam veriſimile, etiamſi minus ſit verum. *Cap. 9.* conqueritur, a rabulis cauſas non ſufficienter digeſtas protrudi *in forum*; faces etiam controverſiis atque litibus admoveri, *c. 10. & c. 11*; eosdem inſtruere clientes ſuos, ut facta præfracte negent. *Cap. 12.* docet, cavillationibus atque fraudibus operam dare, & *c. 13.* falſum committere non vereri rabulas, donis etiam quandoque corrumpere judices, *c. 14.* quorſum refert morem quorundam, qui fucatis ſtudiis & quotidianis deducendi, ſalutandi, affectandique officiis præſto ſint, variisque modis obſequia ſua exhibeant judicibus: hic enim pariter, ac Canoniſtæ in crimine Simoniæ, triplex intervenire poſſe pretium ſtatuit, nimirum pretium muneris a manu, muneris *a lingua*, & muneris ab obſequio. *Cap. 15.* perhibet, magicis etiam quandoque artibus uſos fuiſſe cauſidicos, eoque nomine varia adhibuiſſe remedia ſuperſtitioſa, quæ felicem litigiorum eventum procurare crediderint: quorſum refert echeneidem piſcem, ova anguina, & pileos, quibus tecti infantes ex matris utero prodire ſolent; laminas item, ſuperſtitioſis characteribus ſub certo aſtrorum planetarumque adſpectu inſignitas, Talismanicas vulgo dictas. *Cap. 16.* annotat, rabulas pecuniæ ſtudio intentos eſſe; qua occaſione agit de Romanorum Lege Cincia, omne advocatis pretium interdicente, & qua ratione poſtmodum ejus rigor temperatus fuerit, enarrat. *Cap. 17.* tradit, rabulas protrahere ſolere cauſas, nec utile ſibi ducere, eas cito finiri, & *c. 18.* eosdem ſæpe illicita paciſci cum clientibus, quo nomine pactum de quota litis, etiam centeſima, in jure noſtro penitus reprobatum edocet: palmarium tamen ab advocato licite accipi poſſe autumat, modo finita demum lite & datum fuerit & promiſſum. Recenſitis hactenus rabularum technis atque vitiis ſimilia ſunt, quorum in ſequentibus capitibus eosdem incuſare pergit: nimirum *cap. 19.* loquutulejos eſſe & inanium verborum funditatores atque prave facundos; *c. 20.* in clamores & vociferationes ſæpe reſolvi eorum conatus; *c. 21.* conviciis & maledictis pugnare ſolere; *c. 22.* ipſorum allegationes ex *JCtorum* ſcriptis plerumque inanes eſſe & admodum jejunas; *c. 23.* audaces eſſe & ad omnes nequitias promptos; *c. 24.* extenuando pœnam *perjurii*, autores eſſe clientibus, ut juramenta injuncta animoſe

Digitized by Google

præſtent; *c. 25.* prævaricationis ſæpenumero reos fieri; & *c. 26.* appellationis beneficio abuti eosdem ſolere. Tandem *c. 27.* conqueritur, rabularum malitiam a plurimis temere quibuscunque imputari advocatis; cujus rei teſtimonia & exempla complura in medium adducit. Tametſi vero, uti ſupra indigitavimus, Celeberrimo Autori id maxime in præſenti diſſertatione fuerit propoſitum, rabularum perverſitates vivis tantum depingere coloribus, eosque adeo pudore ſaltem confundere: nihilominus non omiſit hac occaſione conſcientiam advocatorum hinc inde informare, atq; contra periculoſas multorum in quibusdam caſibus opiniones ſedulo præmunire. Sic v. g. *cap. 8. §. 9. ſeqq.* latiuscule perſequitur, quasnam cauſas advocato ſuſcipere liceat, & num etiam illas, de quarum juſtitia ſubdubitat; & *eod. cap. §. 14.* cum Rebuffo adſtruit, advocatum ſub pœna maledictionis æternæ teneri debitori dicere, ut ſolvat, ſi ſciat eum debere. Pariter *c. 11. §. 5. ſeqq.* contra Franzkjum evincit, illicitum eſſe in foro conſcientiæ, negare intentionem actoris, & in eventum demum probationis ſubjicere exceptionem; ubi ſimul monet, non ſatis tutum eſſe, Moraliſtarum opiniones in caſibus ejusmodi indiſtincte ſequi, dum horum nimiæ ſubtilitates parum plerumque ſolaminis vulneratis conſcientiis afferre queant. Et *eod. cap. §. 16.* probat, eum, qui in judicio, etiam ſimpliciter, interrogatur ſuper toto debito, non poſſe nude negative reſpondere, ſed teneri ſub peccati reatu, partem quam ex toto iſto liquido debet, propria aſſertione fateri. Similiter *c. 12. §. 1. ſqq.* eos refutat, qui ſtatuunt, advocatum in bona cauſa cavillationes adverſarii tuto poſſe cavillationibus aliis repellere; & *c. 18. §. 11.* probat, pactum de quota litis etiam in foro interno illicitum eſſe; quamvis alioqui plurimi exiſtiment, ejus prohibitionem civilium tantum legum ratione niti, neque conſcientiam tangere. Denique *in fin. præfat.* id etiam ſerio monitos vult omnes, qui in foro verſantur, ne ſi forte adverſus Eccleſias cauſæ perorandæ ſint, argute & ſubtiliter nimis rem ſuam agant, neve argumentis talibus utantur, quibus quaſi per præſtigias a via veritatis excutere earum defenſores queant: ſubeſſe enim omnibus illis actionibus, quæ adverſus eas inſtituantur, occultum quaſi faſcinum, paratamque plerumque iis peſtem imminere, qui dictis factisque ad fallendum inſtructis easdem circumvenire non vereantur.

JOHAN-

JOHANNIS NICOLAI PECHLINI, MED. D. P.
Sereniſs. Cimbriæ Principis Regii Archiatri
THEOPHILUS BIBACULUS,
ſive

DE POTU THEÆ
Dialogus.

Francofurti, apud Joh. Sebaſt. Riechelium, 1684. in 4.

CUm ſtatim Thea Chinenſium, a primo tempore quo noſtris regionibus nota eſſe cœpit, varia eaque diverſiſſima ſuſtinuerit fata, excepta nimirum a quibusdam non ſecus, ac de cœlo miſſus omnium morborum averruncator, ab aliis vero penitus damnata: ſuſcepit Nobiliſſimus Autor in præſenti dialogo curatius hujus herbæ examen, *quam hactenus ab ullo* præſtitum. Summa totius argumenti hæc eſt. *Primo* ſpeciem ac formam plantæ conſiderans, Theam nec conſolidam, nec bellidem, nec palinurum, nec chamæleagnum Dodonæi aut myrtum Brabanticam, nec betonicam vel aliam plantam eſſe, ſicuti hactenus Botanographorum maxima pars perperam docuit, ſed fruticis (ad roſæ Europeæ altitudinem exſurgentis, floresque figura & colore roſæ noſtræ ſylveſtris, excepto odore, ſimilimos ferentis,) folia, ex accuratiſſima Piſonis ac Bontii deſcriptione evincit. Poſt illa inquirit, an non e noſtris plantis alia poſſit in locum Theæ ſurrogari, eoque variis experimentis adductus inclinat, vix ullam præter veronicam locum ejus commode ſupplere poſſe. Culpam hujus rei non tam defectui efficaciæ noſtrarum plantarum imputandam exiſtimat, quam incuriæ, in exſiccatione ac aſſervatione illarum a Pharmocopæis admiſſæ. Extollit propterea Theæ potum inſigniter, viresque ejus penitus ſingulares contra ſcorbutum, crapulam, ſomnolentiam, podagram, calculum, aliaque primarum & ſanguinis viarum vitia deprædicat: hæret tamen, num ſalinis aut aliis partibus Theæ magis hæ virtutes, quam ſoli aquæ calidæ, vehiculo ſc. virtutis medicamentoſæ ex *Thea* elicitæ, in acceptis ferendæ ſint. Aſt quoniam paradoxum ſatis primo intuitu videtur hoc aſſertum, probat illud ratione & experientia. *Ratio* eſt, quod aqua ut ſimplex & cruda, nullarumque pene qualitatum *particeps*, ſalium in corpore abundantium ſpicula promptiſſime in ſe bibat; ut calida vero, felicius ad minimas vaſorum latebras

pro-

Digitized by Google

propellatur, imo per cuncta excretiora organa, ſine impedimento effluat. Quoad experientiam, novit Autor archiatrum, qui non in calculo ſolum & podagra, ſed febribus etiam ardentibus, ſolo aquæ calidæ liberaliori potu ægrotantibus imperato, ſuſtulit ex voto atrociſſimos hos morbos. Reprehendit hinc præpoſterum uſum Theæ cum lacte & juſculis decoctæ, vel quando pulveriſatam Theam ſimul ſorbere ſolent. Tandem nunquam non cautione ſumma circa uſum hujus potus opus eſſe pronunciat, nunc reſpectu ipſius decocti, nunc ſubjecti, nunc quantitatis, nunc temporis, quo hauriendus ille eſt.

Præter hæc de Theæ potu, cum inſcriptio elegans & diverſa carmina, elogia & vituperia Theæ continentia, item de Chacolata, Caffi, hydropoſiæ utilitate, aliisq; nutritivis ac inebriativis potulentis, & plura inſuper alia erudita juxta ac curioſa hinc & inde ab Autore ſint inſperſa, etiam in illis reperturum Lectorem, quæ deſiderio ejus abunde ſatisfaciant, non dubitamus.

HISTOIRE GENERALE DES INSECTES, PAR JEAN Swammerdam, Docteur en Medecine.

id eſt:

Hiſtoria generalis Inſectorum, auctore Jo. Svvammerdammio, Doctore Medico.

Ultrajecti ad Rhenum, apud Joh. Ribbium, A. 1685. in 4.

JAmdudum liber hic naturalis ſcientiæ cultoribus innotuit, anno 1669. Belgico idiomate Ultrajecti editus. Propoſitum imprimis Clariſſimo Auctori fuit, communem fere ſententiam de inſectorum metamorphoſi convellere. Quo in argumento tam præclare ac diligenter verſatus eſt, ut operam minime inutilem ſuſcepiſſe cenſendus ſit, qui librum e Belgico in Gallicum ſermonem tranſtulit. Utinam vero libri boni omnes, quos doctioribus ingeniis debemus, vel ſcriberentur Latine, vel in Latinam linguam traducerentur! Ita enim non uni alterive nationi, ſed univerſo orbi litterato, cui Latinus ſermo communis eſt, conſultum foret.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno M DC LXXXV.

B. THEODORETI EPISCOPI CYRI OPERUM Tomus V, nunc primum in lucem editus, cura & ſtudio Johannis Garnerii Presbyteri Societatis Jeſu. Opus poſthumum.

Pariſiis, apud viduam Edmundi Martini, 1684 in fol.

TAntum fuit erga *Theodoreti* quæ ſuperſunt opera, eruditorum noſtro & ſuperiore ſeculo ſtudium, ut in iis interpretandis & edendis facto velut agmine certarint. Nam ſelectas ejus quæſtiones ad heptateuchum, ſeu ſeptem priores ſacri codicis libros, Latine vertit & poſtea A. C. 1558 Græce quoque edidit Lutetiæ *Johannes Picus*, in Senatu Pariſienſi claſſium inquiſitoriarum Præſes, qui hic ſibi non ſubſiſtendum ratus, ejusdem Patris in Jeremiam commentarios Latine a ſe redditos A. C. 1564. ibidem evulgavit.

Cum autem in ſelectis ad librum Judicum quæſtionibus quædam deeſſent, ea ex alio codice, quem Tridenti, dum concilio intereſſet, nactus eſt, liberaliter ſupplevit, & ſimul Theodoreti ſelectas ad libros Regum & Paralipomenon quæſtiones, Latino idiomate a ſe expreſſas addidit *Gentianus Hervetus* Canonicus Remenſis, qui præterea diverſis temporibus Theodoreti in epiſtolas Paulinas commentarium, Eraniſten ſeu Polymorphum cum quinque hæreticarum fabularum libris, & Philotheum ſeu religioſam hiſtoriam, una cum Palladio ſimilis argumenti ſcriptore editam, Latinitate donavit; e quibus Theodoreti operibus Eraniſtes & hæreticarum fabularum libri Cardinalis *Ardingelli* ſtudio Græce Romanis typis editi fuerunt, antequam Latina Herveti verſio prodiret.

Poſt Hervetum Dialogos, qui Eraniſtæ ſeu Polymorphi titulo gaudent, *Martinus Mollerus* Gorlicii Germanice, & *Victorinus Strige-*

lius adjectis annotationibus Latine interpretatus eſt, cujus verſio una, cum Græco textu hic Lipſiæ impreſſa, & poſt A. C. 1593 Tiguri cum analyſi & notis *Beumleri* recuſa prodiit. Idem Stigelius Lipſiæ A. C. 1566 decem Theodoreti de providentia ſermones Latine a ſe factos publicavit, quos jam ante viginti annos A. C. 1546. *Rudolphus* quoque *Gualtherus* Latinos reddiderat, cum A. C. 1545 Romæ a *Nicolao Majorano* Græce editi fuiſſent.

Haud ſegniores enim Germanis & Gallis Itali fuerunt, in quorum numero præter Ardingellum & Majoranum paulo ante memoratos, *Antonius Camſa*, qui Patavii A. C. 1564 Theodoreti in Pſalmos commentarium in Latinum ſermonem convertit, eundem Græce quoque editurus, ſi librarios propoſito ſuo faventes habuiſſet. Paulo ante, nempe A. C. 1563, Romæ ex Manutii officina Theodoreti in canticum canticorum commentarius prodiit, a *Franciſco Zino* Veronenſi Latine verſus, quem interpretis nomine *Petrus Galeſinius* Pio IV Pontifici Maximo dedicavit. Qui cum quatuor Cardinalibus negotium dediſſet, ut & aliorum, & Theodoreti inprimis in prophetas commentaria in Latinam linguam transferri, & publici juris fieri curarent, ab his incitatus *Johannes Baptiſta Gabius* Theodoreti in Danielem & Ezechielem commentarios aggreſſus eſt, qui A. C. 1562 & 1563 Manutianis typis impreſſi in publicum exiverunt. Commentarii autem in XII Prophetas minores jam ante triginta annos, A. C. 1533, *Petro Gillio* interprete editi fuerant, Lugduni apud Gryphium excuſi.

Hiſtoria Theodoreti eccleſiaſtica, quæ Græce Baſileæ A.C.1535, & novem poſt annis cum Euſebio & reliquis autoribus hiſtoriæ eccleſiaſticæ apud Robertum Stephanum prodiit, præter *Epiphanium* Scholaſticum, cujus verſione in tripartita *Caſſiodorus* uſus eſt, interpretes habuit ſuperiore ſeculo *Joachimum Camerarium*, cujus verſionem Baſileæ ex officina ſua Frobenius emiſit, & *Johannem Chriſtophorſonum*, noſtro vero ſeculo *Henricum Valeſium*, qui etiam eruditas annotationes ad hanc Theodoreti hiſtoriam ſubjecit, ut duos Gallicos interpretes, alterum antiquiorem *Martinum Mathæum* Priorem monaſterii novi apud Pictavos Ord. Cluniacenſis, & alterum recentiorem *Couſinum* curiæ monetariæ Præſidem taceamus, quorum poſterior, cum ſpreta Marii Mercatoris ante aliquot annos a Garnerio editi autoritate, prolixam pro Theodoreto apologiam interpretationi ſuæ

Digitized by Google

ſuæ addiderit, paſſim in hoc Gameriano Theodoreti auctario cenſoria virgula notatur.

Librum Theodoreti, qui Græcarum affectionum curatio inſcribitur, *Zenobius Acciaolus* Florentinus Ord. Præd. Latine a ſe redditum Leoni X dedicavit, & Henrico Stephano, cujus opera Pariſiis 1519. primum prodiit, typis edendum tradidit, cui poſtea A. C. 1592 Græcum textum & annotationes in typographeo Commeliniano *Fridericus Sylburgius* adjecit; ut Theodoreti orationem de caritate cum *Gerardi Voſſii* notis Romæ & Coloniæ impreſſam, epiſtolam ad Johannem Antiochenum a *Leone Allatio* in vindiciis ſynodi Epheſinæ, & *Johanne Baptiſta Cotelerio* in monumentis eccleſiæ Græcæ editam, aliaque hujus generis plura taceamus.

Operæ autem omnino pretium fecerunt, qui diverſa Theodoreti opera uno ſunt volumine complexi. Quod inter primos fecit *Paulus Manutius*, qui bonam partem operum Theodoreti, ſparſim antea editorum, in unum collegit & A. C. 1566 Romæ publicavit. At anno proxime ſecuto 1567, iterumque A. C. 1573 Coloniæ apud Johannem Birckmannum, nec non Pariſiis A.C. 1608 ex officina Hierati, & rurſus Coloniæ A.C. 1617 omnia Theodoreti opera, in duos tomos diviſa Latine prodierunt; donec tandem *Jacobi Sirmondi* ſtudio & Græca acceſſerunt. Is enim Theodoreti opera longe majori apparatu Pariſiis A.C.1642 Græce & Latine edidit, eademque in quatuor tomos diſtribuit, in quibus Græca cum manuſcriptis diligenter contulit, Latinas Pici, Herveti, Carafæ & reliquorum verſiones, ut Græco textui paribus, quoad fieri poſſet, ſpatiis reſponderent, modo parcius, modo liberius mutavit & correxit, nonnunquam etiam, ut in hiſtoria eccleſiaſtica, ex duabus Camerarii & Chriſtophorſoni verſionibus, cum neutra ipſi ubique ſatis commoda videretur, unam conflavit, & non modo plurima, quæ hactenus Latine tantum lecta fuerant, ut religioſam hiſtoriam, quæſtiones in libros Regum & Paralipomenon, & pleroſque ad ſacram Scripturam commentarios Græce, ſed etiam nonnulla, quæ hactenus ne Latine quidem lucem aſpexerant, ut epiſtolas 147, Latina verſione donata primus in medium produxit.

Et ad quatuor hos Theodoreti tomos, a Sirmondo duobus & quadraginta abhinc annis editos, nunc tomus quintus ſeu ope-

G 2 rum

Digitized by Google

rum auctarium accedit. Autor eſt Jeſuita *Johannes Garnerius*, ſcriptis ad Juliani Eclanenſis libellum, ad Marii Mercatoris opera, ad Liberati breviarium, & ad diurnum Pontificum librum notis ac diſſertationibus, aliisque ingenii monumentis jam pridem celebris, qui dum in Societatis ſuæ negotiis Romam iret, A. C. 1681 in ipſo itinere diem ſuum obiit, cum fœtus hic jam pridem promiſſus & expectatus nondum in lucem exiviſſet, quem poſthumum nunc *Johannes Harduinus* ſpectandum exhibet.

Continentur hoc auctario Theodoreti methodus ſeu compendioſa ratio de diſpoſitione pſalmorum, aliaque excerpta ad pſalmos inprimis referenda; item epiſtolæ nonnullæ ac ſermones, fragmentum pentalogii, & alii tractatus integri pariter atque mutili, quorum aliqui nunc primum in lucem prodeunt, cæteri alias editi nunc primum ad Theodoreti opera accedunt; cujus generis ſunt ſeptem dialogi de Trinitate contra Eunomianos, Apollinariſtas & Macedonianos. Illi enim partim a *Theodoro Beza*, partim ab *Abrahamo Sculteto* in Latinam linguam converſi, jam pridem inter Athanaſii opera leguntur, poſtea quoque a *Francisco Combefiſio* novo interprete ex parte S. Maximi operibus inſerti, quos nunc omnes in alium ordinem redactos & nova verſione donatos Theodoreto Garnerius vindicavit. Epiſtolis Theodoreti, quas auctarium hoc exhibet, præfigitur commonitorium *Poſidonio* Romam eunti datum & nunquam antea editum, quo *Cyrillus Alexandrinus*, quis palmarius Neſtorii error fuerit, & quid ejus cauſa, *Philippum Presbyterum* inter & *Celeſtium* Pelagii conſortem actum fuerit, exponit. Sermones vero ſeptem & viginti, quos *Photius* in bibliothecæ ſuæ codice 46 Theodoreto tribuit, cum hactenus plerique inter Athanaſii opera latuerint ejusque nomen præ ſe tulerint, Garnerius nec Theodoreto nec Athanaſio deberi cenſet, ſed eos omnes *Eutherio Tyanenſi* tribuit, peculiarem de Eutherio ejusque libris diſſertationem jam pridem pollicitus. Verum ea diſſertatio poſt ejus exceſſum inventa non fuit ab iis, quibus hos Eutherii ſermones Theodoreti auctario appendicis inſtar adjicere placuit. Interim viri diligentiſſimi notis & obſervationibus, quas pleriſque Theodoreti opuſculis, & opuſculorum fragmentis hoc auctario comprehenſis, ut iis & fidem conciliaret & lucem affunderet, adjecit, & quinque diſſertationibus ad Theodoreti res ſpectantibus fruamur.

Ac

Digitized by Google

Ac *prima* quidem *diſſertatione*, quo tempore, quo eccleſiæ ſtatu, quo loco, quibus parentibus, & quibus miraculis Theodoretus natus fuerit, in quorum ſinu & complexu adoleverit, quos magiſtros, quos condiſcipulos habuerit, quibus gradibus ad epiſcopatum provectus fuerit, quibus interfuerit conciliis, quæ certamina cum hæreticis pariter & orthodoxis aggreſſus, quibus calamitatibus obnoxius fuerit, quantæ turbæ, cum fatis ſuis defunctus jampridem quieviſſet, ejus cauſa alternante fortuna per 160 annos, etiam poſt Synodum V generalem, qua horribilis hæc tempeſtas pacata videri poterat, multis remugientibus nec in ſynodi ſententia acquieſcentibus, agitatæ fuerint, & ut paucis dicamus, *univerſam Theodoreti viventis & mortui hiſtoriam*, quam ob varias mutationes, ſubitos caſus & inſperatos eventus, cum theatricis narrationibus comparat, viginti capitibus exponit. Laudat in viro pietatem & morum innocentiam, opum aliarumque rerum humanarum contemptum, ingenium capax, felicem memoriam, indefeſſum literarum ſtudium, ſtupendam eruditionem & dicendi facultatem, zelum adverſus Marcionitas, Apollinariſtas & alios hæreticos, aliaque domi & foris præclare geſta. Reprehendit contra philautiam, nimium gloriæ amorem, & pertinaciſſimum partium ſtudium. Arguit eundem, quod non tam ex modeſtia, quam præ ſe tulerit, quam nobilioris eccleſiæ deſiderio, Cyrenſem epiſcopatum invitus ſuſceperit. Dolet, quod cum magiſtrum ſcientiæ *Theodorum*, eloquentiæ *Chryſoſtomum* habuiſſet, Chryſoſtomi eloquentia ad tuendos Theodori errores abuſus fuerit. Notat ipſum, dum ad perſpiciendos hæreticorum errores omnem animi aciem intenderet, id fuiſſe paſſum, quod oculi vehementer affecti ſolent, nempe ut nonnunquam totam hæreſin videre ſibi videretur, ubi minima ejus ſpecies vel umbra appareret. Deplorat, quod a *Neſtorio*, quem in monaſterio S. Euprepii contubernalem & ſtudiorum commilitonem habuerat, in graviſſimos errores abreptus, Cyrillum Alexandrinum impugnaverit, & non ſolum in vivum amarulenta convicia ore & calamo congeſſerit, ſed mortuo quoque inſultaverit. Improbat, quod poſt concilium Epheſinum, pace inter *Cyrillum* & *Johannem Antiochenum* inita, novæ factionis dux & *Acephalorum*, qui neque Cyrillo neque Johanni adhæſerunt, caput extiterit, nec ante quam in ultimo ſeceſſu, cum gloriæ amor procul hominum conſor-

tio paulatim langueſceret, virus alte animo inſidens depoſuerit. Tandem enim in pace eccleſiæ defunctum, & fortaſſe, cum vulgo beati titulo gaudeat, ſanctum dici meruiſſe cenſet. Qua in re ſupremi Numinis benignitatem ſic commendat, ut plus fere Theodoreti meritis, & monachorum apud Deum interceſſioni tribuere videatur. Mortuum exiſtimat A.C.458, quod tempus a *Sirmondo* anticipatum, & a *Marcellino Comite* ultra modum dilatum eſſe notat.

In *diſſertatione ſecunda*, quæ de *libris Theodoreti* inſcribitur, Autor præmiſſis quæſtionibus chronologicis de epiſcopatu & ordinatione Theodoreti, primum quid ipſe Theodoretus de Scriptis ſuis tradiderit, deinde quid de iisdem *Gennadius, Photius, Nicephorus Calliſtus*, & *Hebed Jeſu* in catalogo librorum Chaldæorum *ab Abrahamo Ecchellenſi* edito retulerint, cenſuris ſuis ad expreſſa ſingulorum teſtimonia ſubjectis memorat. Hinc omnia Theodoreti opera, juxta ordinem quo in quatuor Sirmondi tomis digeſta ſunt, ſic recenſet, ut ſingulorum genium diſerte exprimat, quando & qua occaſione ſcripta fuerint diligenter inquirat, & ſubinde nonnulla *ἀξιομνημόνευτα* obſervationibus ſuis additis excerpat. Ex plurimis quæ hic occurrunt notatu digna, pauca delibaſſe ſufficiat.

De commentario in canticum Salomonis, ſitne genuinum Theodoreti opus, prolixe diſputat, & quamvis id longa poſſeſſione quaſi præſcriptum videatur, collatis tamen rationibus magis in alteram ſententiam inclinat, cum jam in diſſert. 1. p. 112. commentarium illum expreſſis verbis Theodoreto ſuppoſitum cenſuiſſet. Refert autem, in anonymo quodam ad canticum commentario, quem in Sirmondi bibliotheca manuſcriptum viderit, ſe nonnulla Theodoreti indicia deprehendiſſe, & parum abfuiſſe, quin eum Theodoreto adjudicaſſet, niſi minor ſtyli elegantia & aliæ nonnullæ rationes obſtitiſſent. Et hic forte eſt myſticus ille in canticum canticorum commentarius, quem Garnerius ſe in hoc auctario p. 258 edere profitetur. Verum his promiſſis non ſtetit, qui poſthumi fœtus curam in ſe ſuſcepit. E commentariis in Jeremiam, inſignem Theodoreti diſſertationem notari cupit, qua errores *Apollinarii* chiliaſticos, a plerisque hæreſeologis prætermiſſos, egregie confutat. Verum ea Theodoreti diſſertatio non in commentariis ad Jeremiam, ſed in commentariis ad Ezechielem legitur; quamobrem hic aut Garnerii calamus, aut librariæ operæ erraverint oportet. De

Digitized by Google

De hiſtoria eccleſiaſtica obſervat, Theodoretum æſtu doloris abreptum, & ingenio ad vindictam abuſum, iraſcentis facundiæ tam celeres motus habuiſſe, ut intra ſemeſtre ſpatium opus hoc abſolverit, & hanc ipſam feſtinationem, cum animi turbulentia conjunctam, in cauſa eſſe, cur ſæpiuſcule in rerum geſtarum commemoratione hallucinatus fuerit. Id autem inprimis Theodoreto in hiſtoria eccleſiaſtica propoſitum fuiſſe, ut in Ario, Eunomio, Apollinari & Macedonio, Cyrillum ejusque aſſeclas traduceret, in Athanaſio & Chryſoſtomo Neſtorium commendaret, & ubique ſub alienis nominum involucris mera quaſi myſteria artificioſe occultaret, non incertis indiciis deprehendi poſſe opinatur. Philotheum ſeu religioſam hiſtoriam dum commemorat, *Baronii* de Simeonis Stylitæ annis ſententiam refutat; contra *Rivetum* & *Hottingerum*, qui opus hoc interpolatum arguunt, inſurgit; & ſingula ejus capita, non minus ac ſingulas Theodoreti epiſtolas, ſuis obſervationibus illuſtrat. Eraniſtæ ſeu Polymorphi libros gemina Theodoſii ſanctione flammis haud præter meritum addictos tradit, cum in eo Theodoretus omni vi ac arte in id contenderit, ut diſſimulato Neſtorianiſmo lectorum animos faſcinaret. In libris hæreticarum fabularum id agere Theodoretum exiſtimat, ut occulte & callide fontes oſtendat, e quibus Cyrilli capita ortum ſuum traxiſſe cenſuit, iisque pro more invidiam faciat. Orationes decem de Providentia ab admirabili eloquentia commendat. Opus de Græcorum affectionibus curandis, in quo Sylburgius centum & novem Autores allegatos numeravit, *Juliani Apoſtatæ* libro oppoſitum eſſe ſcribit; quem cum Cyrillus Alexandrinus presſis quaſi veſtigiis, & ſubjectis ad ſingulas pericopas reſponſionibus confutaverit, Theodoretus alia methodo uſus, collectis in concinnum ordinem Juliani objectionibus, refellat. Ubi nec illud ſilentio prætermittendum, quod in hoc auctario *Fulvii Urſini* emendationes in librum hunc de Græcarum affectionum curationibus, ex Vaticana bibliotheca publicantur. Ad reprehenſionem anathematiſmorum Cyrilli ubi pervenit, lectorem ad ea remittit, quæ jam ad opera Marii Mercatoris, qui hanc Theodoreti cum Cyrillo concertationem primus Latine interpretatus eſt, fuſe diſſeruit.

Hæc cæteraque Theodoreti a Sirmondo edita opera poſtquam recenſuit, ad ea ſpecialiter enumeranda tranſit, quæ Theodoreto a *Genna-*

Digitized by Google

Gennadio, Photio, Gabriele Philadelphienſi, Johanne Alexandro Bruſſicano & aliis ſuppoſita fuerunt; ubi inter alia epiſtolam ad Sporatium a *Theodoreto* quodam *juniore*, qui Cyrenſis Theodoreti hiſtoriam eccleſiaſticam continuaverit, ſcriptam ſuſpicatur. Ac ne huic diſſertationi de libris Theodoreti aliquid deeſſe videatur, ea quoque cenſuræ ſuæ ſubjicit, de quibus præter ſolam memoriam nihil hodie ſupereſt. De iis autem, quæ hoc auctario continentur, Theodoreti ſcriptis, cum ſingula ferme ſubjectis notis illuſtraverit, peculiariter diſſerere ſupervacuum exiſtimavit, ſeptem tantum dialogis de Trinitate, qui hanc de Theodoreti ſcriptis diſſertationem excipiunt, ut eos Theodoreto vindicaret, nonnulla ad hoc argumentum ſpectantia præmittere contentus.

In *tertia diſſertatione de Theodoreti fide*, qualis in nonnullis Chriſtianæ doctrinæ capitibus fuerit, quæſtio movetur. Hic vero Autor a Trinitatis myſterio exorſus, Theodoretum proceſſionem Spiritus Sancti a Filio negaſſe profitetur, ſed primum hujus erroris autorem non Theodoretum, quod poſt *Calecam Bellarminus* aſſerit, ſed Theodoreti magiſtrum *Theodorum Mopsueſtenum* fuiſſe ſtatuit. Hinc ad alia fidei capita progreſſus, ut quæ Theodoreti de unione perſonali ſententia fuerit, planius conſtet, diverſas accuſantium & defendentium ſententias recenſet, & utriusque partis argumentis inter ſe collatis, ἐπίκρισιν ſuam addit novem animadverſionibus comprehenſam, quarum ſumma eo tendit, ut illorum argumenta, qui contra Theodoretum ſentiunt, majoris eſſe momenti atque ponderis evincat. Corporis & Sanguinis Chriſti in euchariſtiæ Sacramento realem præſentiam Theodoretum crediſiſſe, extra dubitationis aleam poſitum agnoſcit; non æque, an tranſubſtantiationem admiſerit, quam ab eo nusquam aperte vel aſſertam vel negatam tradit; in eam tamen, ut videtur, ſententiam inclinans, quod ad conſubſtantiarios, quo invidioſo nomine Lutheranos a Calvinianis diſtinguit, propius accedat. In articulo de peccato originis, baptiſmo parvulorum, & auxiliis interioris gratiæ, etſi Theodoretus ipſe a Celeſtianis & Pelagianis non alienus videatur, cum Theodorum Mopsueſtenum Pelagii præcurſorem perpetuo admiretur, & immenſis in cœlum laudibus extollat, Celeſtii & Pelagii in hæreticorum catalogo mentionem nullam faciat, & multa Scripturæ dicta Pelagiano more in-

re interpretetur, non per omnia tamen cum Celeſtianis & Pelagianis eum conſentire arbitratur, plurimaque ejus dicta cum orthodoxis Patrum ſententiis benigna interpretatione conciliari poſſe ſtatuit, ſi ea ratione cum Cyrenſi hoc Antiſtite agere velimus, qua Auguſtinus Chryſoſtomum tractavit. De purgatorio ita ſtatuiſſe Theodoretum cenſet, ut nec ii, qui purgatorium impugnant, nec ii qui defendunt, ejus teſtimonio magnopere gaudere poſſint. Porro Theodoretum viſionem Dei per eſſentiam negaſſe aſſerit, nec liquido conſtare, an crediderit, quod ſancti, quamprimum anima eorum corpore egreditur, æterna felicitate perfruantur. Tandem angelorum cultum non ſimpliciter a Theodoreto, ſed eum tantum, qui Cerinthianis proprius fuerit, improbari, contra hæreticos, quos fingit, aſſerere conatur.

In diſſertatione quarta, quæ criticæ titulo inſignitur, *de Synodo V. generali* diſceptatur, de qua etiam poſt notas ad Liberati breviarium peculiaris Autoris diſſertatio legitur, inter *Petrum Halloixium* & *Henricum de Noris* arbitram ſententiam dicentis. Nunc vero plenius geſta illius Synodi ſub examen vocat, ac primum de ſanctione Imperatoris adverſus Origenem, quo tempore facta fuerit, & de concilio ſub Mennæ auſpiciis adverſus Origeniſtas coacto, item de edicto Juſtiniani adverſus tria capitula, & concilio ſub Menna de iſtis capitulis habito diſquirit; deinde ad ipſam V ſynodum accedens, ſingulas ejus collationes ſuis obſervationibus illuſtrat, ac poſtremo loco, quid de confirmatione iſtius concilii, quæ a diverſis Romanis Pontificibus facta legitur, ſentiendum ſit enarrat, ubique ſub nuperi diſſertatoris nomine Noriſium impugnans.

Quinta denique *diſſertatio de cauſa Theodoreti & Orientalium*, nihil aliud continet, quam variorum Patrum epiſtolas, primum a *Chriſtiano Lupo*, & nuper iterum a *Stephano Baluzio* in nova Conciliorum collectione, ſub nomine Synodici adverſus tragœdiam Irenæi editas, & ab utroque notis illuſtratas. Verum cum de iſto epiſtolarum Syntagmate menſe Aug. 1683, & denuo eodem menſe anni 1684 actum fuerit, idem nunc agere nolumus, cum præſertim inſtituti noſtri ratio jampridem nobis finem injungere videatur.

TYPUS MEDICINÆ MORALIS. Das iſt/ Entwurff einer vollſtändigen Sitten-Lehre/ nach Art der leiblichen Artzney-Kunſt/ mit Verteutſchung aller Kunſt-Wörter abgefaſſet/ &c.

i. e.

Typus Medicinæ Moralis, ſive delineatio Ethicæ perfectæ, ſecundum ideam medicinæ corporum, & cum verſione Germanica omnium terminorum artis. Huic acceſſit Diæta moralis Philoſophico-Chriſtiana, latius explicata, & Chriſtianiſmi legibus accommodata, per quam oſtenditur, quibus mediis, tum rationalibus, tum ſpiritualibus, ſecundum ductum diætæ corporalis, vita ad præſcriptum virtutis inſtituenda ſit. Auctore *Vincentio Placcio* J. V. L. Phil. Pr. & Eloqu. P. P.

Hamburgi apud Autorem, & Francofurti apud Zunnerum, 1685 in 8.

Moralis doctrinæ utilitas etſi per ſe patet, ab egregiis tamen ſcriptoribus non ſine cauſa ſæpiſſime commendatur; inter quos ipſe hujus libri autor, Vir Clariſſ. *Vincentius Placcius*, Gymnaſii Hamburgenſis Profeſſor celeberrimus, cujus Inſtitutiones Juris reconcinnatas in Actis anni 1682, p. 399 memoravimus, jure cenſendus eſt, edito jam anno 1677 commentario eruditiſſimo in *Fr. Bac. Verulamii Libr. VII de augm. ſcient.* & anno ſequenti, tractatu pio & utili *de fructu præcipuo Philoſophiæ moralis.* Nec minorem applauſum merebitur, ſi cætera, quæ & in aliis diſciplinis, & in morali meditatus eſt, aut parata habet, & quorum ſpem in commentario, quem allegavimus, fecit, in publicum produxerit. Partem ſane promiſſi, editione hujus Medicinæ moralis, cum laude nunc præſtitiſſe æquis lectoribus videbitur. Scopum namque ejus nemo non probabit, cum verum, ſummum & unicum bonum, in unione ſeu amicitia hominis cum Deo, etiam ex Philoſophiæ ſive rationis humanæ axiomatibus

tibus oſtendit, & per hæc progrediendum eſſe indicat, ad perfectiorem ejus notitiam, & certiorem adeptionem, cujus viam & praxin divina revelatio, ſive religio Chriſtiana, aperit. Hanc methodum, qua defectus Ethicorum Ariſtotelis corriguntur, a plurimis inſignis pietatis & doctrinæ viris deſideratam eſſe ſatis conſtat, inter quos primarium locum ſibi merito vendicare poteſt D. Lutherus, cum in graviſſima *ad Nobilitatem Germanicam anno 1520 edita paræneſi*, inter emendationes rei Chriſtianæ, argumentum iſtud pro candore & zelo ſuo tractavit. Sed non minus laudabile eſt, quod Autor, ſi non primus, certe inter primos, moralem diſciplinam lingua patria acroamatice explicare aggreſſus eſt. Difficultate nempe id non caret, apud Germanos præſertim, quibus non æque ac Italis & Gallis, (quorum idioma ex Latinæ linguæ ruderibus componitur,) aut aliis nationibus familiare eſt, gloſſemata Latina promiſcue ſuæ interſerere linguæ. Quapropter quod Tullio, qui Græcos Philoſophos ore Latino primus cum ſucceſſu & decore loqui docuit, & qui inter alias gentes eandem viam primi inierunt, accidit, evitari vix poteſt, quin exſurgant, qui vel conatum talem reprehendant, aut de effectu deſperent. Sed cœpto in his opus eſſe experientia docuit; neq; enim quidquam tam aſperum & inſolens eſt, quod uſu & aſſuetudine non lævigetur, & tandem laudatores & imitatores inveniat: accedente præſertim lima ſecundæ curæ, qua duriuſcula emolliantur, ambigua & laxiora ad ſtabilem & certum ſenſum reducantur, & dialectorum nævi, quorum nulla ex linguis popularibus plane expers eſt, emendentur. Tyrocinium in Germanico ſtylo poſuiſſe ſe nunc ipſe, qua eſt ingenuitate, fatetur Autor; neque tamen ejus pœnitere eum debet, etſi novis quandoque compoſitionibus aut ſignificationibus indulſerit, auſusque ſit, magnorum virorum exemplo, *fingere cinctutis non exaudita Cethegis*. Cæterum ut de materia tractatuum quædam referamus, *primus* in quinque partes diſtributus eſt, quarum ſingulæ ex analogia artis Medicæ, quæ Autori, præclari olim Medici filio, veluti hæreditaria eſſe videtur, nomina acceperunt. Prima dicitur *Phyſiologia moralis*, in qua de natura hominis, quatenus de ea moralis diſciplinæ ſtudioſi inſtrui debent, methodice & ſuccincte agitur. Altera *Hygiene* monſtrat, quomodo ad ſummum bonum, pietatis & virtutum ſtudio & praxi, perveniri poſſit. Siſtitur tamen

Digitized by Google

hæc doctrina intra terminos Philoſophiæ, ſed ita ut ad Theologiam practicam aditum faciat. Tertia *Noſologia* oppoſita ſingulis virtutibus vitia deſcribit. Quarta *Semejotica* ſigna & characteres, ad quos conſcientia examinari & cenſeri debet, explicat. Quinta *Therapeutica* emendationem & medicinam morum docet, veramque à falſa & fucata diſcernit. Hæc omnia, ut Autor in titulo libri non fruſtra indicare voluit, typum vel delineationem ſaltem exhibent, magna rerum methodice digeſtarum, ſive vocabulorum potius, aut breviſſimarum definitionum farragine, in paucas paginas redacta, ut attentum omnino & terminorum ſcholaſticorum non ignarum lectorem requirere videantur. In *appendice* promittitur elaboratio doctrinæ *de medicina morum ſpeciali*, quomodo nempe ſingulis vitiis, & cognoſcendis, & corrigendis ſalubris opera impendi poſſit. Spes etiam fit explicationis *juris naturalis*, ſive de exercitio juſtitiæ & officiorum in omnibus contractibus & negotiis inter homines, & denique monetur, quam neceſſarium ſit ſcrutinium revelatæ a Deo veritatis; ſine qua inutilis eſt Philoſophiæ quamvis acutiſſimæ ad ſummum bonum adipiſcendum conatus, licet ad veritatem religionis Chriſtianæ agnoſcendam viam ſternat; quod pluribus argumentis eviciſſe ſe refert Autor in tractatu ſupra laudato, *de præcipuo Philoſophiæ moralis fructu*. Tractatus alter, cui titulus eſt, *Diæta moralis*, jam non ſciagraphiam aut ſceleton, ſed corpus exhibet, pulchritudine & ſucco placiturum. Conſtat hoc ex perpetuo parallelismo methodi, corpus & mentem ſanandi & ſervandi. Magnam vero & Chriſtiano viro digniſſimam induſtriam præſtitit Autor, quod non ſolum ex præceptis Philoſophiæ, iisque optimis, ſed & ex penetralibus religionis Chriſtianæ cum judicio hauſit, & theſibus ſubjunxit, verbis ſelectiſſimis expreſſa, & exquiſitis Scripturæ S. locis ſtabilita, quæ ad ſalutem animæ conducunt. His igitur ad methodum medici, ſumtis non ſine eleganti artificio a cibo & potu, a reſpiratione, a retentione & excretione, a motu & quiete, a ſomno & vigilia, & ab affectibus, comparationum locis, ingens egregiarum admonitionum cumulus in paucis foliis deprehenditur, quæ omnibus ad ſeriam pietatem magnos, ut ſperamus, ſtimulos addere poterunt.

QUA-

Digitized by Google

QUATRE DIALOGUES. I. SUR L' IMMORtalité de l' Ame. II. Sur l' Exiſtence de Dieu. III. Sur la Providence. IV. Sur la Religion.

i. e.

Dialogi quatuor. I. De immortalitate animæ. II. De Exiſtentia Dei. III. De Providentia. IV. De Religione.

Lutetiæ, apud Sebaſt. Cramoiſium, 1684 in 12.

SUmmam aut ſcopum horum Dialogorum, non inepte quis dixerit elogium eſſe libri notiſſimi de *Expoſitione Fidei*, ejusque Autoris Dn. *Boſſueti*, Epiſcopi nunc Meldenſis. Introducitur enim alter collocutorum, ſub nomine *Theophili*, vir quidam literis & armis nobilis, qui peregrinatione per totam Europam inſtituta, cum omnium ſectarum Theologis converſatum ſe, ſed cum Reformatæ religioni addictus eſſet, tanto adverſus Eccleſiam Romanam præjudicio occupatum fuiſſe dicit, ut ex anguſtiis dubitationum de religione eluctari non potuerit, donec lecto libro *Expoſitionis Condomenſis*, & oretenus ab Autore ejus informatus, poſt continuatas ſex menſibus preces, & librorum optimorum lectiones, tutiſſimum principium fidei & morum in Eccleſiæ autoritate & infallibilitate, & quam injuſte a Proteſtantibus dogmata portentoſa Romano-Catholicæ religioni affingantur, deprehendiſſet. Inprimis debile ait, aut nullum eſſe fundamentum, quod Reformati & Lutherani, omnesque aliæ ſectæ, in Scriptura, & ſingulorum ſcrutinio ponunt. Hæc in *Dialogo quarto ſeu ultimo*, præmiſſis quibusdam argumentis contra Judæos & Mahummedanos exhibita, libri ſcopum oſtendunt. At cum nihil novi contineant, ſed ad *librum Expoſitorium* ſeſe referant, non opus eſt, pluribus ea proponere, cum libellus ipſe breviſſimus ſit, & quæ reſponderi ad librum Boſſueti ſolent, neminem facile lateant. Alter vero collocutorum qui *Timoleontis* nomen ſumſit, diſcipulum ſe *Theophili* gerit, & in dialogis tribus prioribus, in illis, quæ titulus indicat, capitibus inſtrui ſe patitur. Argumentum *in primo colloquio* pro immortalitate animæ, laudata prius Carteſii me-

Digitized by Google

thodo, facillimum, ut autori videtur, adducitur a Theophilo ex unica animæ operatione, quæ fit in percipiendis dijudicandisque, quæ cum voluptate aut dolore a diverſis ſenſibus uno tempore ſentiuntur, v. g. calor in manu, odor in naribus. Inde efficitur, animam in una facultate conſiſtere; conſequenter ſimplicem, non corpoream, indiviſibilem, & denique immortalem eſſe, quia nihil corrumpi po teſt, niſi per ſeparationem partium. Porro cum difficillimum intellectu ſit, quæ relatio aut unio in ſenſu, ſive ſenſatione, ut loquuntur, rerum corporearum & ſenſibilium, cum anima, quæ ſpiritualis eſt, locum habeat, ex eo ipſo agnoſci debere oſtenditur, Numen eſſe, ſive Ens ſuperius & omnipotens, a quo illa unio & operatio procuretur. *In ſecundo dialogo* exiſtentiam Dei demonſtraturus Theophilus, a creaturis ad Creatorem argumentando progreditur, modo ſatis trito, ſed eleganter propoſito; maxime vero ingenium oſtendit in deſcriptione membrorum hominis, & eorum uſus, additque aliquid de innata omnibus famæ poſt mortem cupiditate, quæ ab enormibus criminibus etiam eos aliquando retrahat, qui poſt mortem nihil credunt ſupereſſe. *In tertio* providentiam rationibus non minus notis adſtruit, & objectioni vulgatiſſimæ de bonorum infelicitate & malorum proſperitate reſpondet.

LIBER PSALMORUM, CUM ARGUMENTIS, Paraphraſi, & Annotationibus, autore Ludovico Ferrando, A. P.

Lutetiæ Pariſior. apud Andr. Pralard, anno 1683 in 4.

TAM illuſtre omnino atque utile eſt argumentum, quod in Pſalmis Davidis continetur; tam ſublimis & ſuavis verborum concentus, quo effertur illud atque exornatur, ut tametſi veteres pariter atque recentiores in utroque variis modis declarando laboraverint valde, non nihil tamen Autor doctiſſimus relictum putaverit ſibi. Primus autem labor ejus fuit in generalibus nonnullis per XVI capita, quibus Præfatio conſtat, prolixe deducendis; quorum primum ſtatim continet Pſalmorum enarratores, tam antiquiores quam juniores, ſed hos non alios, niſi Pontificios & Grotium, ipſis non-

nonnullibi, ſed & Judæis ſæpius, faventem. Candidius Matthæus Polus, Anglus, cui Geierus noſter non minus, quam Coccejus ſuus placet. In Opere deinde ipſo ſpeciatim tria illa, quæ titulus libri promittit, ubique exhibet: Argumentum ſingulis Pſalmis præmittit; Paraphraſin textui jungit; Annotationes eidem ſubjicit. Inter hæc tria ſex illa, quæ ſe præſtitiſſe narrat ipſe in Præfat. cap. 2. ita ſunt diſtribuenda, ut in Paraphraſi, nervoſa ſane atque perſpicua, (1) verſiculos ubique connectat, ſicque totum uniuscujusque Pſalmi contextum cohærere oſtendat, probationibus etiam, ubi opus fuit, inter Annotationes adjectis; in Argumento vero (2) ad temporis circumſtantias, quæ componendis Pſalmis anſam præbuiſſent, inprimis attendat, indeque ſcopum Autoris ſenſumque ipſum nonnunquam deducat; (3) Vulgatam Verſionem in Annotationibus acriter defendat; & in iisdem (4) Varias Lectiones e Patribus & MStis; Patrum itidem (5); & (6) Gentilium teſtimonia ſæpius adducat, tanta quidem fiducia, ut peccatum originis, de quo unice hiſtoria ſacra nos certiores reddit, in Annotat. ad Pſalm. L. pag. 501 ſententiis Ethnicorum ſtabilire nitatur; eodem ferme conatu & ſucceſſu, quo ante ipſum civis ejus, Johannes Belinus, Epiſcopus Bellicenſium, labem illam originalem e lumine rationis deducere tentavit; de quo in Ephemeridibus Eruditorum Gallicis A. MDCLXVI.

ARRESTS DU PARLEMENT DE BRETAGNE, pris des memoires & plaidoyers de feu M. Seb. Frain, par M. Pierre Hevin &c.

Sive,

Decreta Parlamenti Britannici, excerpta ex commentariis & actionibus forenſibus Sebaſt. Frænii, Advocati quondam emeriti iſtius Parlamenti; tertium nunc edita, ac novis annotationibus aucta, per Petrum Hevinum Advocatum veteranum ejusdem Parlamenti.

Tomi duo.

Rhedonibus, apud Pet. Garnerium, 1684 in 4.

Quan-

QUanto liber hic in pretio habeatur apud Britannos, vel exinde ſatis colligere eſt, quod Hevinus, ejusdem in præſens editor, non dubitat in præfatione aſſerere, ei ſimilem intra totius ſeculi ſpatium in Britanniæ provincia neutiquam in lucem prodiiſſe publicam: ſcilicet ab anno uſque 1584, quo Argentræus ſuas in Britanniæ conſuetudines Notas edidit, neminem extitiſſe, qui de iſtius regionis juribus quidquam tanto cum applauſu ſcripſerit. Emiſſa primum fuere hæc Frænii collectanea anno 1646; non ab ipſo tamen Autore, utpote qui morte præventus ultimam iis manum imponere non potuit; ſed ab ejus heredibus, prout inter ſchedas defuncti fuere reperta: unde eſt etiam, quod eadem fortuito tantum aut nullo potius ordine diſpoſita exhibentur; ad quem defectum ſupplendum, in hac ultima editione cuivis tomo præfigitur index, qui ſingulas deciſio nes ad ſumma quædam materiarum capita revocat, easque ſic ordinatius nonnihil ſiſtit. In ipſo vero opere ſic procedit Autor, ut in quolibet capite certam, prout contigit, facti ſpeciem proponat, nomine tam partium litigantium, quam advocatorum (quod munus in plerisque cauſis Frænius ipſe ſuſtinuit,) expreſſo: deinde, quid quælibet pars tum in jure, tum in facto in ſui favorem allegaverit, ordine enarret, litisque adeo decurſum in prima non minus, quam in ſecunda inſtantia breviter edoceat, ac tandem, qua ratione lis Parlamenti decreto ſit terminata, ſubjungat. Arreſta ipſa multis huc tranſcribere, noſtri non eſt inſtituti; præſertim cum maxima eorundem pars, aut propriis Britannicæ provinciæ conſuetudinibus accommodata ſit; aut, quatenus alicubi jus Canonicum pro fundamento eſt, fere tantum circa materiam beneficiorum Eccleſiaſticorum ac monaſteriorum, inter nos minus frequentatam, occupetur. Ex reliquis deciſionibus tamen paucas, quæ præ aliis in oculos incurrerunt, exempli loco hic recenſuiſſe non pœnitebit.

Sic itaq; refertur definitum per ſententiam fuiſſe, in retractu lineari propinquitatis computationem inſtituendam eſſe ſecundum jus civile, non canonicum, *c.8.p.47.ſq.* Sponſalia ob ſupervenientem ſponſi infamiam diſſolvi poſſe, etiamſi hic probare velit, promiſſionem matrimonii reiteratam fuiſſe, infamia jam exiſtente, *c.17.p.96.ſq.* Filiam, cui parens inofficioſam dotem dedit, facere partem in legitima, ad effectum inferendæ qualitatis inofficioſi, *c.27.p.120.* Adulterii accuſa-

cuſationem non habere locum poſt matrimonium alterius morte ſolutum, *c. 52. p. 220. ſqq.* Venditis minoris immobilibus ob urgens æs alienum, id quod ex *pretio* illorum ſupereſt, pro re immobili reputari, *c. 63. p. 245.* Donationem inter conjuges reciprocam valere, etiamſi alter eorum ſit minor, *c. 69. p. 260.* Sede vacante Capitulum conferre poſſe beneficia vacantia, *c. 73. p. 264. ſqq.* Delinquentem ob crimen admiſſum non mox ipſo jure privari beneficio Eccleſiaſtico, ſed poſt ſecutam demum condemnationem, *c. 76. p. 277. ſqq.* Contributionem ex Lege Rhodia non habere locum in perſonis, ſed in jactis tantum mercibus: indeque reliquos vectores non teneri ad redimendos nautas, qui pro ſalute navis emiſſi, a barbaris forte capti fuere, *c. 82. p. 334. ſqq.* Bona debitoris non poſſe adjudicari ipſi judici, coram quo fuere ſubhaſtata, etiamſi ipſe quoque e numero creditorum fuerit, *c. 91. p. 421.* Donationem, quam ægrotus medico fecit, eſſe invalidam, etiamſi per teſtamentum & abſente medico fuerit facta, *c. 133. p. 743. ſqq.* Donationem reciprocam non revocari poſſe ob ſupervenientiam liberorum, *c. 137. p. 820.* Plura referre, ob rationes ſupra dictas, non immmerito ſuperſedemus.

Cæterum cum Arreſta hæc, quotquot a Frænio collecta fuere, univerſa intra annos fere triginta ſex, nempe ab anno circiter 1600 ad annum 1636 fuerint pronunciata; & vero ab eo tempore hucuſq; in Curia multum ſæpe ab iis in ſententiis ferendis ſit receſſum, contraria invaleſcente obſervantia; lectoribus proficuum fore exiſtimavit Hevinus, ſi eosdem, ubi opus eſſe judicaret, de variante ob temporis lapſum judiciorum ſtylo, & mutata ſic quadantenus Jurisprudentia certiores redderet. Hinc permultis capitibus ſuas ſubjecit annotationes, quarum ope non tantum modo dictas jurium variationes hinc inde indigitat, ſed & materias difficiliores ulterius explicat, imo nonnullas per modum tractatus ſatis ampli exponere nititur. Præſertim vero in enodanda materia beneficiorum Eccleſiaſticorum, tanquam iſtis in terris maxime frequentata, occupatus eſt, excutiendisque adeo quamplurimis eo ſpectantibus textibus juris Canonici: cujus tamen, (ut hoc obiter moneamus,) librum ſextum Decretalium in Gallia receptum eſſe negat, *pag. 21.* eo quod infinitas fere ordinationes contineat, quæ tendant ad labefactandam antiquorum canonum doctri-

nam. Exhibetur vero illa tractatio de collatione beneficiorum Eccleſiaſticorum *ad cap.109.* ſimulque doctrina de Menſibus Papalibus, quos vocant, latiuſcule proponitur: qua occaſione ratio redditur, *p.659.* quare Britannia titulum provinciæ Obedientialis *(pais d' obedience,)* meruerit. Nimirum cum ſecundum antiqua Concordata, per Concilium Conſtantienſe confirmata, ratione prædictæ beneficiorum collationis, Papæ in Gallia octo menſes per annum indulti fuiſſent; hoc vero Regnum poſtea, ad inſtigationem Univerſitatis Pariſienſis, concordata iſta ope Concilii Baſileenſis in tantum invertiſſet, ut Pontifici loco iſtorum octo menſium non niſi quatuor remanerent: Britannia tamen noluit hac in parte adhærere reliquæ Galliæ, ſed in antiquis illis concordatis & priſtina menſium partitione firmiter perſtitit, indeque titulo iſto, tanquam illibatæ erga Pontificem obſervantiæ indice, mactata fuit. Latiſſime quoque *a pag.507.* usque *ad pag.570.* tractatur de *Aſſiſa,* hoc eſt, certa quadam & famoſa Ordinatione, a Gaufrido Britanniæ Duce, Henrici II Angliæ Regis filio, anno 1165 ſancita, quæ peculiarem modum præſcribit diviſioni bonorum inter heredes nobiles: de cujus genuino textu in lucem protracto, atque in hiſce annotationibus exhibito, haud parum ſibi gratulatur Hevinus, & ſi non alio, hoc certe nomine gratiam apud conterraneos ſuos promeruiſſe confidit. De feudis porro, (quæ in Galliæ regno mere patrimonialia eſſe, adeoque absque Domini conſenſu libere in quemcunque alienari poſſe, docemur *c.15.p.92.*) ſatis prolixe agitur *ad c.86.p.359.ſeqq.* ubi inter alia oſtenditur, Feudi quidem denominationem non niſi ſub finem ſeculi noni cœpiſſe; rem ipſam tamen, licet ſub alio nomine, jam a primis uſque Imperatoribus Romanis in uſu fuiſſe, *p.362.ſqq.* Materiam quoque graduum in matrimonio prohibitorum late perſequitur Hevinus *p.223.ſeqq. ad cap.52:* in quo ipſo capite Frænius evincere conatus eſt, in linea collaterali nullum affinitatis gradum de jure divino eſſe prohibitum: *p.213.* in eodem quoque capite obiter narratur, in Cancellaria magna Romana computationem annorum fieri, non a tempore nativitatis, ſed incarnationis Chriſti, adeoque non a Januario incipere, ſed a die 25 Martii, *pag.211.* Deniq; & de aliis quibusdam materiis diffuſiorem ſe exhibuit Hevinus, uti v.g. de

deli-

delictis clericorum communibus, iisq; oppoſitis caſibus privilegiatis, *p. 72. ſeqq.* de uſuris & intereſſe, *p. 288. ſqq.* de ſubhaſtationibus, *p. 429. ſqq.* de peremtione inſtantiæ, *in addit. ad Tom. 1. p. 3. ſqq.* de jure primogenituræ *p. 878. ſqq.* aliisque. Sub finem fere operis ſæpe laudatus Commentator ſubnectit elegantem tractatum, oppoſitum Diſſertationi Anonymi cujusdam, contra Jus Civile Juſtinianeum ejusque autoritatem ſcriptæ: in quo ipſo rationes iſtius ſolide confutat, eaque occaſione multa lectu digniſſima tradit, hiſtoriam Juris Romani ejusque in Europæ provincias reductionem concernentia. Cumque inter alia Anonymus ille in ſua diſſertatione *Joh. Ferrarium de privilegiis Regni Franciæ* allegaſſet, graviter hac occaſione *pag. 10.* in ſcriptum illud invehitur, ejusque autorem haud levis ſtupiditatis arguit, dum ex viginti, quæ in eo allegentur, Galliæ privilegiis, non niſi unicum reperiatur, quod proprie hac appellatione dignum ſit; illud nimirum, quod a Bonifacio VIII Pontifice conceſſum eſſe dicatur, nempe, ut Indulgentiis decem dierum fruantur omnes, quotquot pro incolumitate Regis Franciæ Deum oraverint: de cujus tamen ipſius quoque veritate adhuc nonnihil dubitetur. Oſtendit vero una, non *Joh. Ferrarium* autorem ejus ſcripti eſſe, ſed alium *Joh. Ferraut*, Regium quondam apud Cenomanos Procuratorem, qui tempore Ludovici XII vixerit, cujusque barbaries & inhabilitas jam tum a Car. Molinæo fuerit annotata.

LOGICA ELENCTICA, SIVE SUMMA CONtroverſiarum, quæ circa materiam, & præcepta Logicæ agitari ſolent. Autore Thoma Goveano, M. A. Verbi Divini Miniſtro.

Dublinii, 1683 in 8.

Quanquam διδαχὴ & ἔλεγχος eo nexu copulantur invicem, ut ſolerti animo refutationem falſi verorum confirmatio facile ſuppeditet; non defuiſſe tamen doctiſſimo Autori cauſſam putes, cur Logicam *Didacticam* ab *Elenctica* disjungeret. Illa ſiquidem præcepta artis, definitionibus, diviſionibus, & canonibus comprehenſa:

Digitized by Google

hac ſynopſin tradere controverſiarum voluit, quæ circa artificum ſolent canones & dogmata moveri. Quas ipſas hac etiam ſumma ſic eſt perſecutus, ut quæſtionis cujusque gravioris deciſionem diſtinctis theſibus includat, theſes rationibus muniat, & ab inſtantiis, quibus exponuntur, vindicare ſtudeat. Neque enim voluit quæſtiones omnes, quæ hujus fori ſunt, attingere, ſed eas modo, quæ utilitate præſtarent cæteris; neque præterire plane novas, quæ præceptorum a recentioribus, Carteſianis præſertim, inventorum occaſione, Logico Syſtemati acceſſerunt. E primariis etiam finibus, quorum gratia tractationem hanc ſuſcepit, unum fuiſſe perhibet, fundamenta errorum in religione, præſertim illa quæ a Pontificiis poſita ſunt, convellere. Cum enim minus judicaret convenire, ut ſtudioſa Logicæ & Philoſophiæ juventus nonniſi in Jeſuitarum, aliorumve Pontificiorum ſcriptis evolvendis ætatem tereret: e ſectæ autem ſuæ autoribus vix haberet, qui integrum controverſiarum Philoſophicarum curſum pertractaſſet, ſatius fore arbitratus eſt, ſi quid a ſe hoc in genere, quam a nemine, in illis Britanniæ regnis tentaretur.

Tametſi vero & *Phyſiologiam Elencticam* promittat, duxit tamen ex Logicis Controverſiis initium propterea, ne videretur prorſus a conſuetudine recepta diſceſſiſſe, aut ſupercilio quodam eas contemſiſſe: tum quod ignoraſſe eas penitus, vitio vulgo Logico ducatur: porro quod non parum adjumenti ad intelligenda, quin & confirmanda ea adferant, quæ in parte Didactica traduntur: quod præſtent denique operam ingeniis tyronum exercendis, atque acuendis omnino utilem. In principio hujus ſcripti controverſias percurrit ad Philoſophiam univerſe referendas. Cujus generis ſunt, quæ de ipſa Philoſophia, definitione ejus ac diviſione; de cognitione ſpeculativa & practica, notabilive, quod morali praxi cum artificiali intercedit, diſcrimine; de intelligentia & principiis cognoſcendi, primisque adeo cognitis cum ſingularibus, tum univerſalibus, imo & univerſaliſſimis, de horum illuſtratione, primarumque veritatum per ſe evidentium proprio ſubjecto atque domicilio; de ſcientia, fide, opinione, & arte; de objecto, cauſſis, & proprietatibus diſciplinarum; nec non de variis Philoſophorum familiis atque ſectis, antiquioribus æque, ac recentioribus, perſpicue nec ſine acumine proponuntur.

Generalibus abſolutis, ad Logicas convertitur; quarum tamen argu-

argumenta penitius ſi inſpexeris,plurima ex Metaphyſicorum tabulis tranſumta comparebunt. Autores cum quibus in arenam deſcendit, præcipue *ſunt*, præter Scholaſticos Doctores, Keckermannus, Burgersdicius, Derodon, Retorfortis, Strangius, Claubergius, Le Grand, *Herebordus*, Autor artis Cogitandi, Scheiblerus noſter, quem *propriorum* communicationem in Opere Metaphyſico, adverſus *Goclenium*, Keckermannum, Timplerum, ac Reformatos cæteros adſtruentem ſolide, acriter (quo ſucceſſu jam non decernimus) diſputatione undecima aggreditur. Hanc etiam veritatem, *quicquid cogitat exiſtit*, haberi pro ſimpliciter prima poſſe negat, quod priores alias, *quidquid operatur*, ſeu exercet activam potentiam, *exiſtit*, *quicquid dat alteri exiſtentiam exiſtit*, *non ens non eſt cauſa efficiens entis*, præſupponat, per easque demonſtrari poſſit.

Atque huic Logicæ Elencticæ, peculiari ſub finem titulo annexa habes *Elementa Logicæ paucis aphoriſmis comprehenſa*, eo conſcripta fine ab Autore, ut perlectis iis atque intellectis, inſtructiores accederent tyrones ad ſyſtema integrum, quod Artem Sciendi nuncupavit. Quatuor facit hic operationes mentis, apprehenſionem ſimplicem, judicium, diſcurſum, & methodum. Unde apparet quo fundamento nitatur ordo, quem in digerendis controverſiis ſibi habuit conſtitutum. Duos ponit ſimplicium rerum ordines, ſubſtantiam atque modum. Attributum rei in poſitivum & negativum, in commune & proprium, in eſſentiale & accidentale tribuit, eſſentiale in genus atque differentiam. Communiſſimas rerum affectiones ſeptem numerat: diſtinctum eſſe ab omni alia re, reſpicere aliquam aliam ſeu ad aliam referri, eſſe unum idque vel ſimplex vel compoſitum; eſſe alius originem (ad quem locum ſubjectum, ſignum cauſſam, objectum, & conditionem retulit;) convenire cum aliquo & ab aliquo differre (ubi homonyma, ſynonyma, identitas, paritas, & ſimilitudo declarantur;) opponi alicui, & denique ordinem, e quo diverſos derivavit prioritatis modos. Definitionem, diviſionemque propoſitionum annumerat generibus. Syllogiſmum & formæ, & materiæ ratione habita diſpertit. Ut adeo eorum, quæ hiſce *aphoriſmis* continentur, ſumma velut capita non niſi tria, Res nimirum rerumve attributa, Propoſitio, & Diſcurſus, hinc emergant.

Digitized by Google

AN APOLOGY FOR THE PROTESTANTS of France in ſix Letters,

h. e.

Apologia pro Reformatis Galliæ, ſex epiſtolis comprehenſa.

Londini, apud I. Holford. 1683. in 4.

CUm ſuperioribus annis ejecti e paternis ſedibus Galli, qui Reformatam religionem profitebantur, magna frequentia in Angliam veniſſent, & a Rege calamitatem ipſorum miſerante benevole admodum accepti eſſent, tentatum fuiſſe creditur ab eorum adverſariis, ut odium populi Anglicani in hoſpites provocarent, ſicque, qui ſua opera e Gallico regno exulabant, eos novo etiam domicilio tam facile quæſito depellerent. Plura in hanc rem præfatio epiſtolis apologeticis præfixa diſſerit, & ſpeciatim, quæ objecta ipſis fuerint, enarrat. Quoniam vero illorum pleraque in ſpeciem bene dicta, multa aperte falſa eſſe legentibus conſtat, hinc *Autor harum epiſtolarum anonymus, homo Anglus*, exigere hoc a ſe putavit leges humanitatis, quibus alter alteri, maxime illis obſtringimur, quos ejusdem fidei ac religionis vinculum nobis jungit, ut innocentium defenſionem ſponte ſuſciperet, & a falſis criminationibus miſeros tueretur. Quæ leviora ſunt, & ideo a politicis quibusdam adducta, ut perſuadeant Anglis, novorum hoſpitum acceſſione merces operasque ſuas vileſcere, nec parum detrimenti per tot artifices Gallos capere rem inquilinorum; ad ea in memorata præfatione breviter reſpondetur. Reliquis, quæ famam exulum lædunt, & vel e bonorum virorum numero Gallos reformatos eximunt, vel ſubditorum officia ab ipſis negligi probant, indeque tandem concludunt, merito eos exilium & alia quævis mala pati, ſex illis epiſtolis ſatisfit, quas miſit Autor ad amicum. Priores duæ ad formandam quæſtionem pertinent. *Prima* quantum ex *Edicto Nannetenſi* Reformatam religionem profitentibus conceſſum ſit, ordine exponit; tribus etiam verbis legem hanc Nannetenſem non vi aut metu extortam, ſed maturo conſilio in eorum commodum latam fuiſſe demonſtrat, qui tum

Digitized by Google

tum inermes potuiſſent facile, ſi conſultum id rebus ſuis Rex cenſuiſſet, deleri. *Altera epiſtolarum* ea omnia ſigillatim enumerat, quibus hactenus edictum illud Nannetenſe læſum eſſe videtur. Recenſet edicta regia, quæ libero religionis ſuæ exercitio Reformatis interdixerunt; memorat ſcholas & templa partim clauſa, partim deſtructa; enarrat quam plurima exempla ſævientium in conſcientiam & bona miſerorum. *Tertia* evincere ſatagit, Reformatos in Gallia non eſſe monarchomachos. Eo fine primum adducit *Confeſſionis fidei Gallicanæ articulum 39 & 40*, qui manifeſte decernunt, magiſtratum eſſe a Deo conſtitutum, ejusque legibus omnes merito obedire, qui ſubditorum ordine continentur. Deinde *Calvinum* vindicat ab illorum accuſatione, qui docuiſſe ipſum ſcribunt, ſoli magiſtratui pio ac probo reverentiam deberi, tyrannis recte ſe quemvis opponere. Omnium qui Reformatæ religioni nomen unquam dederint, & Calvini legerint veſtigia, hanc eſſe communem ſententiam affirmat, quod Principum etiam infidelium jugo patienter collum ſubdere, eorumque imperio politico libenter ſubeſſe fas ſit. Gallos ad Doctorum ſuorum præcepta talia ſemper ſe compoſuiſſe, inque regum, quoties eos vel ab externo hoſte peti, vel civiles metuere inſidias contigerit, auxilium promte advolaſſe; iis ipſis adeo non defuiſſe, quorum ſub auſpiciis graviſſima quæque paſſi erant, ex hiſtoriarum monumentis aſſerit. *Epiſtolarum quarta* cæteris prolixiori, *Autor* contra *Maimburgium* Reformatorum in Gallia fidem propugnat. Initio *Maimburgii* animum vafrum deſcribit, eumque non ſatis ſemper ſibi conſtare, jam aſſerere, quæ alibi negaverat, uno alteroque exemplo oſtendit. Deinde quas turbas, quosq; tumultus in Gallia exortos *Maimburgius* Reformatis tribuit, ut confirmet, quod epiſtola tertia Autor noſter tentaverat deſtruere, Calvini principia monarchico regimini contraria & ſumme noxia eſſe, eorum originem perperam ad ipſos referri declarat. Diſputat inprimis de iis, quæ *Ambaciæ*, & quæ *Meldis*, regnantibus *Franciſco II* & *Carolo IX* contigerunt, uſuſq; Cardinalis *Oſſatii*, *Thuani*, *Mezeraji* domeſticis teſtimoniis demonſtrare contra *Maimburgium* nititur, nihil eorum omnium culpa Reformatorum accidiſſe. Poſtea quibus malis a *Caroli IX* temporibus ad *Henricum quartum* uſque Gallia vexata fuerit, evolvit, & quam immerito Reformatos illorum autores *Maimburgius*

Digitized by Google

burgius faciat, edifferit. *Epiſtola quinta*, qui motus regnum imperante *Ludovico XIII* agitaverint, inquirit. Reformatos a culpa plerumque abſolvit, inprimis cum de obſidione *Rupellæ* ſermo eſt; nonnunquam eos ſic excuſat, ut perperam omnibus imputari queratur, quod paucorum erratum fuerit. *Ultima* denique *epiſtola* Papiſtas monarchomachiæ inſimulat, allegans cleri Pontificii quædam aſſerta, e libello vulgari ab *Arnaldo* aliisque pluribus Romani cultus defenſoribus acriter hactenus impugnato, cui titulus *La politique du Clergé de la France.* Atque ne unius aut alterius doctoris privatam ſententiam omnibus tribuere videatur, aliquot exemplis ex hiſtoria petitis probare ſatagit, debitum Principi ſuo honorem Papiſtas non deferre, ſed quandocunque Papæ aut Cleri commodum ſic tulerit, ſubditos a fide, qua legitimo Magiſtratui ſuo obſtricti ſunt, abſolvere.

ABREGE' DE LA PHILOSOPHIE DE GASſendi en VII TOMES, par J. Bernier Docteur en Medecine de la Faculté de Montpellier.

h. e.

Epitome Philoſophiæ Gaſſendi, ſeptem Tomis comprehenſa. Autore J. Bernerio Doctore Medicinæ Facultatis Montis Peſſulani.

Editio Secunda

Lugduni apud Aniſſon, Poſuel, & Rigaud. 1684. in 12.

QUid in hoc opere Clariſſimus Autor præſtiterit, id nunc, dum repetitam ejus editionem memoramus, pluribus exponere non attinet, verſante dudum in plurimorum manibus libello iſto non exiguæ utilitatis, qui primum anno 1677 prodiit. Significaverat ante aliquot annos erudito orbi Bernerius, eſſe ſe in eo, ut recudat philoſophiæ, cujus inde ab ineunte adoleſcentia ſtrenuus ſectator fuerat, epitomen lingua vernacula conſcriptam, ſimulque vulgaverat dubia quædam de primariis ſcientiæ naturalis controverſiis; partim ut hoc publico teſtimonio declararet, ſe non cœco impetu aut præfinite quicquam affirmare, de quo non ſatis ſibi conſtare putet,

putat, partim ut aliis, qui his ſtudiis delectantur, anſam præberet inquirendi veritatem adhuc latentem. Diximus de illis dubiis ſuperiori anno, & ſpes tunc erat fore, ut ſi alii deeſſent, ipſe vir doctiſſimus ſcrupulos injectos eximeret, ac eam Philoſophiæ partem illuſtraret. At enim vero comparent illi ad calcem Tomi I, nec ea capita librorum Phyſicorum, ad quæ referuntur, immutata ſunt, niſi quod interdum clarius & ordine magis convenienti proponunt, quod in prima editione obſcurius dictum videbatur. Et hoc quidem per totum opus Autori propoſitum fuit, ut ſuperflua demeret, & nonnunquam alia adjiceret. Capitum ſeriem non raro immutavit, transpoſitis etiam integris diſciplinis. Tomorum numerum, redactis in unum ſexto & ſeptimo, imminuit. Singula accuratius examinare, & in quibus a prima editione hæc ſecunda differat, inquirere, lectoris diligentis ſtudio relictum eſto.

THE TRIUMPH OF CHRISTIANITY or the life of Cl. Fl. Julian The Apoſtate,

h. e.

Triumphus Chriſtianitatis, ſive vita Cl. Flavii Juliani Apoſtatæ.

Londini, anno 1683 in 8.

JUliani capitalis hoſtis Chriſtianorum vitam explicandam ſibi ſumſit, tecto nomine, vir quidam doctiſſimus, ut illuſtri exemplo confirmaret, Deum pro veri cultus ſui conſervatione nunquam non excubare. Initio breviter ac ſummatim Juliani natales, educationem, fortunam, furorem in Chriſtianos, & mortem exponit. Deinde quæ potiora ex his ſunt, quæque ſcopo Autoris, ex ipſo libelli titulo cognoſcendo, inſerviunt, ſingulis quaſi capitibus prolixius tractat. Primo agit de artibus, quibus in extirpanda religione ſalutari uſus eſt Julianus, easque docet a nullo alio Chriſtianorum perſecutore æque adhibitas fuiſſe. Ille enim non aperta ſtatim vi, non armis, igne, tormentis aggreſſus eſt miſeros: ſed varias ipſis inſidias ſtruxit, ut imperitos deciperet, & vel ad Gentilium ſuperſtitionem paulatim

deduceret, vel adigeret ad deſperationem. Deinde Juliani mores, eruditionem, prudentiam civilem, ſcientiam rei militaris diligentius deſcribit. Porro *ſex* ſubjicit *quæſtiones*, quarum *prima* proponit: *an recte & prudenter egerit Conſtantius, cum Julianum nuncuparet Cæſarem?* Ad hanc reſpondet: non male ipſum feciſſe, quamdiu titulum *Cæſaris* Juliano tribuens, poteſtatem aliis, *Saluſtio* ſcilicet & *Marcello*, commiſerit; erraſſe autem graviter, quam primum blanditiis ſimulantis credens dignitatem cum autoritate copularit. Quæſtio *altera* eſt: *an aliquid divini fuerit in morte Juliani?* hanc affirmat, uſus partim Patrum quorundam & hiſtoricorum illius temporis, partim Gentilium, qui Juliano morienti aderant, teſtimoniis. Ad Chryſoſtomi ea verba, quibus miracula ſuo tempore deſiiſſe videtur teſtari, reſpondet, ſanctum Patrem de paucitate & infrequentia miraculorum loqui. *Tertio* quærit: *an vera dentur miracula?* ubi notandum, ipſum non eſſe de eo ſollicitum, an hodie expectanda ſint miracula, ſed inveſtigare, an unquam fuerint? id quod contra Atheos adſtruit. *Quarta* quæſtio ſic habet: *Si Chriſtiana Religio tantum cæteris præſtat, unde eſt, quod Gentiles virtutibus inſignes eos omnes, qui illi nomen dederunt, tam acriter ſunt perſecuti?* Cujus rei Autor ſex rationes ex Apologeticis Patrum ſcriptis, quibus Chriſtianos defenderunt, enumerat. Quæ ſuperſunt quæſtiones, earum una eſt; *Quæ cauſa ſit, cur Chriſtiani Chriſtianos adeo perſequantur?* Altera: *In quo Chriſtianorum bona opera a virtutibus Gentilium differant?* Quartæ inſuper quæſtioni ſubjicitur examen duorum ſcriptorum de vita Juliani, quæ ante hos tres annos prodierunt, & faciem Anglicani ſtatus cum ea conferunt, quæ Romani Imperii tempore Juliani fuit.

CAJUS VALERIUS CATULLUS, ET IN eum Iſaaci Voſſii Obſervationes.

Proſtant apud Iſaacum Littleburi bibliopolam Londinenſem. 1684 in 4.

QUantumvis in emendando, reſtituendo ac perpurgando Catullo, quem A. Gellius vatum elegantiſſimum appellat, & omnes priſci uno conſenſu doctiſſimum nominant, laboratum jampridem ſit

ſit a doctiſſimis, ea cura ac diligentia, ut omnes ſordes depoſuiſſe & priſtinum nitorem ac cultum recepiſſe exiſtimari poſſit; nequaquam tamen iſtorum ſtudium ſequentium ingeniorum fœcunditatem exhauſit, quippe quæ non minori opera feſtiviſſimi ſcriptoris loca, quæ aut mendoſa adhuc, aut obſcura, aut a nemine hactenus ſatis explicata eſſent, eruditione varia illuſtrare & explanare ſategerunt.

Plerorumque in hunc auctorem commentarios, notas, obſervationes, emendationes & paraphraſes juſto volumine complexus eſt *Claudius Morellus*, quod Pariſiis 1608 evulgavit: integras Antonii Parthenii, Palladii Fuſci, Achillis Statii, Marci Antonii Mureti, Jani Douſæ patris & filii, Joſephi Scaligeri, Hieronymi Avantii, Theodori Marcilii, Roberti Titii Catullianas commentationes exhibens, iis junctas, quas & hi & alii præclari eruditione viri ad Tibullum & Propertium ediderant. Minori mole, ſed majori accuratione & elegantia, amorum Triumviros, [quos inter Catullus primum tenet locum] & ad eosdem doctorum hominum integras annotationes, ſex abhinc annis Ultrajecti in publicam lucem emiſit lumen eruditorum *Joannes Georgius Grævius*: præter editas antea a Morello illibatas commentatorum curas, ſelectas ex Paſſeratio animadverſiones [nam integer ejus commentarius Pariſiis 1608 editus, propter amplitudinem Prælectionum in Propertium attexi non poterat] Gronovii item, Nicolai Heinſii, Meleagri ſeu Balth. Venatoris, Salmaſii, Bocharti, Scioppii, Gulielmi Rutgerſii, Voſſii, Meurſii, Schotti, Turnebi, Paſchalii, Urſini, Giſanii, Hotomanni, Lipſii, Merulæ, Ramireſii, Mercurialis, Delrionis, Lydii, Bernartii, Victorii, Politiani & aliorum, ex operibus eorum decerptas reſtitutiones textus in medium afferens verbisque Catulli ſubſternens, ac ſub finem Præfationis optans, ut quas olim legerit apud *Iſaacum Voſſium*, maximi ingenii & doctrinæ virum, in Catullum animadverſiones publici juris fierent. Quod factum ſuperiori eſt anno: & expugnari ſe tandem tot amicorum precibus paſſus eſt Vir ſummus, ſuarumque in Catullum animadverſionum, doctarum certe & ingenioſarum, quæ per triginta & plures annos in tenebris jacuerant, edendarum poteſtatem typographo Belgæ fecit. Plurima tenebris & mendis ſquallentia loca hic illuſtrata, & a librariis aut interpretibus corrupta ab ipſo etiam Scaligero non ſatis explicata, manuſcriptorum codicum, quorum beata

copia Voſſio ſuppetit, & ingenii, quod capitale idem & ad reſtituendos bonos auctores a natura factum habet, ope reſtituta licet deprehendere. In obſervationibus vero, ſingulo carmini ſubjectis, ubi ratio emendationis redditur, plurimorum aliorum ſimul auctorum depravata loca corriguntur, & eorundem interpretum παροράματα notantur, absque omni tamen verborum acerbitate. Nam ab hac cavillandi, & egregiis hominibus, qui omne ſtudium conferunt ad juvandas litteras, inſultandi libidine quam longe abſit, ipſe *p. 82.* indicat, *Vide*, inquiens, *quanti errores a magnis ſæpe committantur viris. Non tamen inceſſenda eſt hoc nomine eorum fama, nec carpendi, quod, dum ardua litterarum conſcendunt culmina, nonnunquam præcipites eant: cum magnæ & illuſtres animæ, quanto fortius terræ affligantur, tanto ſæpe altius reſurgant. Non metuunt iſtiusmodi caſus vilia & plebeja quorundam noſtri ſeculi grammaticorum ingenia, quibus ne labantur, tutiſſimum videtur humi ſemper reptare, & eos qui ſublimi verſantur maledictis laceſſere, ac ſi ſubjectis capitibus turpiter illudendi deeſſet facultas.* Cætera quæ in obſervationibus traduntur, Catulli ſenſum explanant, & reconditam eruditionem, qua hic auctor alios præcellit, produnt: inſuper habita proletaria doctrina, quam ex trivialibus vocabulorum indicibus & antiquorum rituum collectionibus multi petere ſolent, qui infelici ſtudio ad auctores priſcos Notas conſcribunt. Quæ enim in his Obſervationibus Voſſii afferuntur, alibi annotata aut ab aliis obſervata vix reperias: & ſingularia plane ſunt quæ traduntur de Veſta, cur *patroa* dicatur *p. 3, 4;* de lecticis & lecticariis *p. 24, 25;* de Serapidis appellatione & fano *p. 27, 28, 29;* de καταπιτ]ώσει & παρα]ιλμῷ ſupplicii genere *p. 41, 42;* de ipſilibus, bracteis in quibus expreſſæ erant deorum heroumque imagines, a Saliis in ſacris uſurpatis *p. 46;* de ſoleis quæ equorum mulorumque ungulis ſubſternuntur ferreæ, ſparteæ, & coriaceæ *p. 48;* de ratione compingendorum apud veteres librorum *p. 51. ſqq;* de catagraphis ſeu pugillaribus *p. 63, 64;* de Catulli ætate *p. 83;* de adagio ἐκ μαγείȣ ζέειν *p. 97;* de ominibus a dextra lævave venientibus *p. 105;* de *protelo* adverbio *p. 123;* de vino Aminio & Abellino *p. 155, 156;* de Cybeles ſacris, quæ a caſtratis ſacerdotibus tympanis peragebantur *p. 161, ſqq;* de tibiarum ſono & cantu *p. 166, 167;* de pullo colore *p. 168, 169;* de ferrugineo colore *p. 217, 218;* de obſoletis verbis *ardes* pro *ar-*

dor,

Digitized by Google

dor, *terres* pro *terror*, *impes* pro *impetus p.175*; de origine & ratione fabulæ velleris aurei, quæ accerſenda a pellibus precioſis & Zobellinis, in quibus Colchorum opes erant ſitæ *p.190*; de aulæis, velis, periſtromatibus, & tapetibus Phrygiis & Babylonicis ac Judaicis *p.196. ſeqq*; de aurea vite in templo Hieroſolymitano *p.199, 200*; de Minotauri imagine & ea ſignatis nummis, rebusque Cretenſium *p.205*, *ſqq*; de Idomene, civitate Macedoniæ *p.209*; de varia ſignificatione vocabuli *lentus* & γλισχρὸς *p.212, ſeqq*; de ſerpentibus & flagellis in Bacchi & Cybeles ſacris adhibitis *p.222, ſeqq*; de querno amictu Parcarum *p.238*; de animabus vita functorum ad beatorum inſulas ituris, Oceanum permeantibus, ut in eo purgentur *p.266*; de unguentorum moderato inter virgines uſu *p.268*; de ſoleis ſeu crepidis ſonantibus & argutum ſonum edentibus *p.290, ſeqq*; de precibus Judæorum littoralibus ſeu ripenſibus *p.313, 314*; de authepſa ſeu miliario, vaſe culinario *p.318, 319*; de inferiis & vino inferio *p.331*; de præcipiti & extemporaneo carminum ſcribendorum genere *p.323*. Plura paſſim occurrunt, prorſus eximia; ſed hæc annotaſſe ſufficiat. Optandum vero, ut eruditos ingenii ac induſtriæ ſuæ fœtus, quos complures concepit, emittat in publicum doctiſſimus auctor: ac inter hos ſcriptum *de* ταχυπλοΐα ſeu *arte celeriter navigandi*, quod *p.11* obſervationum promiſit, *Obſervationesque ad Nonium* quas *p.56* allegat, erudito orbi indulgeat.

TAJACU, SEU APRI MEXICANI MOſchiferi Anatomia, tradita ab Eduardo Tyſon Medico Londinenſi ac Societatis Regiæ Socio,

Excerpta e Philoſophicis Tranſactionibus Anglicis menſis Novembr. 1683. Num. 153.

Animal hoc, Indis Quauhtla Coymatl & Quarizotl, it. Tajacu &c. dictum, præterquam quod exoticum, rara cumprimis viſcerum, qua gaudet ſtructura, ſolertiſſimum noſtrum Auctorem eo perduxit, ut, quæ occaſione ſibi ab amico quodam oblata in eo obſervavit, ſummo hic divulgare ſtudio minime fuerit gravatus. Aſt cum integrum Auctoris diſcurſum, qui prolixus ſatis, ad verbum in Lati-

num transferre ſermonem nobis haut propoſitum ſit, obſervata tantum ejus propria, omiſſis iis, quæ ex aliis Hiſtoriæ Naturalis Indicæ Scriptoribus, v. gr. Fabro, Lerio, Gomara, Marggravio, Piſone, à Coſta &c. de animalis hujus exotici nominibus diverſis, natura item, & loco natali, &c. mutuatus fuit, luſtrabimus breviſſime.

Conformationis externæ intuitu animal hoc diſſectum e porcorum erat genere, prout figura ejus, quam longe accuratiorem Autor noſter, ac ullus alius, curavit delineandam, ſatis evincit: molem tamen noſtratium porcorum domeſticorum haut æquabat, ab extremitate ſiquidem corporis, ubi cauda, qua deſtituebatur, debebat eſſe locata, ad capitis usque inter aures ſummitatem, duos pedes cum duobus digitis, hincque ad naſi terminum undecim digitos longum, in corpore duos pedes, in cervice ſedecim digitos, in capitis craſſiore parte octodecim digitos, in roſtro denique duodecim digitos illud obſervabatur craſſum. Colorem corporis referebat gryſeum, ſetis craſſioribus, quam ſuillæ alias eſſe ſolent, ita conſiti, ut hæ circulis albis & nigris variegatæ multo breviores in lateribus, in dorſo vero, quo propinquiores hujus erant ſpinæ, graduali auctæ deprehenderentur longitudine, ceu quo in loco nonnullæ earum quinque digitos longæ cernebantur; e contrario penitus fere iisdem denudabatur venter. Aures erectæ, inter quas largus ſetarum maximam partem nigrarum erat complexus, duorum digitorum cum dimidio excedebant longitudinem, parvique oculi, porcellorum oculis ſimiles, a minori cantho ad naſi terminum ſex adæquabant digitos. Os apparebat haut largum, naſus vero a porcorum roſtro haut diſſimilis, quemadmodum & pedes atque ungulæ coincidebant plane cum ſuillis, unice ſuperioribus exceptis ungulis, utpote ſecundum proportionem longioribus.

Quoad internam autem Tajacu conformationem, eæ primario partes, quæ diverſa ab iisdem in porcis domeſticis vel aliis animalibus maxime ordinariis fruebantur textura, noſtro ab Auctore habentur annotatæ. Ventriculus conſpiciebatur triplex, quorum medius, ob œſophagi ſeu gulæ inſertionem merito ſalutandus primus, utroque latere in duos hiabat reliquos, intusque tali membrana albicante, craſſa & dura, interiori propemodum ingluviei avium pelliculæ reſpondente, obducebatur, qualis neque ſecundi neque tertii ventriculi

culi cingebat interiora. Interior quippe ſuperficies ventriculi ſecundi, duabus extremitatibus contortis cornuum ad inſtar, ſi inflatus, gaudentis, lævis erat atque mollis, membrana tenui, qualis in carnivoris fere animalibus eſſe ſolet, inſtructa; ad cujus ſimilitudinem & tertii ventriculi interna quodammodo accedebat membrana, niſi quod hæc craſſior adhuc eſſet, largisque plicis corrugata.

Inteſtina tenuia, quæ in aliis animalibus ampliori connexa meſenterio inferiora verſus ordinario magis propendent, arctius hic ob membranæ iſtius brevitatem colligabantur ſpinæ, & Colon, quod in aliis magis cernitur ſuſpenſum, hic propter peculiarem ſtructuram ſitum potius liberum eumque inferiorem obtinebat. Duodenum namque in quod tertius ſe exonerabat ventriculus, a piloro brevi proveniens circumvolutione multos cum reliquis inteſtinis tenuibus conſtituebat gyros, ac etiamſi meſenterium multum eſſet abbreviatum ſpinam verſus, ejusque circumferentia vere appareret exigua, ambitu nihilominus ſuo omnia inteſtina tenuia 27 pedes longa, complectebatur. Colon, quod reliquorum inteſtinorum intuitu revera largum erat novemque pedes longum, meſenterii peripheriæ, ſicut ordinario, haut adhærebat, ſed a centro ſeu medio exſurgens ſpirali emenſa linea, finem obtinebat liberum, gyrosque membranarum interventu arcte invicem unitos. Principio Coli breve quidem adſtabat Cœcum, ſed ſpatioſum omnino ac fecibus repletum. Vaſa Meſenterii nullos hic, ac alias, deſcribebant arcus, ſed numeroſa admodum recta potius incedebant via.

Lien coloris plumbei, aliquantum maculoſum, decem longitudine ſuperabat digitos, latitudine autem, quæ ubique fere erat eadem, in medio unum digitum cum dimidio exæquabat.

Hepar coloris obſcure rubicundi, & e quatuor amplis conflatum lobis glanduloſa evidenter gaudebat textura; omni vero carebat veſica fellea, biliarium ſaltem habens ductum, duodenum verſus eadem ratione ac alias progredientem.

Pancreatis multis ex glandulis contexti longitudo quinque vel ſex digitos excedebat.

Teſtes Scroto involuti duorum digitorum attingebant longitudinem, latiores in parte ſuperiori quam inferiori, in medio vero digitum unum latitudine transgredientes. Color eorum erat albicans,

ſicut

ſicut ſtructura adeo arcta, ut vaſcula, ex quibus componebantur, non æque ad oculum, ac in apris quidem ordinariis, apparerent. Deferentia vaſa ab inferiori teſtium ſubſtantia incipientia ita deſinebant, ut tantum non æqualiter vel in veſiculas ſeminales, vel in urethram ſe evacuare ipſis eſſet in proclivi. Commune hoc vaſis deferentibus & veſiculis ſeminalibus oſculum in tumorem quendam elevabatur, a Graſio caput gallinaginis dictum.

Veſiculæ ſeminales unum digitum cum dimidio longæ & quibusdam in locis tres quartas, in aliis vero dimidium digiti latæ, multum deprehendebantur glanduloſæ, notabili tamen deſtitutæ cavitate. Has exinde proſtatarum forſan hic obire munus ſuſpicatur Auctor, ni uſus idem iis potius binis glandulis veniat aſſignandus, quæ a muſculis penis erectoribus glanduloſas verſus veſiculas emergentes utrique urethræ lateri adjacebant, ſeque ipſas duobus orificiis prope penis radicem in eandem evacuabant. Cylindricæ erant glandulæ iſtæ, coloris ex albo flaveſcentis, digitum cum dimidio longæ, tres octavas digiti craſſæ, ac ſubſtantiam alentes ſatis firmam, inſtar teſtium, absque cavitate intus perceptibili. Penis ipſe longum ac gracile exhibebat corpus, multis e muſculis, e quibus duo inprimis perquam erant longi, coagmentatum.

Veſica urinaria rotunditatem æmulabatur exactiorem, quam in quibusdam aliis animalibus, ceu in quibus ea oblongior fere eſſe ſolet. Ureteres veſicæ cervici, non lateribus, ſicut in quibusdam, implantabantur.

Truncus arteriæ aortæ deſcendens cor inter atque diviſionem, qua in iliacos abit ramos, tribus intumeſcentiis conſpiciebatur notabilis; harum prima prope cor omnium largiſſima, poſt levem ſui anguſtationem exonerabat ſe in ſecundam, quæ aliquantum quidem minor intumeſcentia prima, multo tamen adhuc major ſecunda, prope ramos iliacos collocata. Duo ex his tumoribus inciſi multas inæquales oculo ſiſtebant cellulas ſeu foramina, absque eo tamen, ut arteriæ membranæ hic locorum craſſiores, quam alibi, animadverterentur. Tales vero arteriæ intumeſcentiæ ſeu extenſiones Galeno anevriſmata, ſicut venæ varices, appellatæ, num pro naturalibus, an præternaturalibus cenſendæ ſint, Autor equidem noſter, quod aliud præter hoc Tajacu, nullum anatomico ſubjicere cultro ſibi licuit, determi-

terminare vix audet, ita nihilominus colligit: ſi præternaturales fuerint, eo magis mereri annotationem, quomodo hic tanquam in arteria totius corporis robuſtiſſima pariter ac craſſisſima potuerint eſſe genitæ; ſi vero naturales, cum nulla re comparari melius eas poſſe, quam cum protuberantibus iſtis tumoribus, qui in bombycum aliorumque talium inſectorum aorta obvii eſſe ſolent, a Malpighio pro totidem habiti cordibus.

Oculorum membrana nictitans evidentior hic erat, quam communiter in quadrupedibus, muſculi vero eam haut attingebant diſtinctionem, quam in brutis quibusdam, unde nec oculorum motio adeo agilis vel regularis. Pupilla ſpectabatur rotunda, nervusque opticus axi propemodum oculi inſertus, in interna parte parvam exhibens impreſſionem; choroides autem ſub coloris pallido-violacei & aliquantum fuſci apparebat ſpecie.


Præ partibus autem hucusque conſideratis ſingularem Autoris excitabat attentionem corpus illud glanduloſum, in dorſo quod deprehendebatur collocatum, tanquam pars animali huic plane peculiaris ac propria. In deſcriptione hujus concinnanda ſæpius depictas Autor in ſubſidium vocat figuras, quæ ad vivum glandulam iſtam exprimentes diſtinctius eam, quam verba nuda phantaſiæ ſubjiciant. In Figura I lit. a. locum monſtrat Spinæ dorſalis, ubi præciſe ſupra pedes poſteriores corpus modo nominatum glanduloſum erat poſitum, ſed longis ſetis ita coopertum, ut non niſi manus demum auxilio, illud revelari poſſet; tunc enim in medio exilis ſpatii, fere glabri, paucioribus ſaltem, brevioribus & ſubtilioribus exornati pilis, protuberans glandulæ comparebat orificium, ob labra ſcilicet ejus aliquantum ſupra cutis ſuperficiem reflexa. Hoc, prout naturaliter amplum in Tab. III. Fig. 3. accurate exhibetur delineatum, ſtylum craſſum admittebat facillime, eique ad multas glandulæ partes concedebat aditum; levi vero ubi digiti comprimebatur attactu, parum liquoris albicantis ſubflavi, cujus portio quædam obſcurioris paululum erat coloris, eructabat, adeo gratum ſpirantis odorem, ut ab omnibus odori Moſchi vel Zibethi judicatus ſimilis, novum Moſchiferi Apro Mexicano impoſuerit cognomen. Glandula ipſa conglomerata ſeu ex minutarum glandularum albicantium multitudine contexta, ac quoad dimenſionem ſuam in Tab. III. fig. 4. exacte repræ-

L ſenta-

ſentata, inter cutem locabatur ac panniculum carnoſum, a quo cum anguli ejus (parte media, qua reſpiciebat dorſum, exiſtente nuda,) obtegebantur, cutis vix absque ſimultanea hujus glandulæ remotione poterat elevari; nullam intus notabilem fovebat cyſtim ſeu cavitatem, ſed ad ſpeciem pancreatis vel glandularum ſalivam ſecernentium accedens multis gaudebat ductibus excretoriis, in commune tandem paulo antea deſcriptum orificium terminantibus. De uſu hujus quam diverſa diverſi ſenſerint Scriptores, aliis pro umbilico, pro mamma aliis, aliis denique pro ſpiraculo quodam, per quod ducatur ſpiritus, eam reputantibus, fuſe noſter recenſet Autor, Hernandum admiratus, quod cum ex glanduloſa hac & molli, uti vocat, pinguedine humorem quendam viderit exſtillantem, odorem tamen, quem emittit, perceperit nullum; hujus quippe intuitu Autor noſter glandulam præſentem in numerum iſtarum glandularum ſeu capſularum, uti appellat, odoriferarum refert, quas in variis animalibus variis in locis a ſe fuiſſe obſervatas commemorat.

Tandem in oſſium compage cranium cernebatur integrum, absque ſuturis, a naſo ad capitis usque extremitatem, (ubi cranium multum anguſtatum denuo in triangularem ſe expandebat figuram, magno dorſum verſus foramine pro muſculorum quorundam inſertione relicto) digiti octo numerabantur cum dimidio. Meatus auditorius locum quodammodo notabilem prope capitis ſummitatem occupabat, in ſceleto lit. h. expreſſum. Maxillæ ſuperioris parti anteriori quatuor infigebantur dentes Inciſores, a quibus haut procul dens quidam locabatur exertus, largus, præacutus & ad exteriora prominens, pone quem ab utroque latere ſex gemini ſtabant molares. Maxilla inferior, cujus oſſa a molaribus ad inciſores videbantur carioſa, ſex cum dimidio digitos erat longa & unum cum dimidio lata, eo videlicet in loco, ubi primus geminus hærebat molaris, quales ſex itidem numero occurrebant, quemadmodum & quatuor inciſores, dentibus exertis hic ob putredinem amiſſis. Vertebræ colli obſervabantur ſeptem, quatuor cum dimidio digitos longæ: prima harum ſeu Atlas duobus latis proceſſibus transverſis erat inſtructa, omni vero carebat ſpina, non ſecus ac vertebra tertia, quarta & quinta, quam tamen latam vertebra ſecunda, quin imo acutam inſimul ſexta & ſeptima poſſidebant. Dorſum novendecim habebat

verte-


Fig. 4.
TAB. I
A: 1685. pa
Fig. 5.

vertebras, quarum prima, ſecunda, & tertia ſpinas longitudine tres digitos ſuperantes obtinebant, reliquæ vero ſecundum proportionem minoribus gaudebant ſpinis, quo propiores erant a cauda. Oſſis Coccygis ex pluribus quam ſeptem vertebris (quæ ultra oſſis Iſchii tractum haut protendebantur) conflati, vertebram primam ad duorum digitorum accedentem longitudinem, Autor in principio ex pluribus forſan oſſibus, nunc in unum coalitis, fuiſſe coagmentatam ſuſpicatur. A quovis latere quatuordecim comparebant coſtæ. Os Sterni ultra digitum prominebat, antequam prima ipſi implantabatur coſta. Scapulæ longitudo quinque æquabat digitos, ſicut oſſis femoris quinque digitos cum dimidio; quam etiam longitudinem os tibiæ ex toto ſpectatum attingebat, licet a junctura oſſis femoris ad os usque Metatarſi quatuor tantum digiti numerarentur. Tarſi oſſa erant quinque, Metatarſi tria duos digitos longitudine ſuperantia; digitorum oſſa novem, qualibet ungula tribus gaudente oſſibus, & quolibet pede anteriore tribus ungulis dotato. Os femoris pedis poſterioris ad ſex fere digitorum accedebat longitudinem, prope ſuam cum oſſe tibiæ juncturam parvum quoddam os, patellæ in homine ſimile, obtinens. Tibia hæc poſterior non uno conſtabat oſſe, ſicut anterior, ſed duobus, Focili nempe majori & minori, quinque digitos cum dimidio longis. Tarſi oſſa conſpiciebantur quatuor, calcis oſſe duos fere digitos exiſtente longo: Metatarſus quatuor pariter habebat oſſa, quorum duo interiora omnium erant ampliſſima, duos videlicet digitos cum una quarta longa; quatuor denique digitorum ſinguli tribus gaudebant oſſibus, ultimo horum cooperto ungue.

Explicatio Figurarum.
Tabula III.

Fig. I Naturalem Apri Mexicani figuram exhibens, ubi linea lit. a. notata glandulam odoriferam in poſteriori dorſi parte ſitam oſtendit.

Fig. 2 ſiſtens Sceleton.

TAB. III.

a Dentes anteriores ſeu Inciſores.
b Dens exertus ſeu prominens.
c c Dentes molares.
d Maxilla inferior.
e Pars ea, quæ carioſa erat, maxillæ inferioris.
f Cranium.
g Oculi orbita.
h Porus ſeu Meatus auditorius.

 i Tri-

i Triangularis Cranii expanſio a parte ejus poſteriori.
k Vertebræ Cervicis.
l l Vertebræ Dorſi atque Lumborum.
m Oſſis Coccygis vertebræ.
n n Coſtæ.
o Os Sterni protuberans.
p Scapula.
q Os Iſchii.
r r Os Femoris.
ſ Patella pedum poſteriorum.
t Tibia pedis anterioris.
u Larga quædam Tibiæ protuberantia.
w Tibia ſeu Focile majus pedis poſterioris.
x Fibula ſeu Focile minus pedis poſterioris.
y y Tarſus in pedibus æque anterioribus ac poſterioribus.
z Calx in pede poſteriori.
$\alpha\alpha\alpha$ Metatarſi oſſa.
$\beta\beta\beta$ Digiti.
$\gamma\gamma\gamma$ Ungues.

TAB. IV. Fig. 3 Glandulæ odoriferæ monſtrans orificium, prout naturaliter exterius in dorſo illud comparebat, quod propter levem quandam ſimilitudinem plerisque hucusque impoſuit, ut umbilicum idem crediderint, parvo ſpatio circumcirca hoc orificium ſetis fere exiſtente denudato.

Fig. 4 Glandulæ ipſius odoriferæ, quæ conglomerata ſive multis ex minoribus glandulis conflata erat, magnitudinem naturalem accurate exprimens.

Fig. 5 Pleraque abdominis viſcera, e corpore exemta, delineans.
A Oeſophagus ſeu Gula.
B Ventriculus primus.
C Ventriculus ſecundus.
dd Ventriculi ſecundi cornua.
E Ventriculus tertius.
f Pylorus.
g g g Inteſtina tenuia.
H H H Colon.
i Cœcum.
k Rectum.
l Meſenterium.
m m Vaſa Meſaraica.
n Pancreas.
o Lien.
p Hepar.
q Ductus biliarius ab Hepate ad Duodenum.

Tabula IV.

Fig. 1 Ventriculum monſtrans apertum.
A Oeſophagus ſeu Gula.
b Gulæ in ventriculum primum introitus.
C C Interior ventriculi primi ſuperficies, quæ pellicula quadam ſeu membrana robuſta, craſſa & albicante erat inveſtita.

D D Ventriculus ſecundus.
E E Ventriculus tertius, in quo plures plicæ deprehendeban- (tur.
f Pylorus.
Fig. 2 Externam trium ventriculorum ſuperficiem in ſitu ipſorum magis naturali exhibens.
A Gula.
B Ventriculus primus.
C Ventriculus ſecundus.
D Ventriculus tertius.
E Pylorus.
f f f Vaſa ſanguifera.
Fig. 3 Partes genitales cum Veſica exhibens.
A Veſica urinaria.
B Veſicæ Cervix.
C C Ureteres.
D D Teſtes.
e e Vaſa deferentia.
ff Veſiculæ ſeminales, quæ hic glanduloſæ comparebant.
g Caput Gallinaginis, ubi veſiculæ ſeminales & vaſa deferentia ſe in urethrâ exonerabant.
h h Duo corpora glanduloſa, pro Proſtatis forſan habenda.
i Oſcula, per quæ glanduloſa hæc corpora in urethram ſe evacuabant.
K Urethra aperta.
L Penis.
M M Duo Muſculi ad Penem pertinentes.
N N Alii Muſculi eidem aſſiſtentes.
Fig. 4 Cor & Aneuriſmata Arteriæ Aortæ ſeu Magnæ oſtendens.
A Cor.
b b Arteriæ magnæ rami aſcendentes.
c Arteriæ magnæ truncus deſcendens.
D Aneuriſma primum ſeu prima Arteriæ magnæ diſtinctio aperta, quo complures ipſius intus conſpiciantur cellulæ.
e Nova Arteriæ anguſtatio.
f Aneuriſma ſecundum pariter apertum.
g Aneuriſma tertium omniumque minimum.
h h Arteriæ Magnæ rami Iliaci.

TRAITE' DE L'USAGE DU LAIT, PAR B. Martin Apoticaire du Corps de S. A. S. Monſeigneur le Prince.

ſive

Tractatus de Lactis uſu. Autore B. Martino, Sereniſſimi Principis Condæi Pharmacopœo.

Pariſiis 1684, in 12.

 E Die-

Digitized by Google

E Diæteticis remediis, quo Lactis magis potens in affectibus quibusdam morboſis debellandis, aut ad minimum refrænandis deprehenditur virtus, eo minus noſtri Autoris ſpernendus labor, quod in Tractatulo præſenti Lactis uſum iis inprimis, qui in ejusmodi miſeriis Medicorum deſtituuntur ſuppetiis, exponere inſtituat, præcipue cum Magno tali Principi, qui omne ſui ac nutrimentum, & adverſus arthriticum inſultum in lacte quærit præſidium, ſit a ſerviriis. Feliciori vero progreſſus ergo non abs re generalem prius de Lactis generatione, analyſi itidem ac differentia multiplici ſuggerit notitiam, in generatione lacti materiam non a ſanguine, ſicut Veteres voluere, ſed a chylo potius concedi oſtendens, quem tamen non per arterias, ſed per canaliculos peculiares ad mammas deferri, ex lacte multarum nutricum nimis ſeroſo, velut ſubtiliori ſolummodo chyli parte per minutiſſimos meatus moveri apta, ſuſpicatur. Hinc ad ipſam lactis progreditur electionem, in qua ad lactis conſiſtentiam, guſtum, odorem ac colorem, tanquam legitima bonitatis κριτήρια, reſpiciendum eſſe præcipit, ex quo fundamento Lac nimis pingue damnat, non ſecus ac illud, quod ad flaveſcentem vergit colorem, eo excepto in caſu, ubi talis tinctura a croco fuerit introducta, id quod fieri poſſe extra omnem ponit dubitationem. Tum cautelas varias circa lactis uſum, triplici temporis differentiæ ratione Diætæ ac Medicamentorum accommodatas ita ſubminiſtrat, ut ventriculi potiſſimam ſemper habeat rationem, quo hic ſuas debite obeat functiones, nec adeo facile a lactis vel gravetur aſſumtione, vel turbetur aceſcentia; propterea paulatim ei primum indulgendum eſſe monet, quin imo eundem quoque in finem ſingulis ternis horis tres lactis uncias commode poſſe abſorberi autumat, etiamſi ordinario alias ter vel quater ſaltem hoc in die fieri ſoleat. Tandem morbos ſingulos, in quibus lactis conveniat uſus, ordine recenſet, ac reflexionibus inſuper quibusdam, cur lac tales laudabiles producat effectus, illuſtrat, multum butyroſæ ſeu pingui ejus parti, morboſa ſpicula acida obtundenti, hic tribuens. Quibus, dum vermium excretionis mentionem facit, non injucundam de Comœdo quodam Pariſienſi, in atroci Cephalalgia ſolo lactis calidi odore binos ſucceſſive vermiculos magnitudinis diverſæ excernente e naribus, immiſcet hiſtoriam.

THE

Digitized by Google

THE LIVES OF THE PRIMITIVE FAthers, by William Caue D. D. Chaplain in ordinary to his Majeſty.

h. e.

Vitæ Patrum primitivæ Eccleſiæ, autore VVilhelmo Caue, Theol. Doct. & Concionatore Aulico Regis M. Britanniæ.

Tomus I & II.

Londini, apud Rich. Chisvvel, 1682 & 1683 in fol.

QUamvis non exiguus ſit illorum numerus, qui de rebus Eccleſiæ novi Teſtamenti ſcripſerunt; diffiteri tamen non poſſumus, & mancam eſſe eam Hiſtoriæ partem, maxime quantum ad priora ſecula attinet, de quibus non niſi obſcura ad nos notitia pervenit, & mendoſam, quod plerumque homines, ſtudio partium ducti, vera falſis interpolarint, & ea prodiderint, quæ nunquam facta ſunt. Poſt magnam igitur ſcribentium multitudinem cum ſupereſſe nihilominus circa idem argumentum animadvertiſſet Vir doctiſſimus Wilhelmus Caue, in quibus perficiendis & explanandis ipſe cum fructu verſari poſſet, illuſtrare antiquiorum temporum memoriam, Eccleſiæque primam ætatem depingere ſuſcepit, eo animo, ut pro virili ambigua evolveret, intricata enodaret, & inprimis ſuccurreret oppugnatæ paſſim veritati. Atque ut lectorum uſitata plerumque faſtidientium rationem quodammodo haberet, viſum eſt non conſueta illa ac vulgari methodo annalium uti, ſed vitas Patrum Doctorumque, juxta ordinem temporis, quo quisque vixit, condere, & ſimul ea, quæ in Eccleſia ſub ipſorum moderamine contigerunt, commemorare. Primus quidem operis hujus tomus anno 77 prodiit; ſuperiori autem 82 denuo recuſus eſt, quod prioris editionis pauca admodum exemplaria ſupereſſent. In eo res Eccleſiæ trium a Chriſto nato ſeculorum Autor tradit, exorſus non ab Apoſtolis ipſis, ſed a Viris Apoſtolicis, qui iſtis vel coætanei fuerunt, vel proxime ſucceſſerunt in munere docendi. Cujus rei hæc eſſe ratio poteſt, quod de Apoſtolorum vita, & illorum temporum eventibus utcunque e ſacris

ſacris literis cognoſcere liceat. Facile autem ab omnibus, quam in præfatione petiit, veniam impetrabit, quod & pauciores Doctores nominet, quam tribus ſeculis floruiſſe ſit veroſimile, & forte minus de illis, quorum hiſtoriam texit dicat, quam lectores expectent. Nam cum e monumentis iſtius ætatis pauca eaque fracta admodum rudera nobis ſuperſint, ſperare ſane non poſſumus perfectam omnibusque numeris abſolutam hiſtoriam rerum, a noſtra memoria per vetuſtatem tam longe remotarum. Diligentiam in Viro clariſſimo deſiderare nemo poterit, quam ipſe cum ingenii acumine & naturali facundia ſic conjunxit, ut boni hiſtorici partes feliciſſime impleviſſe videatur. Verum etiam eſt, nec ſtudium vanæ gloriæ ſapit, quod ipſe de hoc opere ſuo, rei bene geſtæ ſibi conſcius affirmat, nihil ex omni antiquitate Eccleſiaſtica reliquum eſſe, cujus alicubi non ſit a ſe facta mentio. Inter Viros Sanctos & Eccleſiæ Doctores Stephanus Protomartyr primo loco ſiſtitur; ultimus eſt Dionyſius Alexandrinus, poſt cujus vitæ enarrationem exhibetur brevis index, qui trium ſeculorum eventa juxta ſeriem temporum dirigit, & Romanorum Imperatorum Conſulumque ordini res Eccleſiæ accommodat.

Tomus alter, qui nunc primum publicæ luci exponitur, Patres commemorat quarti ſeculi, quam ætatem Eccleſiæ multæ res inſignem ac memorabilem reddiderunt, maxime illud, quod tum gentilis ſuperſtitio eradicari, & efflorelcere Chriſtiana fides cœperint, decentemque autoritatem conſecutus ſit Sacer Ordo. Tractationi præmiſſa eſt introductio, quæ in aliquot ſectiones diſtincta, de ſtatu Gentiliſmi, deque ſorte Paganorum ſub Imperatorum Chriſtianorum primo & ejus ſucceſſoribus agit; quibus mediis Julianus ab orco revocare idololatriam conatus ſit, explicat; poſtea ediſſerit, quid Joviano, Valentiniano & Valente regnantibus acciderit; ac demum plenam Gentiliſmi extirpationem a Theodoſio ſuſceptam, & ab his, qui ipſum in imperio proxime ſecuti ſunt, perfectam deſcribit. Liber ipſe novem Patrum vitas exhibet, *Euſebii* ſcilicet, *Athanaſii, Hilarii, Baſilii, Gregorii Nazianzeni, Cyrilli Hieroſolymitani, Ambroſii, Epiphanii, & Chryſoſtomi:* ſingulorumque principio natales & educationem, deinde honores, & res geſtas, porro virtutes ac nævos, denique ſcripta, & alia inſignia in Eccleſiam merita recen-

cenſet. Nec illorum quicquam obliviſcitur, quæ ipſis viventibus evenerunt. Cumque prima duo Concilia Generalia in hanc ætatem inciderint, eorum actis fuſius explicandis vacat, alias etiam ſynodos ſuo loco memorans, quales fuerunt, quæ Tyri, Sardicæ, Sirmii, Seleuciæ &c. coactæ leguntur. Prolixus inprimis eſt in deſcribendo Athanaſio, cujus vitam in plures periodos diviſam ſingulis ſectionibus pertractat. Ita autem novem Doctorum hiſtoriam texit, ut aliorum, quorum acta peculiare caput non poſtulabant, paſſim ſimul mentionem faciat. Eorum tamen aliquos iterum producit, ac breviſſime laudat in appendice operi adjecta, cui Chronologicus ejusmodi index, qualem primo additum tomo memoravimus, annexus invenitur.

JOHANNIS SEGERI VVEIDENFELD
de Secretis Adeptorum,
ſive
De Uſu Spiritus Vini Lulliani Liber I.
Londini, apud H. Hills, & proſtat Lipſiæ, apud *Kornerum* & *Gleditſchium*, 1684. in 4.

INter illa, quæ artem Alchymiſticam hactenus non paucis Virorum Eruditiſſimorum reddidere ſuſpectam, agmen ducunt termini, in deſcriptione hujus myſterii ab Adeptis adhibiti, ſæpius usque adeo obſcuri, ut quid ſibi velint, nullo ingenii acumine potuerit penetrari. Et licet Turnheiſerus olim in ſuo onomaſtico, Guilielmus Johnſonus in lexico chymico, Rulandus, Petrus Joh. Faber, aliique Chymiatrorum, explicationem ænigmatum ac barbararum vocum ſuſceperint, non tamen artis hujus involucra omnia ita removerunt, ut Lectori ſumma ſecretioris Chymiæ arcana clare & ſine umbra pateſcant. Erit igitur, de quo ſibi inſigniter gratuletur Myſteriorum horum ſectator, Auctorique noſtro gratias perſolvat maximas, quod præſenti tractatu (quemadmodum in titulo „ præfatione ad chymiæ alumnos, ac aliis paſſim locis ſancte pollicetur,) nudam ſine veſte Dianam, i. e. artem Alchymiſticam ſine tropis, figuris, parabolis, nominum barbarorum velaminibus ſpectandam ſiſtat, ita ut inpoſterum (ſunt verba ipſius autoris,) nemo vel doctiſſimus autoritate

ſua, nemo vel diſertiſſimus perſuaſione ſua, nemo vel ſubtiliſſimus impoſtor aſtutia ſua, poſſit quenquam niſi volentem decipere, & a via regia in devia deducere. Quatuor autem libris hæc ſua promiſſa abſolvit Autor, quorum cum primus hucusque ſolus prodierit, ejus tantum contenta inpræſentiarum exhibemus. Agit vero illo de Menſtruis philoſophicis, quo nomine intelligit liquores volatiles ex Spiritu Vini Philoſophico, rebusque variis varie confectos, corpora non tantum ſeparantes, ſed etiam iiscum permanentes, eaque ſui additione alterantes, ita ut ambo non ſint amplius, nec iterum eſſe poſſint, quod fuere olim. Melioris poſtmodum doctrinæ gratia menſtrua hæc in vegetabilia & mineralia diſtinguit, deſumendo rationem hujus appellationis, non a ſubjecto, quaſi vegetabilia e vegetabili regno, mineralia ex minerali natales peterent ſuos, ſed a natura potius, ſicut ſolventia quæ carent acido manifeſto, & absque ebullitione aut motu operationem ſuam præſtant, vegetabilia, ſicuti verſa vice, quæ acore quodam manifeſto gaudent, corporaque cum ſtrepitu diſcerpunt, mineralia dicantur. Rurſus autem utramque hanc claſſem ſubdividit in ſimplicia & compoſita, de quorum titulis iterum monet, ſimplicia a virtute mitiori ac ſimplici, compoſita a fortiori magis ac tingente facultate ſic dici. Præmonitis hiſce ſub examinis incudem vocat primo vegetabilia menſtrua, quorum duodecim proponit genera; videlicet I ſimplicia ex vino Philoſophico tantum parata; II ex Spiritu vini Philoſophico & vegetabilibus oleoſis; III ex Spiritu vini Philoſophico & ſalibus oleoſis; IV ex Spiritu vini Philoſophico & ſalibus volatilibus; V ex Spiritu vini & ſalibus fixis, non tingentibus; VI ex Spiritu vini & tartaro Philoſophico; VII compoſita menſtrua ex prædictis ſimplicibus tantum; VIII compoſita ex modo recenſitis cum argento vivo vel reliquis metallis; IX ex menſtruis ſimplicibus & rebus tingentibus prius fixatis; X ex menſtruis vegetabilibus compoſitis & corporibus metallicis; XI ex menſtruis compoſitis, cœli & terræ influentiis impragnatis, & tandem XII ſumme exaltata ex menſtruis compoſitis ſumme graduatis. Totidem etiam generibus abſolvit menſtrua mineralia; XIII namq; genus ſimplicia ex materia vini Philoſophici tantum exhibet; XIV ex acidis vel ſalſis ſalium eſſentiis & menſtruis vegetabilibus confecta; XV ex Spiritu vini Philoſophico & ſpiritibus acidis, ſcilicet aqua forti & ſpi-

& ſpiritu nitri &c. XVI ex acetis philoſophicis & ſalibus volatilibus urinæ & ſalis armoniaci vulgi; XVII ex aceto philoſophico & ſalibus fixis non tingentibus, tam vegetabilibus quam mineralibus; XVIII ex ſale ammoniaco vegetabili & acetis non tingentibus. In XIX genere compoſita ſequuntur menſtrua mineralia, ex ſpiritu vini philoſophico & *ſpiritibus* acidis tingentibus, ſpiritu vitrioli, butyro antimonii; *in* XX ex ſpiritu vini philoſophico & ſalibus aliisque rebus tingentibus, vitriolo, cinabari, hæmatite; in XXI ex menſtruis *mineralibus* ſimplicibus & rebus tingentibus prius fixatis; in XXIII ex aceto philoſophico, aliisque menſtruis mineralibus compoſitis, & corporibus metallicis aliisque rebus non tingentibus; denique in XXIV ex menſtruis vegetabilibus & mineralibus invicem commixtis. Sub hiſce viginti quatuor menſtruorum generibus centum & quinquaginta proceſſus diverſos ex Baſilio, Lullio, Pariſino, Ripleo, Bacone, *Paracelſo*, Trithemio, Triſmoſino, Guidone, Rupeciſſa, Hollando ac *Alberto Magno* excerptos adducit, inque illis tam quæ ad præparationem faciunt, per annotationes ac obſervata, ſingulis generibus interjecta & ſubnexa, declarat, quam explicando varias vocum acceptiones, quæque contradicere ſibi videntur conciliando, multum deſudat. Unicum tantum eſt, quod deſiderari adhuc in præſenti opere poſſit, nimirum Autorem ſpiritus vini Lulliani præparationem, quem tamen ceu fundamentum omnium deſcriptorum menſtruorum extollit, penitus ſubticuiſſe; inſerendam nempe libro V horum Secretorum, ſuo etiam tempore edendo.

L'HOMME DE COUR, TRADUIT DE L'Eſpagnol de Baltaſar Gracian, par le Sieur Amelot de la Houſſaie, avec des notes.

i. e.

Vir aulicus, Balthaſaris Gratiani, ex Hiſpanico Latine verſus a Dn. Ameloto Huſſæo, cum annotationibus.

Lutet. 1684 in 4 & 12.

INterpres *Gratiani Amelotus*, plurimis ſcriptis orbi literato notus, verſionem hanc ſuam *Regi Chriſtianiſſimo* prolixa & eleganti epiſto-

Digitized by Google

la dedicavit. In hac percurrens, quæ Rex bello & pace magna & præclara geſſit, (in quibus etiam Reformatorum oppreſſio, non ſanguinis effuſione, ſed, ut ait, longa diæta, honorum nempe & munerum ſubtractione procurata, laudatur,) non dubitat Gratianum, ſi vitam produxiſſet, inſignia illa elogia, quibus Heroem ſuum *Ferdinandum Arragonium* mactavit, meliori jure *Ludovico Regi* tributurum fuiſſe. Huic enim rectius quam illi aptari, quod univerſaliter & ſingulariter excellat, *& omnibus optimis in ſua cujusque laude præſtantior ſit*. Huic etiam vocem illam Hiſpanicam (*Deſpejo*) quæ verti non poſſit, omnes tamen ſummasque Principis & hominis dotes exprimat, optime convenire, & in hoc conjuncta eſſe rariſſimo exemplo, *intelligentiam* & *diligentiam*. In præfatione non negat obſcure admodum ſcripſiſſe Gratianum, neque tamen Jeſuitæ *Buburſii* cenſuram meruiſſe, quaſi ſcripſerit, quæ ipſe non intellexerit, aut eo fine, ne intelligerentur. Allegat *Vincentium Johannem de Laſtanoſa*, editorem librorum Gratiani, qui idem obſcuritatis vitium objicientibus, & inſuper dolentibus, quod ſumma Aulicæ prudentiæ arcana in vulgus hoc libro propalata ſint, reſpondet, non omnibus ſcripſiſſe Gratianum, ſed ſublimitati rerum pari dictionis altitudine venerationem conciliaſſe, & vulgaribus ingeniis ſenſum earum præcluſiſſe, quamvis talia vel maxime videri velint omnia penetrare. Ita *Ariſtotelem* ſcripſiſſe, quæ præter *Alexandrum* nemo ſatis intelligeret. Non inepte itaque libro huic lingua Hiſpanica *Oraculi* titulum datum eſſe, pro quo interpres modeſtiæ, ut ſcribit, cauſa illum ſubſtituit, qui verſioni præfixus eſt. Contineri quidem in trecentis hujus tractatus axiomatibus ait, quæ optimi magiſtri, *Homerus*, *Ariſtoteles*, *Seneca*, *Tacitus*, *Plutarchus*, *Æſopus*, *Lucianus* & *Apulejus* docuerint, ſed ita compoſita & ſeculi moribus accommodata, ut nihil ad perfectionem politicæ ſcientiæ libello huic deſit, niſi quod (ut ex illuſtris cujusdam viri judicio refertur,) longior ſit, quam ut edisci poſſit, brevior quam ut ſatis amplam legendi materiam præbeat. Rationem porro reddit, cur Gratiano non *Laurentii*, quod Hiſpanicæ editiones habent, ſed *Balthaſaris* nomen appoſuerit. Hoc enim verum fuiſſe, *Nicolai Antonii* Hiſpalenſis teſtimonio probat, narratque, natum fuiſſe *Balthaſarem Calataiudi* in Arragonia, & Societati Jeſuitarum adſcriptum, *Tarraconenſe* Collegium rexiſſe,

mor-

mortuum anno 1658, *ætatis quinquageſimo quarto.* Scripſiſſe (1) *El Heroe*, i. e. Heroem, a *Gervaſio* Medico Gallice verſum, meliori ſenſu quam ſtylo. (2) *El Politico Fernando*, Ferdinandum Politicum, ita quidem, ut ſupra omnem modum Regem iſtum extulerit, inter alia ſcribens: ſi aliquando deficere Monarchiam Hiſpanicam contingat, fore, ut ſtatim inſtauretur, ſi reviviſcere Ferdinandus poſſet. Hic dubitare ſe non illepide dicit Interpres, an reſuſcitari is vellet, ſi ſciret, ſe cum *Ludovico XIV.* componendum eſſe. (3) *Agudeza* i. e. Acumen, quem tractatum multa Jeſuitarum elogia continentem *Genuenſis* quidam Italice vertiſſe, & ſuo nomine edidiſſe perhibetur. (4) *El Diſcreto*, ſive Diſcretum. (5) *Criticon*, ſatyræ inſtar vitiis ſeculi omnisque generis hominum oppoſitum. Hos omnes, ſicut & qui nunc prodit, *Oraculum* ſive *Virum Aulicum*, ſub Laurentii fratris nomine edidiſſe Balthaſarem, quod Sacerdos ipſe, de rebus non Theologicis ſcribere verecundaretur; unicum nomine non diſſimulato publicaſſe, cui titulum fecit *Comulgador*, i.e. Communicator, ſeu meditationes de ſacra communione. Dubium vero eſſe, an lucem conſpecturi ſint, quorum ſpes facta fuit, *Atento*, i.e. Attentus, & *Galante*, i.e. Elegans ſive Urbanus. Locum ſcilicet hic invenire querelam *Plinii* junioris *Lib.V.Ep.5.* mortem Fannii deplorantis, ubi ſcribit: *Mihi videtur acerba ſemper & immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant; nam qui voluptatibus dediti quaſi in diem vivunt, vivendi cauſas quotidie finiunt: qui vero poſteros cogitant, & memoriam ſui operibus extendunt, his nulla mors non repentina eſt, ut quæ ſemper inchoatum aliquid abrumpat.* Hæc ex prolegomenis, non invito, ut putamus, Lectore excerpſimus, ut de autoris Hiſpani, ingenioſi & acutiſſimi, hiſtoria & ſcriptis pateſiant, quæ nobis huc usque parum nota fuerunt. Axiomata trecenta, conciſiſſimo ſtylo arctata, in compendio exhibere, idem eſſet ac deſcribere. Legi poſſunt exiguo labore, ſed nonniſi magno & repetito intelligi; quamvis interpres operam dederit, ut ad perſpicuitatis Gallicæ genium griphos illos explicaret, & ex autoris, quæ ſupra indicavimus, ſcriptis, *Heroe* & *Diſcreto*, liquidiora in annotationibus ſubjungeret, in quibus & ex aliis accuratiſſimis rerum politicarum ſcriptoribus ſententias ſelectas, cum fructu reperire licet.

M 3 REGU-

Digitized by Google

REGULA CREDENDORUM, SEU METHODUS Polemica ad omnes omnino homines a vera religione diſſentientes, clare, breviter ac ſolide convincendos. Ex Lingua Anglicana in Latinam traducta. Autore I. K. Catholico Anglo.

Leodii, typis Gerardi Griſon 1684 in 8.

CUm *Autoris* propoſitum ſit, methodum, ut ipſe loquitur, *rationalem, compendioſam, claram, facilem* & *generalem* oſtendere, qua omnes a religione Pontificia diſſentientes aut illi adverſantes convinci queant; principia ſe inveſtigaturum pollicetur, quæ in ſeipſis vera, ad veram religionem comprobandam accommodata, ac talia quidem ſint, ut a nemine negari aut in dubium vocari poſſint. Hujusmodi autem inter alia eſſe ſcribit: *aliquid eſt verum.* Hoc principio inniti præſentem *methodum*, quam *polemicam* dixit: & ex eo ſemel conceſſo deducere licere, tum veritatem religionis Romano-Catholicæ, tum omnium eorum, quæ tanquam articuli fidei ab illa traduntur, affirmat. Itaque ut ejus utilitas fiat manifeſtior, eandem ſex articulis conſtare, quorum unus ex altero quaſi neceſſaria connexione fluat, demonſtrare nititur. Nam ex eo, ſi *aliquid eſt verum*, probare inſtituit, (1) *etiam eſſe verum Deum*; ſi autem ſit verus Deus, eſſe (2) *verum religionem*; & ſi ſit aliqua vera religio, *eſſe* (3) *verum aliquam revelatam Religionem*; & ſi aliqua ſit revelata religio, *eſſe* (4) *Chriſtianam religionem veram*; & ſi Chriſtiana eſt vera, (5) *Catholicam Romanam* (hanc enim p. 25. intelligit) *etiam religionem eſſe veram, & conſequenter ab omni errore fundamentali liberam*: & inde (6) colligit, *quod nullo modo tanquam articulum fidei, ullum doceat errorem, aut corruptionem, ſed ab omni prorſus errore & corruptione ſit immunis.*

Summa connexionis & demonſtrationis methodi hujus & articulorum ſex recenſitorum huc redit. Supponit *Autor* verum eſſe, inter entia, quæ exiſtunt, unum eſſe alio melius: hoc admiſſo, debere eſſe aliquod Ens omnium exiſtentium ac poſſibilium *optimum maximum:* atque hoc eſſe *Deum verum.* Ab exiſtentia DEI veri pergit deducere *exiſtentiam veræ religionis* hoc pacto: ſi eſt Deus verus, debere nos eum honorare, eique obedire; hoc fieri vero non poſſe, niſi

ſit

ſit aliqua doctrina, quæ nos doceat, quomodo eum honorare & quibus in rebus illi obedire debeamus: *hanc* autem *doctrinam* eſſe *verum religionem*, quæ a DEO revelanda ſit, quia homines ſcire nequeant, aut particularem modum, quo velit ab ipſis honorari, aut particulares materias, in quibus ſibi depoſcat obſequium. Itaque admittendam eſſe *religionem revelatam*. Admiſſa vero illa, *veritatem religionis Chriſtianæ* ita oſtendere laborat: ſi eſt religio vera revelata, procul dubio illa vera eſt & a DEO revelata, quæ miraculoſe propagata fuit; talem vero fuiſſe propagationem religionis Chriſtianæ. Conceſſa hujus veritate, *religionis Romano-Catholicæ veritatem* hunc in modum demonſtrare ſatagit: ſi Religio Chriſtiana vera eſt, idque recte probatur ex illius propagatione; *Religio* quæ eodem pacto propagata fuit, ac Chriſtiana, *vera eſſe debet*. Atque hoc de religione ſua Romana affirmat: ergo illam veram eſſe colligit. Demonſtrata ſic, ut putat, religionis ſuæ veritate, ulterius concludit, nihil ab ea tradi tanquam articulum fidei, quod non ſit verum.

De connexione quinti hujus & ſexti articuli, quippe qui μέγα λίαν αἴτημα continent, Chriſtianus & eruditus lector judicet, an firma ſit & novi quidpiam contineat. Autoris interim ſcopus inde patet, ſcilicet perſuadere Chriſtianis, Religionem Pontificiam eſſe veram & ab omni errore fundamentali immunem.

PHYSICÆ CONCILIATRICIS CONAMINA, adumbrata a Joh. Chriſtoph. Sturmio, Philoſ. Nat. & Mathem. P. P.

Norimbergæ, apud Wolffg. Mauritium Endterum, 1684 in 12.

CUm Sectaria philoſophandi ratio valde noxia ſit, tum quod qui cæco affectu unum Magiſtrum ſequuntur, meliora ab aliis tradita non agnoſcant, ſed in effingendis effugiis, quibus labanti opinioni ferant ſuppetias, vel in affingendis adverſæ ſententiæ abſurditatibus, aut defectibus, quibus forte laborat, exaggerandis, tempus feriæ veri inquiſitioni impendendum, inutiliter conſumant; tum quod adoleſcentes rixoſa ea Philoſophia imbuti habitum altercandi, & criminan-

minandi ad ſuperiores facultates afferant, pari licentia eas tractent & per omnem vitam, cum muneribus jam admoti ſunt, litigioſe exerceant; huic malo pro ſua quoque virili occurrere laborans doctiſſimus Sturmius, diſcipulos ſuos in Philoſophiæ naturalis ſtudio ad veritatem agnitam ita deducit, ut diverſum ſentientes, non erroris, non vitii, non malitiæ accuſet, ſed cum fieri poteſt, eorum hypotheſes cum ſuis conciliet. Specimina ejus pacificæ Philoſophiæ parvus iſte libellus, in uſum ſcholarum phyſicarum rogantibus Auditoribus editus, multa habet. In hoc enim plurima veterum vel approbantur, vel excuſantur, & verum hodie detectum ipſos ſi non plane perſpexiſſe, ab eo ſaltim non longe abſuiſſe docetur, modernorum inventa & cogitata juſto æſtimantur pretio, omnique ſtudio id agitur, ut quoad fieri poteſt, univerſi in gratiam reducantur. Quam non ſolum civilem & humanam, ſed & ſcientiarum augmentis valde profuturam rationem tractandi res naturales, prolixiore opera ſe proſecuturum promittit in Phyſica ſua Eclectica ſive Hypothetica. Quod a viro exercitatiſſimo in his ſtudiis concinna methodo adornatum & magnam partem jam confectum opus, & expetunt, & accipient avidiſſime eruditi.

TRACTATUS ADVERSUS REPROBAtionis abſolutæ decretum, nova methodo & ſuccinctiſſimo compendio adornatus.

Londini, apud Joh. Norris 1683 in 8.

OPuſculum hoc Anonymi eſt, ac molis exiguæ, ſed quo Calvinianorum de abſoluto reprobationis decreto ſententia acerrime refellitur. Diviſum eſt in partes duas, quarum prima falſitatem illius dogmatis, altera malignitatem oſtendere Auctor ſatagit. Et falſitatem quidem, quia 1. pugnet cum Dei bonitate, ſanctitate, juſtitia, & veritate; 2. expreſſis Scripturæ locis contradicat; 3. Scripturæ totius ſcopum & finem fruſtretur. Malignitatem vero, quod 1. natura ſua comparatum ſit ad omnem religionem exſtirpandam; 2. ad omnis regiminis civilis ſubverſionem tendat; 3. homines in deſperationis gurgitem præcipites agat.

(o)

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ
Calendis Martii Anno MDCLXXXV.

APOCALYPSIS B. JOANNIS APOSTOLI EXPLAnatio hiſtorica Auctore Daniele Herveo *Nannetenſi, Oratorii Jeſu Chriſti Domini Noſtri Presbytero.*

Lugduni, apud Petrum Borde, 1684 in 4.

POſt multorum tum veterum tum recentiorum Commentatorum cogitationes in Apocalypſin, in hac ſua Explanatione *Innocentio XI.* Papæ dicata ſuſcipit *Herveus*, eventus, qui ſedecim ſæculis elapſis ſecundum vaticinium Apocalypſeos contigerunt, ex probatis variorum temporum hiſtoriographis aſſerere. Arbitratur enim illam *uſque ad medium capitis vigeſimi* congrue ac veraciter explicari poſſe, reliqua adhuc eventura qui ſciat ſatis, neminem eſſe. In quibus meditationibus ſuis quid præſtiterit Auctor, ex præcipuorum vaticiniorum expoſitionibus, quas adſcribemus, conſtabit.

Cap. VI. Primi ſigilli libri cœleſtis reſignatio inſidentem equo albo, habentem arcum ac coronam, ac vincentem exhibens, ſignificat inſignem victoriam, quam *Agareni* mirabiliter reportarunt ſub ſpecie arcus inſoliti aliorumque ſupernorum portentorum a *Dione Caſſio* memoratorum, adverſus equitatum & exercitum *Trajani* Chriſtianorum perſecutoris, & ſuperbi innumerarum gentium victoris.

Secundum ſigillum apertum alternas notat cædes Romanorum & Judæorum, quæ juſto DEI judicio, quod Chriſtianos perſecuti eſſent, contigere *ſub Trajano & Adriano.*

Tertio ſignaculo reſignato indicatur penuria ſolius panis, non autem vini & olei, *ſub Marco Antonino & Lucio Vero.*

Sub ſigillo quarto bellum, fames, peſtis continentur, tempore *Galli & Voluſiani* Imperatorum.

In reſignatione quinti ſigilli, judicium quod poſtulant Martyrum animæ, & vindicta quam expetunt, eſt ruina impietatis ethnicæ, & converſio omnium gentium ad Chriſtum. In eum enim finem, ut everteretur cultus dæmonum, & unus DEUS ubique coleretur, ſanguinem ſuum fuderunt. Jubentur exſpectare aliquot ſæculis, ut ſuperſtitionis ethnicæ ruinam, quam poſtulabant, & ſolius Chriſtianæ religionis decus ac regnum, quod popoſcerunt, perſpiciant.

Apertura ſigilli ſexti refert horribilem terræ motum, qui *Antiochiam*, cum in ea *Trajanus* degeret, ſubvertit.

Facta apertura ſigilli ſeptimi *Cap. VIII.* prima plaga infidelibus poſt clangorem primæ tubæ Angelicæ inflicta, accipienda eſt de *legione Chriſtiana fulminante* ſub M. Aurelio Antonino Philoſopho. Secundam plagam ex ſecundæ tubæ Angelicæ clangore obortam *Byzantium* ſtrage ſua ſub Severo Imperatore ſuſtinuit. Tertia plaga ex ſonitu tertiæ tubæ Angelicæ immiſſa pertinet ad tempora tum *Antonini Pii*, tum *Gallieni Imperatorum*. Obſcuritas inſueta Solis, Lunæ & ſiderum ad clangorem quartæ tubæ Angelicæ, tempus *Gallieni* Imperatoris reſpicit. Quintam plagam *Cap. IX.* poſt quintæ tubæ Angelicæ clangorem *Valeriani* Imperatoris Romani & Chriſtianorum perſecutoris captivitas, a Sapore Rege Perſarum; & ſextam plagam peſtilentia ſub *M. Antonino & Lucio Vero* implevit.

Cap. X. Angelus jurat non fore amplius tempus cultus dæmonum, imperii ethnici, & perſecutionis adverſus Chriſtianos, ſed regnum Dei & Chriſti, quod accepto libro & devorato Johannes jubetur prædicere.

Cap. XI. Sub figura templi ac ſanctæ civitatis menſibus quadraginta duobus a gentibus calcandæ, oſtendit Dominus tueri ſe dona Spiritus S. & virtutes fidelium, qui templum ejus interius ac ſpirituale ſunt; loca vero externa, ubi conveniunt ad publicam orationem, & ea, in quibus degunt, ſubjacere poteſtati infidelium tribus annis ac dimidio, ſub multis Imperatoribus ethnicis. Clerus & populus Chriſtianus ſunt *duo teſtes fideles* ſub Jeſu a Joſedecho prognati, & Zorobabelis, nec non Moyſis & Eliæ figuris repræſentati, qui pietate ſua impietatem ethnicam expugnaturi, Eccleſias ad cultum reædificaturi, &

vari-

varias plagas gentilibus inflicturi erant. Corpora S. Martyrum, tempore perſecutionum in plateis Romæ ethnicæ (*qua Sodoma, Ægyptus & Jeroſolyma Chriſti interfectrix appellatur*) inſepulta jacebunt; pace vero Eccleſiis reddita ſolennes a fidelibus honores, utpote a Deo in cœlum recepti martyres conſequentur, unde expaveſcent infideles. Illo tempore factus eſt terræ motus Hieroſolymitanus, cum Judæi tentarent templum reædificare ſub *Juliano Apoſtata*. Audita tuba ſeptimi Angeli cœlites gratias agunt DEO ob translatum imperium Romanum ab ethnicis ad Chriſtianos. Apertura templi cœleſtis & apparitio arcæ teſtamenti in eo, nec non tonitrua & terræ motus, ac grando magna, ſignificant futurum, ut quamvis *Diocletianus* eccleſias Chriſtianas & libros ſacros combureret, atque omnibus modis impediret, ne Martyrum corpora haberentur in honore; tamen eccleſiæ Chriſtianæ ubique tandem extruerentur, in earumque adytis aſſervarentur libri ſacri: ſignum Crucis victoriam de impietate promittens *Conſtantino* cœlitus appareret: vera crux & nonnulla præcipuorum myſteriorum Chriſti ſanctiſſima loca ab ethnicis obtecta detegerentur; in iisque conſtruerentur eccleſiæ: crucis quoque cœleſte ſignum præter terræ motum & tempeſtatem inſuetam appareret, cum molirentur Judæi templum Hieroſolymis inſtaurare: impius autem Cæſar Galerius ſub Diocletiano in gratiam deorum ſuorum publice perorans, argueretur a DEO vero ſubitis & extraordinariis tonitruis, pluviis & denſa grandine: ignis libros ſacros comburens aliquando miris imbribus & grandine permixtis extingueretur &c.

Cap. XII. ſex primis verſibus, Eccleſia Chriſti ſponſa, fidem ejus & Apoſtolorum habens immutabilem, fœta promiſſionibus divinis nititur, ut edat in lucem virum, qui eam a perſecutionibus liberet: adverſatur ipſi Diabolus tum per ſe, tum Imperatorum ethnicorum, qui ei addicti ſunt, ferocitate. Eccleſia prudenter fugit, ac tandem enititur *Conſtantinum*, qui raptus ad divina contuenda, pacem ei tribuit, gentium delubra & idola conterit, & cultum DEI in omnes Imperii ſui fines diffundit. Prælium S. Angelorum & Dæmonum, illorum de ſubvertenda impietate ethnica, horum pro illa tuenda: dejectio horum, qui ante adorabantur ut dii, & Chriſtianos perſequebantur: Angelorum ſanctorum & Martyrum victoria, & de ea cœleſtis lætitia, *a ſeptimo verſu ad primam partem duodecimi verſus*,

ad tempora Conſtantini, Maxentii, Licinii pertinet. *A parte ſecunda verſus duodecimi ad verſum decimum quartum*, tempore perſecutionis tum a Maximino, tum a Licinio motæ, cum jam Conſtantinus Chriſti fidem amplexus eſſet, Eccleſia aquilæ comparata, avolat in deſertum, ibique, DEO providente, alitur. *Verſu 15. & 16.* ingentes copiæ intelligendæ ſunt, quas Maxentius contra Conſtantinum pluries immiſit, a Conſtantino tum occiſæ in terra multiplici certamine, tum in Tiberim demerſæ, dum ab eodem Imperatore ultima pugna fugarentur. *Duobus ultimis verſibus* Licinii adverſus Chriſtianos perſecutio & prælia prædicuntur, tum terreſtria tum navalia contra Conſtantinum, a quo profligatus eſt.

Uti *Cap. XIII. v. 1. 2.* Beſtia de mari aſcendens eſt Imperium Romanum ethnicum Chriſtianos atrociter perſequens, cujus impietas in Nerone extincta, revixit in Domitiano *v. 3. ad 10.* ita altera de terra ſurgens ſpeciatim præfigurat Imperatores collegas, Diocletianum Jovium & Maximianum Herculium, nec non Galerium Maximianum & Maximinum, Diocletiani, cum adhuc viveret, in Imperio a ſe abdicato ſucceſſores. Numerus Beſtiæ v. 18. *ſexcenti ſexaginta ſex*, invenitur in nomine, DIOCLETIANUS JOVIUS, unica litera I dempta. Unicam vero literam licere etiam in hac nominis computatione tollere, ſuadet tum licentia in acroſtichis permiſſa, tum quod Diocletianus tam a matre Dioclea, quam a loco natali convenienter Diocleanus dici queat. DIOCLEANUS JOVIUS ergo habet literas numerales, D. I. C. L. V. I. V. I. V. quæ ſic junctæ D. C. L. V. I. IV. V. I. faciunt ſexcenta ſexaginta ſex. Cum etiam beſtia habeat duo cornua, hoc eſt, duos Imperatores, nempe *Diocletianum* & *Maximianum*, fas eſt computare numerum amborum nominum. Ex horum igitur literis numeralibus ita ordinatis D. C. L. IIX. IV. IV. emergunt ſexcenta ſexaginta ſex. Præter hoc ſub eodem numero innuitur tam dives & pretioſa præda, quam bini illi Imperatores de Perſis ſuperatis retulerunt, atque in triumpho ſuo Romanis oſtentaverunt, ut comparari queat ſexcentis ſexaginta ſex talentis, quæ Salomon accipiebat ex Ophir, ſeu ex India Perſis finitima & ſubjecta.

Cap. XIV. v. 14. ad fin. Oſtenduntur ſub figuris meſſis & vindemiæ victoriæ, quas Conſtantinus eodem anno reportavit de exercitibus Maxentii, primum apud Taurinos & Veronam, deinde prope Romam.

Cap.

Digitized by Google

Cap. XV. Canticum fideles ob victoriam Conſtantini Maxentio in Tiberim demerſo concinunt.

Cap. XVI. Quinq; plagæ a quinq; Angelis inflictæ notant peſtem, & carbunculum, famem & ſitim, æſtum, & ignem ſacrum, ac cæcitatem, quibus percuſſi ſunt divinitus ethnici ſub Maximino, inſano Chriſtianorum perſecutore. *Sexta plaga* ab Angelo ſexto immiſſa accipienda de bello, quo Julianus Imperator, Chriſtianæ Religionis deſertor ac perſecutor, præter ſuperbam animi ſui præſumtionem, & falſa deorum ſuorum oracula, turpiter victus eſt a Perſis & occiſus. *Septima plaga* Angeli ſeptimi primis annis Valentiniani Imperatoris Chriſtiani intulit terræ motum ab orbe condito inauditum, necem Procopii & Marcelli, cognatorum Juliani, cujus impietatem & imperium excitare tentabant. Hinc ſequitur excidium Civitatum gentium, & ruina tripartita tum Nicomediæ tum Romæ *v. 19. & 20.* Grando vehemens *v. 21.* quæ poſt extinctum Procopium Juliani Apoſtatæ conſanguineum graſſata eſt Conſtantinopoli, & in Cappadocia, Valentiniano & Valente Imperatoribus.

Cap. XVII. & XVIII. Condemnatur *Roma ut ethnica ſub ſpecie meretricis & beſtiæ, ſeptem capitibus & decem cornibus monſtroſa*, inſaniens inanium deorum ſuorum amore & furens in Chriſtianos, opibus & populis affluens, ſeptem montibus, ſuper quos ſita eſt, celebrata, notata etiam ſeptem Imperatoribus a Nerone primo Chriſtianorum perſecutore ad Trajanum, & ab eo ad Licinium & Julianum decem alios Imperatores, Chriſtianæ Religionis perſecutores habens.

Cap, XIX. v. 11. ad 16. Chriſtus aperit Johanni victoriam, quam Theodoſius de Maximo & Eugenio Tyrannis reportaturus erat. *Quinque ultimi verſus ejusdem capitis* prædicunt ſtragem ingentium exercituum *Rhadagaiſi Gothi* ſub Honorio, *Varanis Perſæ, Alamundari Saraceni, & Rhoili Scythæ,* ſub Theodoſio Juniore.

Cap. XX. decem primis verſibus hæc eſt apocalypſis: Diabolus, qui antea per Imperatores ethnicos erat princeps hujus mundi, ligatur tanquam tyrannus & mancipium *mille annis*, quibus imperium tenebunt Chriſtiani: eoque millenario ſancti Martyres, quos prius Ethnici deſpiciebant, veluti cum dedecore mortuos, *vivent reſurrectione civili & religioſa* apud Chriſtianos populos, a quibus magno in honore habebuntur, utpote cœleſtis vitæ & regni Chriſti participes. Modico

autem tempore poſt completum millenarium, ſolvetur Satanas, & priſtinam in terra poteſtatem magna parte recuperabit per *Turcas infideles* imperio potitos: verum illos per Chriſtianas regiones circumquaque effuſos & adverſus Chriſtianam religionem dimicantes, Chriſtus Dominus tandem temporali & æterno igne aduret.

Quas Explanationes Herveus unice profert & ſtabilire nititur, nullas alias a ſuis valde differentes, quas Interpretes vel Romanæ vel Proteſtantium eccleſiis addicti prodiderunt, allegans, multo minus reprehendens.

TRACTATUS DE POLITIA ECCLESIÆ ANglicanæ. Cui acceſſerunt Richardi Zouch, LL. D. *Deſcriptio Juris & Judicii Eccleſiaſtici ſecundum Canones & Conſtitutiones Anglicanas, & Deſcriptio Juris & Judicii Temporalis ſecundum Conſuetudines Feudales & Normannicas.*

Londini, apud Rob. Clavel. 1683. in 8.

TRigam hic ſiſtimus Tractatuum, junctim & altera nunc vice in lucem publicam prodeuntium: quorum quidem duos priores argumenti ſimilitudo facile combinavit, dum uterque Inſtitutiones quaſi Legum Angliæ Eccleſiaſticarum exhibet; tertium vero, diverſa licet continentem, quod tamen eundem cum ſecundo autorem agnoſceret, vel ideo jungere maluit editor, ut eum, alioqui forte brevi tempore oblivioni tradendum, hac ratione ab interitu quodammodo vindicaret. Pauca jam ut de ſingulis pro inſtituti ratione commemoremus; primus ille tractatus de Politia Eccleſiæ Anglicanæ, tempore Jacobi R. Angl. conſcriptus eſt a Doctore *Mocket*, qui Archiepiſcopo Cantuarienſi a ſacris domeſticis fuit, ac Præfectus Collegii omnium Animarum in Academia Oxonienſi. Flammas aliquando paſſum eſſe libellum hunc, licet in ſe innoxium, docemur in præfatione: eo ſcilicet, quod editus eſſet una cum *Juelli* Apologia pro Eccleſia Anglicana & aliis quibusdam libris, qui, cum ſuſpecti quid & ſtatui Eccleſiaſtico iſtius regni non admodum congrui continere crederentur, iſtud ſupplicium ſubire juſſi ſunt. Scopus Autoris eo maxime tendit, ut Hierar-

Hierarchiæ Anglicanæ ordinem in compendio exhibeat, doceatque inſimul ex antiquioribus ſcriptorum atque conciliorum monumentis, ejus formam, uti nunc eſt, minime a Papatu derivatam, ſed potius ab ejusdem abuſibus vindicatam, & primævæ Eccleſiæ praxi reſtitutam habendam eſſe. Præmittit autem in *cap. 1.* diviſionem totius Angliæ, cum politicam, in 52 comitatus, quos nominatim enarrat; tum eccleſiaſticam, ab iſta quodammodo dependentem, in duas provincias Archiepiſcopales, Cantuarienſem & Eboracenſem; quæ conſtent ex viginti ſex Diœceſibus Epiſcopalibus, ordine pariter enumeratis, ac complectentibus parochias in univerſum 9725. Porro in *cap. 2.* quænam in Anglia habeantur leges Eccleſiaſticæ, demonſtrat: edocet nimirum, eas conſtare partim ex communibus principiis juris Canonici, quatenus regni ſtatutis ac conſuetudinibus haud contrarientur; partim Conſtitutionibus, tum nationalibus univerſæ Eccleſiæ Anglicanæ a *Joh. de Anthon* in ordinem redactis; tum provincialibus, quas *Guil. Lynwood* collectas commentariis illuſtravit. Deinde ordine perſequitur officia ac dignitates perſonarum in Hierarchia iſta eminentium, incipitque *cap. 3.* ab ipſo Rege, tanquam Eccleſiæ Anglicanæ capite, cujus autoritatem eo intuitu ſupremam quidem, non tamen omnino illimitatam agnoſcit: inter alia vero jura, ipſi hoc nomine competentia, commemorat jus deſignandi Epiſcopos, conferendi beneficia Eccleſiaſtica, congregandi concilia, exigendi ab Epiſcopis homagia, recipiendi ultimas appellationes in litibus univerſis Eccleſiaſticis, (quod jus jam inde a temporibus Henrici II, & amplius, Regibus Angliæ competere probat) quin & absque appellatione cauſas tales dirimendi per Commiſſarios ſuos Eccleſiaſticos, ſi appareat, judices inferiores non debite officium ſuum facere. Pergit *cap. 4.* ad exponendam Archiepiſcoporum poteſtatem, recenſetque jura tum utrique communia, tum Cantuarienſi in ſpecie competentia & propria. Ad communia refert, quod gaudeant titulo Clementiæ ſeu *Grace*, præcedentia ſupra omnes Duces regni, immunitatibus & libertatibus in latifundiis propriis; quod provinciales ſynodos juxta præſcriptum Regis convocent, convocatasque moderentur & ultimum in iis ferant ſuffragium: item quod, juxta peculiaria iſtius regni jura, approbatio & inſinuatio ultimarum voluntatum ad eos ſpectet; quin & ab inteſtato ſuccedentibus concedere debeant adminiſtrationem bonorum

cujus

cujuslibet defuncti, qui intra eorum diœceſin habuit bona *notabilia*, hoc eſt, ad ſummam quinque librarum ad minimum adſcendentia: quæ conceſſio in tantum neceſſaria eſt, ut qui absque hujus impetratione ipſe ſe in bona defuncti intromiſit, excommunicationem mereatur, uti *pag. 109.* videre eſt. Propriæ Cantuarienſi Archiepiſcopo prærogativæ recenſentur, quod primus Par Regni ſit, & præcedentia utatur præ omnibus magnis officiariis; quod inauguret Regem in actu coronationis: quod deſignet Notarios publicos, qui licet ſingulares, in teſtimonio tamen perhibendo poſſint eſſe inſtar duorum teſtium: quod diſpenſet cum valetudinariis, puerperis, ſenibus, ægrotis, ut carnibus veſci queant illis diebus, quibus alias ob rationes politicas ibi interdictum eſt: quod denique gratiam faciat legum Eccleſiaſticarum in omnibus cauſis verbo Dei non repugnantibus, modo ſolitæ fuerint in Curia Romana alias obtineri. Tandem & hoc officio utriusque Archiepiſcopi accenſetur, quod ſingulis per totum annum diebus dominicis ſacroſanctum Chriſti evangelium ſedulo concionari teneantur. Ab Archiepiſcopis ad Epiſcopos *cap. 5. 6. & 7.* tranſit autor, eorumque tam dignitatem, quam juriſdictionem contentioſam æque ac voluntariam ordine exponit. Ad dignitatem refertur, quod titulum *Dominorum* habeant ratione Baroniarum Epiſcopatibus annexarum, & reliquos Barones antecedant: non in privatis ſolum congreſſibus, ſed & in ſeſſionibus Parliamenti; ubi talem eos ſervare ordinem perhibet, ut poſt Cantuarienſem & Eboracenſem Archiepiſcopos primum locum teneat Epiſcopus Londinenſis, ſecundum Dunelmenſis; hinc ſequatur Wintonenſis & deinde reliqui, ut quisque conſecratione prior eſt; niſi quod proximum locum poſt Dunelmenſem obtineat, qui Regi fuerit a conſiliis ſecretioribus. Officio eorum annumerat irrogationem Cenſurarum eccleſiaſticarum, quarum diſtinctas ſpecies latiuſcule exponit: item quod habeant jus concedendi licentiam exercendi Medicinam & Chirurgiam: quod ſingulis trienniis viſitent ſuas diœceſes, ibique inter alios abuſus inquirant in exceſſus & delicta medicorum, chirurgorum & obſtetricum, an exerceant artem ſuam non probati, aut in ſuis functionibus ſortilegium aliquod aut ſuperſtitioſi quid admiſerint; ut alia Epiſcoporum munia ibi recenſita, ſed ex jure Canonico jam ſatis nota, omittamus. *Cap. 8.* de Cathedralibus Eccleſiis agit, tractatque de ordine & muneribus Canonico-

nicorum. *Cap. 9. & 10.* deſcendit ad minora officia eccleſiaſtica, agitque de Cancellariis Epiſcoporum, quos antiquis illis Eccleſidicis ſeu Epiſcoporum Ecdicis, item de Archidiaconis, quos Periodeutis, de Decanis ruralibus, quos Chorepiſcopis veteris Eccleſiæ quodammodo comparat: porro de Presbyteris, Diaconis, Oeconomis, Teſtibus Synodalibus & Æditui, quæque ſingulorum functiones ſint, exponit. Inter alia perhibet, tametſi vocatio presbyterorum plerumque certum locum, in quo munus hoc exercere debeant, reſpicere ſoleat: in Anglia tamen aliquos vocari quandoque ad miniſterium ſine deſtinatione ad certum locum, ut Socios Collegiorum, quique ultra quinquennium Artium Magiſtri, propriis ſumtibus degunt in Academiis. Quod Teſtes Synodales attinet, eorum officium in eo conſiſtere ait, ut eos, qui ſcandaloſe vivunt, Epiſcopis ad puniendum deferant, utque proſpiciant, quo omnes parochiani Eccleſias debite frequentent, ac iisdem per integrum rei ſacræ tempus interſint. *In ult. cap.* tractat de Synodis Nationalibus & provincialibus, earumque haud exiguam utilitatem eſſe autumat, non obſtante, quod Gregorius Nazianzenus *ep. 42. ad Procopium* ſcripſerit, *ſe nullius unquam Synodi bonum & felicem vidiſſe exitum.* Docet autem, ea quæ in Synodis iſtis definita ſunt, Regia autoritate rata cenſeri, quin & nonnunquam poſt Regiam illorum confirmationem a ſuprema Parliamenti curia tanquam Regni leges promulgari; perinde ac Juſtinianus *Novell. 131. c. 1.* ſanxerit, ut prima quatuor Concilia Oecumenica vicem legum obtinerent.

Sequitur *alter Tractatus*, continens Deſcriptionem juris & judicii Eccleſiaſtici Anglicani, qui, perinde ut *tertius*, autorem agnoſcit *Richardum Zoucheum*, (cujus Quæſtiones Juris Civilis *anni præteriti menſe Decembri* commemoravimus,) prodiitque primum cum *ejusdem Elementis Juriſprudentiæ* anno 1636. Commendat ſe libellus hic nervoſa ſua, nec minus perſpicua brevitate, dum pauciſſimis plerumque verbis multa exprimuntur, & omnia quidem hauſta ex ipſiſſimis fontibus Juris Canonici, & Conſtitutionum Angliæ Eccleſiaſticarum; quorum ſingula etiam loca ſummo cum ſtudio ad marginem allegata reperiuntur, ne forte aliqua penes lectorem ex brevitate obſcuritas remanere poſſit. In quatuor partes opuſculum diſpeſcitur, quarum ſingulæ decem abſolvuntur ſectionibus. In *prima* tractatur de Juribus Eccleſiaſticis in genere, ut & de Perſonis Eccleſiaſticis earumque offi-

ciis; in *ſecunda* de acquiſitionibus, contractibus & delictis eccleſiaſticis; in *tertia*, de forma judicii & proceſſus Eccleſiaſtici in genere, & in *quarta* in ſpecie de forma judicii circa ſingulos contractus atque delicta. In contentis ejus recenſendis non erimus prolixi, maxime cum multa ex iis coincidant cũ argumento tractatus antecedentis, ob materiæ conſonantiam. Pauca tamen eorum carptim ſaltem commemoraſſe non pigebit. Sic in *parte 1. Sect. 5.* ubi de Dominico Sacro, i.e. Regalibus Eccleſiaſticis agit Autor, inter alias Regis prærogativas recenſet, quod omnium vacantium Epiſcopatuum fructus temporales ad uſum proprium percipiat, ut & Annatas ſive Primitias cujuscunque beneficii Eccleſiaſtici poſt vocationem; decimas item perpetuas omnium beneficiorum, utpote quas Papa Urbanus Richardo II, ut ipſum contra Carolum R. Gall. adjuvaret, conceſſiſſe perhibeatur. *P. 2. ſ. 4* probat, in Anglia teſtamenti factionem nullis plane egere ſolennitatibus, ſed meram in ejusdem probatione Juris gentium ſimplicitatem attendi, adeoque ſufficere ſi aut duo ſaltem adſuerint teſtes, aut ſola etiam ſcriptura teſtatoris propria manu conſignata exhibeatur. In *P. 3. ſ. 2. & 3.* tractat de Curiis Eccleſiaſticis tum ſupremis, tum intermediis. Supremas eſſe ait Curiam Delegatorum, in qua cauſæ civiles & appellationum ab Archiepiſcopis eo devolutæ decidantur, ut & Curiam Commiſſariorum Regiorum, in qua delicta Eccleſiaſtica ſuprema autoritate coerceantur. Inter Curias intermedias ab Archiepiſcopo ſcilicet Cantuarienſi dependentes, primum locum adſignat Curiæ de Arcubus, ita dictæ ab Eccleſia arcuata Londinenſi, B. Virgini dicata; cujus etiam judex Decanus de Arcubus appellatur. Poſt eam collocat Curiam Audientiæ, quæ Londini in Eccleſia D. Pauli habetur, quam juriſdictione quidem illi æqualem, dignitate tamen & antiquitate inferiorem perhibet; huic adjicit Curiam Prærogativæ Cantuarienſis, in qua controverſias de teſtamentis, & adminiſtratione bonorum a defunctis relictorum, diſceptari dicit. Singularia etiam ſunt, quod illis in terris ratione cauſarum eccleſiaſticarũ fatale interponendæ appellationis non decem, ſed quindecim diebus terminetur, *P. 3. ſ. 5:* quod in cauſa divortii propter adulterium non feratur ſententia ad ſeparationem, niſi pars, quæ petit ſententiam, cautionem ſufficientem interponat, quod ad aliud matrimonium, quamdiu pars nocens vivit, convolare nolit, *P. 4. ſ. 7:* quod denique blaſphemia, perjurium,

Digitized by Google

jurium, ſacrilegium, fornicatio, adulterium, inceſtus, lenocinium, uſuraria pravitas, calumnioſa diffamatio, habeantur pro delictis Eccleſiaſticis, adeoque eorundem coercitio Judici Eccleſiaſtico relinquatur. Atque hæc de ſecundo etiam iſto tractatu dicta ſufficiant.

Supereſt tertius, de Jure & Judicio temporali ſecundum conſuetudines Feudales & Normannicas, ejusdem cum præcedenti Autoris, methodo *etiam* exacte parallela concinnatus, in tantum, ut non numerus *ſaltem* partium & ſectionum idem ſit, ſed & ordo materiarum utrinque correſpondeat; & quemadmodum prior ille tractatus compendium exhibebat juris Eccleſiaſtici, ſecundum ſtatuta Angliæ; ita hic præſens ſynopſin ſiſtit juris temporalis, cum ſecundum jus commune feudale, tum ſecundum conſuetudines Normanniæ. Tametſi vero de jure feudali ejusque contentis nihil hic attineat dicere, cum in vulgus nota *ſint:* ex Normannicis tamen conſuetudinibus præcipuas, a jure Communi diſcrepantes, ad ductum Autoris indicaſſe juvabit. Narratur itaque, ſecundum Normanniæ ſtatuta ad *Dominicum* ſive Regalia Ducis ſpectare theſaurum ubicunque repertum; item res *vaivas* ſive derelictas, quas, cum inveniuntur, nemo vindicat; ut & *veriſcum* ſive *wreccum*, i.e. merces, quas mare in terram ejicit, *pag. 217;* niſi dominus earum ex naufragio evadens easdem intra annum & diem ſuas eſſe probare queat, *p. 236.* Porro, Vaſallum minorem 20 annis eſſe in cuſtodia & tutela Domini feudi, qui durante hac minorennitate feudi uſum fructum percipiat, dummodo Vaſallo interim victum competentem præſtet, & fundos atque ædificia in ſtatu debito conſervet, *p. 233.* Donationem rei, retento ad vitam uſufructu, invalidam eſſe, *p. 236.* Filium, qui ſextum annum complevit, morientem poſſe diſponere de tertia parte bonorum mobilium, *p. 337.* Fœminam conjugatam non poſſe de ulla re teſtari, niſi conſentiat maritus, *ib.* Teſtatorem, qui deſcendentes vivos habet, non poſſe de bonis mobilibus diſponere, niſi de tertia ſaltem eorum parte, in qua tamen etiam expenſæ funeris contineri debeant, *ibid.* Parentes de bonis mobilibus non poſſe inæqualiter teſtari inter liberos, *p. 238.* Si quis ſine teſtamento decedat, generaliter ad Epiſcopum diœceſanum pertinere de ejus *Catallis*, *i. e.* bonis mobilibus diſponere & ea diſtribuere, *p. 238. Catalla* uſurariorum decedentium, ut & eorum, qui ſibimetipſis violentas manus inferunt, ad Principem ſpectare, *ibid.* Litigantes in judicio intentio-

tentionem ſuam probare teneri per ſacramentum duodecim hominum intra *vicinetum*, i. e. intra leucam proximam natorum, qui inde Juratores dicuntur, *pag. 253*. Fidejuſſionem, quæ ibi locorum *plegiatio ſimplex* dicitur, non tranſire in heredes, ſed cum fidejuſſore expirare, *p. 271*. Delinquentem, ſi ad Eccleſiam confugiat, poſſe ibi per octo dies morari; judicem vero, diſpoſitis interim cuſtodibus, ne aufugiat, nono die ab eo exquirere debere, utrum ſe exponere velit juſtitiæ laici, an *ſe tenere eccleſiæ*: ſi poſterius elegerit reus, teneri eum renunciare jurato patriæ, finibusque intra tempus a judice ſtatutum excedere; bona vero ejus univerſa in fiſcum cadere, *p. 274*. Recantationem denique injuriæ atrocis in alterum prolatæ fieri debere ab injuriante, naſum ſuum per ſummitatem tenente, *p. 278*. Notatu quoque non indignum eſt, antiquam iſtam probationem cauſæ controverſæ per duellum adhuc ſtatutis Normannicis comprobari; cujus proceſſum Autor *p. 254*. ſequentibus verbis deſcribit: *in die duello adſignato pugiles ante horam meridiei in curia comparere debent, in tunicis cum ſcutis & baculis cornutis armati, capillos ſuper aures rotunde adæquatos habentes: cumque uterque eorum ſe Juſtitiario*, i. e. judici, *obtulerit, duelli verba per Juſtitiarium debent recitari; & deinde ad campum ducendi ſunt pugnaturi, & quatuor milites eligendi ſunt, qui campum cuſtodiant, omnesque alii ſedere debent in corona, & bannum Ducis proclamatur, ne quis, ſubpœna vitæ & membrorum, verbo vel facto alicui pugilum auxilio vel impedimento ſit. Tum pugiles præſtitis invicem juramentis, de veritate cauſæ, & quod ſorcerias* i. e. incantamenta *non adhibeant, & peracta competenter oratione, pugnam ineunt; & ſi defenſor ſe usque ad ſtellas de nocte in cœlo apparentes defendere poterit, victoriam conſequitur.*

ECCLESIÆ ANGLICANÆ POLITIA IN TABULAS digeſta, autore Rich. Coſino, LL. D. olim Decano de Arcubus & Cancellario ſeu Vicario Generali Archiepiſcopi Cantuarienſis.

Oxonii, 1684. in fol.

QUam modo compendioſis *Mocketi* & *Zouchei* tractationibus propoſitam exhibuimus, Politiam Eccleſiæ Anglicanæ; eandem breviori

Digitized by Google

viori adhuc methodo contractam ſiſtit præſens opuſculum. Poſthumus *Coſini* fœtus eſt, editus primum Londini anno 1604 opera Th. Crompton, poſtquam Autor ipſe jam anno 1598 diem obierat. Sedecim in univerſum conſtat tabellis ſynopticis, in gratiam Cleri maxime concinnatis, ut hic exactiorem quendam regiminis eccleſiaſtici typum in promtu & ante oculos habere poſſet. De contentis ipſis nil attinet dicere: exacte enim cum argumento dictorum modo tractatuum conveniunt. Cæterum huic novæ editioni præfatio præmittitur, ſuccinctam de Autoris, tanquam multorum judicio præſtantiſſimi, vita aliiſque nonnullis opuſculis Anglico idiomate editis, narrationem exhibens.

NOUVEAU RECUEIL DE PLUSIEURS QUESTIONS notables, tant de Droit, que de Coutumes, jugées par Arrets d'Audiances du Parlement de Paris, par M. Lucien Soefve &c.

ſive,

Sylloge nova plurimarum Quæſtionum notabilium, ex jure tam ſcripto, quam conſuetudinario deciſarum per Decreta in Audientiis Parlamenti Pariſienſis lata, colligente Luciano Suavi, Advocato ejuſdem Parlamenti veterano.

Tom. I.

Pariſiis, apud Carolum de Sercy, 1682 in fol.

QUantis in deliciis ſupremorum dicaſteriorum deciſiones, ſuper caſibus dubiis editæ, habeantur ab iis, quibus ſacra Juriſprudentiæ adyta penitius intrare eſt animus, id quidem apud omnes in confeſſo eſt: ſupervacuum proinde foret, earundem vel autoritatem vel utilitatem multis hic verborum ambagibus extollere. In quibus colligendis tametſi multorum hactenus labor occupatus fuerit; nihilominus pleriſque eorum vel ex eo palmam ſe præripuiſſe confidit præſentium Editor, quod ne unica quidem inter Cauſas ſeu Quæſtiones has

Digitized by Google

reperiatur, cujus & ventilationi, & deciſioni ipſe præſens auritusque teſtis non interfuerit. Quod ut eo facilius præſtare poſſet, eas ſolum controverſias ſibi ſumſit referendas, quæ in Audientiis Parlamenti, adeoque proceſſibus nuncupativis diſceptatæ fuerunt, utpote in quibus, cum viva voce cauſarum merita ab advocatis partium utrinque allegentur, felicius plerumque in ſubſecutæ ſententiæ rationes penetrare detur, quam in proceſſibus, qui mutuo productis partium ſcriptis agitantur, ubi illæ fere in abdito manere ſoleant. Numerus ipſarum quæſtionum, ab Autore noſtro editarum, octo abſolvitur centuriis: quarum quatuor præſens exhibet tomus: reliquas ſecundus, quem proxime ſiſtemus, complectitur. Ordo in iis recenſendis non alius adhibitus eſt, quam temporis, quo definitæ per ſententiam fuerunt, ab anno nempe 1640 procedendo uſque ad annum 1682: cumque ſic promiſcue confundantur materiæ, ad eum defectum ſupplendum cuilibet tomo index præmittitur, cujus ope ſingulæ Deciſiones ad certos titulos ſeu generaliora capita reducuntur, quo eas ſic ordinatiori ſerie diſpoſitas contueri liceat. In hiſce autem quæſtionibus ita verſatus eſt Autor, ut propoſita paucis facti ſpecie, breviſſimis, quantum fieri potuit, verbis tantum exponat jura, ab advocatis utriusque partis allegata, ſubjungatque ſecutam ſupremi Parlamenti deciſionem: non enim ex profeſſo ſingulas pertractare, aut in eas prolixius inquirere viſum ipſi fuit. Tametſi vero ex hac noſtra Sylloge cauſas, rarioribus licet caſibus paſſim inſignes, integras huc tranſcribere, earumque diſceptationem omnibus inſtructam circumſtantiis ſiſtere ob anguſtiam pagellarum prohibeamur: nihilominus permiſſum erit ex ſingulis centuriis Deciſiones ſaltem nonnullas excerpere, atque exempli loco breviſſimis adducere, quæ ſcilicet vel ob caſum non ubivis obviũ, vel ob ſententiam a regulis juris cõmunis quodammodo deflectentem, (eas enim, quæ manifeſte jura Provinciarum conſuetudinaria pro fundamento habere viſæ ſunt, conſulto omiſimus,) præ reliquis conſpicuæ fuerunt. In *Centuria* itaque *prima* v. g. definitum refertur: Maritum, a quo fœmina ob impotentiam prætenſam ſeparari petierat, non poſſe pendente iſto proceſſu eam accuſare ob commiſſum cum alio adulterium, cum de matrimonii validitate nondum conſtet; poſſe tamen eundem denunciare magiſtratui, ad inquirendum contra ipſam diſſolute viventem, *cap. 1.* Donatoris prohibitionem,

tionem, ne extra familiam domus donata alienetur, non excludere filias, licet hæ alioqui familiæ partem facere non reputentur, *cap.3.* Teſtamento facto & inſertis hiſce verbis: nolo teſtamenta, ſi qua poſthac a me ſcripta exhibeantur, pro genuinis reputari, niſi hæc inibi clauſula reperiatur: *Miſerere mei, domine Deus*, &c. cum poſtea contigiſſet eundem alia condere teſtamenta hanc clauſulam continentia; in ultimo vero reliquis omnibus expreſſe derogare, non tamen facta ulla clauſulæ hujus mentione; judicatum eſt, hoc ultimum unice valere, *cap.10.* Poſſeſſores fundorum Eccleſiæ non poſſe repetere meliorationum impenſas, ſi eosdem vindicari contigerit, *cap.16.* Dimiſſionem bonorum, quam parentes vivi liberis fecerunt, a parentibus quandocunque retractari poſſe pro lubitu, *cap.59.* Donationem revocari valere ob ſupervenientem donatoris neceſſitatem, *cap.19.* Per mortem hominis civilem, v.g. ingreſſum in monaſterium, feudum non fieri apertum, *cap.59.* Monachos non poſſe adhiberi teſtes in teſtamento, *cap.81.* Donatorem non teneri ad evictionem, etiamſi eam expreſſe ſe præſtiturum promiſiſſet, *cap.91.*

In *Centuria II* pronunciatum fuiſſe reperimus: marito (qui uxorem primum accuſaverat de partu ex inceſtuoſo coitu concepto & ipſa nuptiarum die edito,) ab accuſatione deſiſtente; nec uxoris patri, nec Fiſcali competere ulteriorem ejus criminis vindicationem, *c.1.* Legatum matris, quæ monaſterio in quo filius degebat, ſexcentas libras annuas reliquerat, extinctum putari, poſtquam filius eſſet mortuus, eo quod ejus intuitu crederetur fuiſſe ſcriptum, licet id ex verbis non appareret, *c.10.* Valere diſpoſitionem a patre factam, ut filius diſſolute vivens portionis ſibi competentis uſum fructum tantum habeat, proprietate ejus filiis reſervata, *c.16.* Mulierem, quæ ad famam obitus mariti, ſocero priore conſentiente ſecundas inierat nuptias, non teneri poſtea, cum ab hoc dotem repeteret, probare mortem prioris mariti, utut hic famam iſtam fefelliſſe obtenderet, *cap.20.* Re duobus nepotibus a patruo his verbis legata: *volo, ut eam tanquam fratres inter ſe partiantur*; deciſum eſt, alterius prædefuncti portionem alteri non accreſcere, eo quod verbis tantum conjuncti eſſent, *cap.31.* Contractum locati reſcindi non poſſe ob ſpectrorum tumultus in domo conducta perceptos, *cap.32.* Tranſactionem revocari valere, ſi appareat, ſententiam prius

prius, licet eodem die, in cauſa fuiſſe latam, tametſi hoc utraque pars ignoraſſet, *cap. 35.* In civitate, quamprimum obſideri cœpit, vi legum bellicarum commeatum & inſtructum bellicum inibi repertum communicari, adeoque Senatum, qui tali in caſu res iſtiusmodi privatis ereptas publice diſtribui fecerat, non teneri ad reſtitutionem, *cap. 49.* Viduam ei nubentem, cum quo intra annum luctus impudice vixerat, non ideo privandam eſſe commodis, ex prioris mariti teſtamento ad eam redundantibus, *cap. 51.* Legatum virgini relictum, ut Monialis fieret, huic, antequam legati dies cederet, monaſterium ingreſſæ deberi; etiamſi alias talis pro mortua haberetur & legatorum incapax eſſet, *cap. 74.* Conductorem non habere beneficium ceſſionis bonorum, intuitu pretii locationis, *cap. 76.* Actionem de mala tractatione, a filio patri illata, non ab alio, quam parente ipſo inſtitui poſſe, *cap. 79.* Majorennitatem ſtatutariam non tollere reſtitutionem in integrum, ſi eam adeptus, 25 tamen annis minor in alienatione immobilium graviter læſus appareat, *cap. 81.* In materia beneficiorum eccleſiaſticorum minorennitatem non attendi, indeque ceſſare reſtitutionem ob factam a minore beneficii reſignationem, niſi dolo ſit inductus, *cap. 88.* Fœminæ futuros heredes non poſſe eam accuſare de ſuppoſito partu, ſi maritus adhuc in vivis ſit, *cap. 89.* Lata ſententia, ut maritus, quem uxor impotentiæ incuſaverat, intra trimeſtre ſpatium ei cohabitaret; poſtquam hic contumax non paruiſſet rei judicatæ, & fœmina, non expectato ulteriori decreto aut ſolennitate, alteri nupſiſſet, pronunciatum, matrimonium hoc eſſe validum, nec priorem maritum amplius audiendum, licet jam ſententiæ ſatisfacere vellet, *cap. 94.* Bonæ fidei emtorem pretium repetere poſſe a domino, rem furtivam vindicante, antequam reſtituere teneatur, *cap. 96.*

Ex *Centuria III* ſequentes excerpere definitiones libuit: Fœminam non poſſe impugnare matrimonium ſemel contractum ex eo, quod mariti, coire potentis, ſemen non eſſet prolificum, *cap. 2.* Sententiam epiſcopi, qua clericus ob crimen declaratus erat incapax beneficiorum eccleſiaſticorum, nocere clerico etiam extra diœceſin illius epiſcopi, *cap. 11.* Donationis revocationi locum eſſe, quaſi ob ſupervenientiam liberorum, ſi filii naturales poſt per ſubſequens matrimonium fuerint legitimati, *cap. 14.* Partum haberi pro legitimo, etiamſi & pater & mater profeſſi fuiſſent, eum ex adulterio conceptum eſſe,

cap.

cap. 17. Teſtamentum in quo Notarius expreſſerat, teſtatricem ob ſcribendi inſcitiam non ſubſcripſiſſe, non concidere, tametſi deinde exhiberentur ſcripturæ aliæ manu teſtatricis ſubſignatæ, *cap. 21.* Filiam quæ nubens renunciaverat ſucceſſionibus omnibus paternis, maternis & fraternis, non poſſe adſpirare ad bona, quæ fratribus poſthæc aliunde, quam ex parentum hereditate acciderant, *cap. 28.* In præſcriptione annali diem intercalarem non cedere commodo agere volentis, *cap. 42.* Ubi permiſſum eſt, coram Parocho teſtamentum condere, non admitti, niſi parochum illius loci, ubi teſtator degit, *cap. 47.* Viduam ultra legatum omnium mobilium & uſusfructus immobilium mariti, poſſe adhuc petere dotalitium, in pactis dotalibus ſibi conſtitutum, *cap. 60.* Matrimonium inter perſonas majorennes per vim & metum contractum, declaratum fuit invalidum poſt lapſum plurium annorum & ſuſceptos inde liberos, *cap. 74.* Quæſtione ſtatus mota Duci de Vendoſme, Henrici IV filio naturali, eo quod durante matrimonio (inter Dominum de Liancour, & Gabrielidem Duciſſam de Beaufort, ejus matrem,) natus eſſet, adeoque tanquam partus adulterinus, legitimari a Rege valide non potuiſſet; Parlamentum pro Duce pronunciavit, quia hic jam ultra 59 annos in poſſeſſione legitimitatis fuiſſe ſe probabat, *c. 79.* Matrimonium inter fratrem & alterius fratris viduam reſcindi juſſum fuit; non obſtante Papæ diſpenſatione, qui tamen vi Concilii Tridentini in omnibus gradibus in Levitico prohibitis diſpenſare poſſe creditur, *cap. 81.* Teſtamento his verbis facto: *Noſocomium incurabilium heres eſto, ſi deceſſero Pariſiis; Xenodochium Rhemenſe heres eſto, ſi Rhemis moriar, & non Pariſiis, aut alio in loco;* cum contigiſſet, teſtatorem nec Rhemis, nec Pariſiis, ſed in loco tertio diem obiiſſe, judicatum fuit, ſucceſſionem deberi Noſocomio incurabilium, *cap. 86.* Exiſtimatum denique fuit, filium non excludi a ſucceſſione perſonæ, quam parens, ob latrocinium in aliis perpetratum capite punitus, una occidere olim molitus erat, *cap. 89.*

In Centuria IV ſequentia deprehendimus deciſa: Heredi integrum eſſe bona fideicommiſſaria alteri concedere pro annuo reditu non redimibili, *cap. 2.* Marito ab uxore herede inſtituto hac conditione, ne quid ex ejus bonis in familiam aut cognatos ſuos ullo modo transferret: poſſe eum bona iſta liberis ſuis ex alio matrimonio poſtea ſuſceptis valide relinquere; hos enim ſub appellatione illa non conti-

P neri

neri, *cap. 47.* Munus Matricularii ſeu adminiſtratoris Eccleſiæ non eſſe tale officium publicum, ad quod invitus quis cogi poſſit, *cap. 50.* Minoris defuncti mobilia non eſſe dividenda juxta ſtatuta loci originis, ſed civitatis, ubi hic commoratus erat, tametſi ibi nondum fixam ſibi ſedem comparaſſet, & inſuper in alio loco eſſet mortuus, *cap. 58.* In venditione delati juris ſuccedendi non eſſe locum querelæ læſionis ultra dimidium, *cap. 73.* Nudam proteſtationem acquirenti factam non conſtituere in mala fide, nec interrumpere præſcriptionem, *cap. 83.* Teſtamentum ob præteritionem liberorum nullum, etiam non valere ratione legatorum aliis relictorum, *cap. 89.* Infantem, pendente conjugum ſeparatione, ex adulterio genitum, matre factum confitente, & ejus marito impotentiam coëundi non inficiante, reputari legitimum & tanquam ex juſto matrimonio editum, pronunciatur *cap. 95.*

Plura hujus generis adducere merito ſuperſedemus: veremur enim, ne jamjam nimiæ prolixitatis notam incurrerimus. Non poſſumus tamen, quin præter hæc, quæ jus commune ejusq; principia maxime reſpiciunt, pauciſſimis adhuc nonnulla allegemus, concernentia cum mores Galliæ generales, tum particularia quarundam provinciarum ſtatuta, quæ perluſtrantibus præſentem Syllogen ſeſe obtulerunt. Et ad generales quidem Galliæ conſuetudines ſpectare videtur, quod nemo gradum Doctoris Medicinæ obtinere valeat, niſi prius fuerit creatus Magiſter Artium, *Cent. 1. Cap. 71.* porro, quod uxor nullum poſſit inire contractum, ſine mariti autoritate, *C. 2. c. 53.* quod exceptio non numeratæ pecuniæ locum non habeat adverſus contractum coram Notario celebratum, *C. 2. c. 67.* quod nemini, niſi Procuratori Generali competat facultas perſequendi punitionem criminis alicujus ob intereſſe publicum, *C. 4. c. 4.* quod interdictio bonorum prodigo facta, in foro & compitis ad ſonum tubæ publicari ſoleat, *C. 4. c. 37.* quod monachi & moniales omnis ſucceſſionis incapaces ſint, nec Monaſterium pro eis hereditatem capere queat, *C. 4. c. 46.* quod denique, licet in univerſis Galliæ provinciis Conſuetudinariis, quas vocant, peregrini ob jus Albinagii careant teſtamenti factione, tam activa, quam paſſiva; hoc tamen jus non exerceatur adverſus Belgas, vi tractatuum hoc nomine inter Reges Galliæ & Hiſpaniæ concluſorum, & in ſpecie pacificationis initæ anno 1598 inter Henricum IV. & Status Hollandiæ poſt obſidionem urbis Ambianorum, *C. 4. c. 52. & 67.* Ad ſpe-

Digitized by Google

ſpecialiores Gallicarum provinciarum conſuetudines ſpectat v. g. quod apud Pariſienſis legatarius nequeat eſſe teſtis in teſtamento, *C. 2. c. 86.* apud Meldenſes donatio reciproca inter conjuges non aliter valeat, niſi ambo fuerint ſani & ſine liberis; (qua conſuetudine non obſtante pronunciatum eſt, fœminam gravidam valide donare poſſe, *C. 2. c. 83.*) quod apud Molinenſes probatio per teſtes fieri nequeat, ſi ſumma controverſiæ excedat 100 libras, *C. 3. c. 24.* apud Lugdunenſes bonis cedens viridi pileo uti teneatur, (qua occaſione deciſum, ne Nobilem quidem dignitatis obtentu ab hoc onere immunem eſſe, C. *4. c. 28.*) quod in plerisque provinciis, quæ conſuetudinario jure reguntur, titulus heredis & legatarii in eadem perſona ſint incompatibiles, *C. 2. c. 95.* quod denique in plurimis Galliæ regionibus verſus Septentrionem ſitis, rarius utantur jure repræſentationis, adeo ut id alicubi etiam in linea recta ceſſet, C. *4. c. 46.* ubi ſimul docemur, ejus uſum a Childeberto primum ex fundamentis legis Salicæ in Galliam introductum fuiſſe.

DE LA CHEVALERIE ANCIENNE ET MODERNE, avec la maniere d'en faire les Preuves, pour tous les Ordres de Chevalerie. par le P. François Meneſtrier, de la Campagnie de Jeſus.

hoc eſt,

Franciſci Meneſtrerii Soc. Jeſu de equeſtri dignitate veteri & nova tractatus, & de modo probandæ Nobilitatis in omnibus Equitum ordinibus.

Pariſiis, 1683 in 12.

NOndum fatigata eſt induſtria clariſſimi Auctoris in eruendis ritibus & antiquitatibus Nobilitatis. Inſeruimus quædam *Actis noſtris anni 1683, p. 51. & 250*, ex libris quos de hoc argumento edidit, nec plura exſpectabamus. Invenit tamen vir diligentiſſimus quæ prioribus adderet, nova pleraque, aut novis hiſtoriis, obſervationibus & documentis illuſtrata. Tractat autem in hoc libello de dignitate equeſtri, non quæ ex naſcendi ſolum ſorte provenit, ſed quæ ſingulari ritu olim conferebatur, ex more gentium ſeptentrionalium, Germanorum

Digitized by Google

potiſſimum, in Galliam, Italiam, Britanniam invecto. Neque hic agitur de iis, quæ Reges & Principes ante ſecula non multa invenerunt, quæque hodie ſuperſunt, ornamentis equeſtribus; ſed de Ordine, qui omnibus qui fortibus factis inclareſcere nitebantur,eo tempore patebat, & non a Poteſtatibus ſupremis, ſed a quocunque forti viro petebatur, & impetrabatur. Fiebat id ut plurimum in ipſis expeditionibus, obtenta victoria, proſtratis hoſtibus, captis munimen[illegible]. Neque ob ſolam fortitudinem militarem hæc conferebatur dignitas, verum interdum facultatum etiam & opum ratio habebatur, ut nempe equos alere & cæteros alio cultu ſuperare poſſet qui eam expeteret. Iſta inſignitos Germani *Ritter* vocarunt. Quæ vox non ſimpliciter equitem ſignificat,(is enim eſt quicunque equo vehitur & militat,Germanis *Reuter*) ſed, ſi quid conjicere licet, *Ritter* a vocabulo *Ritt* derivatur,quod olim notabat expeditionem quandam equeſtrem: unde ſupereſt etiam in his regionibus, ut ex libris præfecturarum patet, vox *Haltritt*,qua ſignificatur turma equitum ſeu nobilium, qui Præfecto jubente (is olim non facile niſi ex Nobilitate ipſoque Equitum ordine ſumebatur) ad ſecuritatem viarum, imprimis nundinarum tempore, excubias agere tenebantur. Erat itaque *Ritter*,qui alicujus talis expeditionis ductor turmas (quæ intra viginti homines tum conſiſtebant) regeret: nam vocabulum *magiſtrorum equitum (Rittmeiſter)* recentius eſt,tum demum,ut videtur, uſurpatum, cum admiſſis gregariis & equitum famulis, centum & plures in unam turmam cogerentur. Nequaquam igitur, quod putat Auctor p. 86 Germanico vocabulo *Reuter* equeſtri dignitate conſpicuus notatur, ſed qualiſcunque equo militans, etiam ex vulgo, eo ſignificatur; *Ritter* vero primarium equitem denotat alios ducentem. Et *Ritterſchafft* cœtum indicat equitum inſignium, ſive tali titulo ornatorum,ſive ex eo genere natorum, ut ad illum adſpirare poſſint, & ſub equitibus illis potioribus veluti capitibus ducibusque ſuis colligi: *Reutercy* vero equitatum ſignificat, ſive integrum exercitum e militibus nobilibus & gregariis collectum.

Hæc commentari lubuit, quia ad Auctorem non adeo accuratam rerum Germanicarum notitiam perveniſſe, paſſim manifeſtum eſt: quod vel linguæ ignoratione accidit, vel quod ægre, ut nunc, ita & olim ſcribi ſolebant quæ omnibus nota ſunt, & mutationi obnoxia non creduntur. Cur vero totus hic ordo & mos creandi equites ab annis

cen-

centum & amplius apud nos & alibi exoleverit, retento tantum illo qui ab Imperatore, Regibus & Principibus, aut imitantibus eos Pontificibus confertur, cauſa allegari poteſt non una. Inter quas haud poſtrema eſt quæ Auctori memoratur, quod pluribus hæc dignitas impertita eviluerit & quaſi obſoleverit. In Germania vero tum demum funditus periit, cum ſtabilitis pacis publicæ legibus, parvæ illæ expeditiones ſive *latrocinia*, quæ *Febden* ſive diffidationes vocabant, ſtatuta capitis pœna bonorumque jactura vetarentur, & bella ſine auſpiciis publicis gerere non liceret. Ita enim ſublata fuit occaſio inſigni aliquo facinore inclareſcendi, nec ut olim præmium ob egregium quoddam factum, ſed a ſola Principis gratia impetrata eſt equeſtris dignitas. Servata quidem eſt in Conſtitutionibus etiam Imperii uſque ad annum 1577 diſtinctio Equitum *Ritter*, & Nobilium *Adels* vel *Edelleute*. Sic in legibus ſumptuariis Nobili qui Equitis dignitate non gaudet, conceditur quidem uſus torquis aurei, ſed intra ducentorum florenorum pretium, & ut torques funiculo ſerico (pro more veteri ex quo nihil hodie in uſu eſt) circumvolvatur; verum Equiti permittitur torques quadringentorum florenorum valore, & ut ſine involucro geſtetur. Inde *aurati* forte Equites dicti, quod auro, cujus uſu cæteræ Nobilitati tum erat interdictum, ad ornamenta veſtium, enſium, calcarium & phalerarum uti poſſent. Ita & uxoribus Equitum exquiſitior ornatus, quam cæteris ex Nobilitate matronis conceſſus ibidem legitur. Quæ tamen omnia nunc omnino antiquata ſunt, & fortaſſe ne tunc quidem adeo obſervata.

Cæterum Auctoris tractatus *quindecim* abſolvitur capitibus: quorum in *primo* traditur, quid ſit equeſtris dignitas? In *ſecundo*, quis armandi equitem ritus? In *tertio* agitur de dignitate & privilegiis Equitum. In *quarto* de Bannereтis, ſive vexilliferis, qui poſt Principes, Comites & majores Barones, dignitate & opibus reliquam Nobilitatem præcedebant, quique vaſallos habebant ſub vexillo (inde nomen traxerunt, a *banniere*, quod Germani dicunt *panner*, *pannier*) congregandos ſuisque ſumptibus alendos. Signum hujus dignitatis inter alia erat, quod liceret feneſtras aperire, id eſt, ſcutum & galeam primicerii talis Equitis ex hoſpitio publice majori aliquo cum ornatu ſuſpendere, cæterorum ex inferiori Nobilitate inſignibus loco humiliore collocatis: unde conſuetudo manſit diverſoria iſtiusmodi picturis exornandi.

P 3 In

In *quinto* de famulis equeſtribus, heraldis, & qui perſuivants ſive ſtipatores dicebantur. In *ſexto* de tabulæ rotundæ equitibus: unde fabulas illas heroicas ſuperioribus ſeculis inepte confictas Auctor ortum traxiſſe affirmat; cum ea nihil aliud fuerit quam convivium equitum, in quo vitata de primo accubitu diſceptatione per circulum collati ſunt hoſpites: quod inventum Arto cuidam Britanniæ Regi tribuitur, quem imitari videbantur, qui convivia ejusmodi ſuis exhibebant ſumptibus. In *ſeptimo* de equitibus legalibus ſive togatis; quando titulis Equitum & Comitum Palatinorum, urbium incolis primariis & Doctoribus poſt reductum Juſtinianei juris ſtudium tribui cœpit. In *octavo* de confraternitatibus & ſodalitiis equeſtribus commilitii aut comeſſationum etiam cauſa, addita religionis ſpecie, coaleſcentibus, ſed propter abuſum non ſemel ſublatis. In *nono* de ſacramento equitum, & eccleſiaſtico creandi equites ritu; ubi formulæ ex Rituali Romano, quæ Equitibus Spiritus Sancti in Gallia prælegunter. In *decimo* & *ſequentibus* de religioſis S. Johannis equitibus, qui Rhodii olim, Melitenſes hodie dicti, prolixe agit, modosque tradit quibus nobilitatem generis probant ad militiam iſtam adſpirantes, pro varietate nationum diverſos. In his capitibus multa notatu digna reperiuntur, verum de Germanis pauciſſima. Potuiſſent autem in capite XIV, quod de Equitibus Teutonicis inſcribitur, non minus memorabilia, quam quæ de Johanniticis narrantur, afferri de magnis in Pruſſia & Livonia Ordinis Teutonici expeditionibus, ubi opes prope regias acquiſiverunt. Sed facile venia dari poteſt Auctori hæc omittenti, cui plurima alia, quorum certiorem notitiam habuit, ſcribenda ſuppetebant. Invenient ſane lectores, præter ea quæ recenſuimus, plurima non ſine jucunditate percipienda. Cognoſcent hinc quid fuerit *liberata*, pro qua Galli *livré* nos *lieberey* dicimus, & veſtitum famulorum, aulicorum præcipue, ea voce indicamus. Ea olim teſſera quædam erat, veſtibus aſſuta vel alligata, qua Nobiles & Equites ad obſequium aliquod militare præſtandum tenebantur, vel conventione inter ſe, vel a ſuperiore conſtricti. Eodem pertinet origo diviſarum, quas Galli *deviſes* vocant, ſocietatem vel clientelam ſignificantium. Notari etiam meretur, unde probatio generis ad quartum gradum ortum habuerit: nempe ex veteri quadam quarundam regionum conſuetudine, qua familiæ illuſtris ſenior eos qui intra illum gradum intra

quem

Digitized by Google

quem matrimonium legibus pontificiis prohibitum eſt, cognati erant, jure quod *pariationis* vocabant, alere quodammodo aut in clientelam adſciſcere tenebatur. Mira ſunt quæ de inſano ſumptu in reges & equites, per ludum aut jocum æmulatione nobilitatis olim in urbibus creatos, collato referuntur; quorum veſtigia in conventibus oppidanis civium, ubi *ſagittis* aut ſclopetis certatur, & vel aves ligneæ dejiciuntur, vel diſci petuntur, apud nos ſuperſunt. Ita in Valencenarum civitate Flandrica regem talem (qui *Princè de plaiſance* vocatus fuerit) ſexcentis viris epulum ſumptu publico dediſſe refert Auctor, ad quod 1700 argentea pocula adhibita ſint. In iſtarum commeſſationum locum ſurrogata cleri inventione memorat ſpectacula in feſtis olim celebrata, non ſine vilipendio ſacrorum myſteriorum. Unum adhuc addimus, quod ex vetuſtiſſimis equeſtris militiæ ritibus, in ſereniſſimi Britanniæ Regis *Caroli* II nuperrime defuncti coronatione obſervatum noſtra *memoria* refert: introiiſſe nempe prandente ſolenniter cum proceribus regni Rege, equitem quendam toto corpore armatum, & Heraldo ſive feciali proclamante, pugnam obtuliſſe adverſus quemcunque, qui Caroli Regis imperium detrectaret, aut jus regni ambiguum ipſi reddere vellet. Nemine autem comparente, diſploſione omnium tormentorum victoriæ ſive aſſerti regni ſignum fuiſſe datum; Regem vero ex menſa ſua equiti iſti cibum potumque laute præbuiſſe.

A DISSERTATION CONCERNING THE Government of the Ancient Church. By VVilliam Cave DD. one of his Majeſties Chaplains in ordinary.

h. e.

Diſſertatio de Regimine Veteris Eccleſiæ, autore Wilhelmo Cave, Th. D. & Capellano Regio.

Londini, 1683 in 8.

EST *hic ille* Tractatus, quem Clariſſimus Autor Tomo ſecundo Eccleſiaſticorum, ſuperiore menſe pag. 85. a nobis memoratorum, in vita

vita *Gregorii Nazianzeni ſect. V. n. IX.* promiſit. Eo loco poſtquam de Concilio Conſtantinopolitano fuſius egiſſet, & ſingula capita, de quibus fuerat ſtatutum, expoſuiſſet, ultimo illius Canonis mentionem facit, quo Patres tum congregati Epiſcopum Conſtantinopolitanum a Romano ſecundum eſſe, & reliquos omnes dignatione anteire voluerunt. Qua occaſione de antiquo jure Romani Epiſcopi, deque Veteris Eccleſiæ regimine quædam dicturus erat, niſi veritus fuiſſet lectorem longiori digreſſione morari. Itaque ſeorſim hanc commentationem evulgare viſum eſt, cujus nunc ſummam paucis exhibebimus, ut conſtet, quid Vir eruditiſſimus poſt tot ſcriptores in eodem argumento magna cum cura & diligentia verſatos præſtiterit. Sepoſita ergo controverſia, an Epiſcopi ſint de jure divino Presbyteris ſuperiores: ſepoſita etiam illa altera, quæ de univerſali Pontificis autoritate eſt; e vetuſtorum temporum monumentis, quanta olim fuerit Romani Epiſcopi dignitas oſtendit, atque ita ſimul integram formam regiminis Eccleſiaſtici delineat. Sex omnino capitibus hoc opuſculum abſolvitur, quorum primum de ſtatu Regiminis Eccleſiaſtici agit, qui inde ab primis Eccleſiæ temporibus ad Concilium Nicenum usque fuit. Refutat, quæ Pontificii de eminenti poteſtate Petri tradunt, faſtumque Romani Epiſcopi oſtendit ſe non quinto demum ſeculo, ſed mature ſatis illico poſt exceſſum Apoſtolorum prodidiſſe. Caput alterum deſcribit Regiminis Eccleſiaſtici formam & Epiſcopi Romani jura, e ſanctionibus Concilii Niceni. Diſtinguit hic Autor Primatum a Supremàtu, & τὰ πρωτεῖα quæ memoratum Concilium Canone ſexto Romanis Epiſcopis tribuit, de primo gradu honoris explicanda eſſe docet, quem quis poſſit obtinere etiam inter pares, quorum nullus in poteſtate reliquos contineat. Hinc porro quatuor titulos enumerat, quibus Pontificii ornare Caput Romanum ſolent, cum conſiderari Papam jubent (1) ut Epiſcopum, (2) ut Metropolitanum, (3) ut Patriarcham, (4) ut Apoſtolica & vicaria poteſtate reliquis omnibus Epiſcopis ſuperiorem. Ex hiſce titulis laudum ac dignitatis ſeponit primum, quippe de quo nulla unquam Papæ mota ſit controverſia, & ultimum, qui adeo ſit, fatentibus inter ipſos Pontificios non paucis, abſurde fictus, ut reliquis adjici non mereatur. Reliqui duo quo jure ipſi competant, quo tempore cœperint tribui, & quid notent, id omne accuratius inquirit. Poſtremo capite exponit artes, quibus Romanus Epiſcopus ſuperatis æmu-

æmulis æqualibusque ſuis, ad eum autoritatis gradum adſcenderit, quem hodieque tenet.

AN ANSWER TO SEVERAL REMARKS UPON Dr. Henry More his expoſitions of the Apocalypſe and Daniel; by the Anſvverer.

h. e.

Reſponſio ad varias obſervationes in D. Henrici Mori expoſitionem Apocalypſeos & Danielis, Autore Reſpondente.

Londini, apud W. Kettilby 1684 in 4.

HEnrici Mori Viri celeberrimi Expoſitionem Apocalypſeos & Danielis antehac aggreſſi ſunt complures, ut cogeretur Autor defendere peculiari Apologia primaria capita eorum, quæ ibi ſcripſerat. Sed prodiit non ita pridem alius, qui tecto nomine cum Commentarium, tum Apologiam varie impugnavit, cui ſatisfacere in memorato opuſculo voluit, quisquis ſub *Reſpondentis* titulo latet. Qui *Opponentis* partes agit, quoniam millenarium Chriſti regnum tuetur, quod fatalem omnis magiſtratus omnisque regiminis monarchici periodum afferet, ceu docuit quondam *Daniel Brenius* celebris *Epiſcopii* diſcipulus, ab eo qui *Reſpondentis* vicem ſuſtinet, *Mennonita* vocatur. Duas illas literas, quas *Opponens* ſui nominis initiales fecit, *Reſpondens* Græce legit *Streblosinos Ereunetes*, innuens eſſe, in quibus *Opponens* laudem, dum videlicet exacto ſtudio Scripturas, & maxime Apocalypſin rimetur; eſſe in quibus vituperium, dum plurima (ſerio an exercitii gratia dubitat Reſpondens) pervertat, mereatur. In toto Opere duo ſunt, pro quorum veritate *Reſpondens* potiſſimum diſputat: *per excitationem teſtium, de qua Johannes c. XI vaticinatus eſt, ſignificari opus Reformationis cœpta a Luthero in Saxonia, & inde in alias regiones propagata: & primitiva Eccleſiæ tempora, quæ ad quintum usque ſeculum ſe porrigunt, eſſe ſymmetra, ſive calamo illi, quem Johanni Angelus dediſſe ſcribitur, commenſurata,* h. e. *congruentia Verbo Divino, le-*

no, legitima norma cum credendorum tum faciendorum. Quorum utrumque præfracte negavit *Ereunetes*, ut eam ſententiam, cujus ſemel patrocinium ſuſceperat, propugnaret. Proponuntur omnia ordine capitum ac verſuum, in quos diſtincta eſt Apocalypſis, ita ut præmittantur objectiones, & ſua cuique ſubjiciatur reſponſio. Quæ appendicis loco acceſſit *Arithmetica Apocalyptica*, ab Autore occaſione quorundam ſcriptorum compoſita fuit, in quibus ultimum exitium Babylonis inſtare prædicitur, & annus proxime ſecuturus 1686 ſinceræ felicitatis Chriſtianorum primus numeratur. Inquirit igitur Autor, rejecto hoc calculo enthuſiaſtico, veram epocham regni Anti-Chriſti, comparatis invicem textibus *Danielis* & *Johannis*, quos oſtendit exacte ubivis conſpirare. Adjicitur ad calcem libri alia *appendicula Apocalyptica*, qua Autor *Samuelis Clerici* Annotationes in Apocalypſin Expoſitioni Novi Teſtamenti junctas examinat, commendatoque Viri eruditi pio & utiliſſimo labore, *D. Henrici Mori* ſententiam confirmat, quoties *Clericus* ab ea ſecedendum ſibi eſſe putavit.

AN HISTORICAL ACCOUNT OF CHURCH-GOvernment, as it was in Great Britain and Ireland, when they firſt received the Chriſtian Religion. By William LLoyd Biſhop of St. Aſaph.

h. e.

Hiſtorica relatio de Regimine Eccleſiaſtico Magnæ Britanniæ & Hiberniæ, quale id fuerit, cum primum Chriſtianam fidem ſuſciperent. Autore Wilhelmo LLoyd. Epiſcopo Aſaphopolitano.

Editio Secunda.

Londini apud Car. Brome, 1684 in 8.

QUale ſit hujus Libri non inerudití argumentum, & quæ fuerit clarisſimo Autori occaſio ſcribendi, e ſeptimo ſive ultimo ejus capite (in tot enim diſtributus eſt univerſus) potiſſimum cognoſcitur. Dixerat alicubi *Richardus Baxterus*, cum Epiſcopale regimen impugnaret, fuiſſe tempus, quo Scotiam e Gentiliſmo ad Chriſtum converſam.

Digitized by Google

ſam abſque Epiſcopis Monachi & Presbyteri rexerint: imo horum opera Scoto-paganam ſuperſtitionem depoſuiſſe multo ante, quam Palladius a Pontifice Romano mitteretur: Palladii poſtmodum auſpiciis inſtitutum quidem fuiſſe novum ordinem Epiſcoporum, ſed *Culdeos* (id nomen a cultu Divino Monachis illis impoſitum perhibetur,) antiqua ſemper inſtituta tenuiſſe, quibus & elegerint miniſtros Eccleſiæ, & ordinaverint ſoli Presbyteri. Quo veteris Eccleſiæ Scoticæ exemplo, quoniam non parum firmari cauſam adverſariorum Epiſcopi Angli animadvertebant; hanc provinciam libenter ſuſcepit Reverendus Præſul Aſaphienſis, ut rerum Britannicarum memorias excuteret, & quo fundamento illa de Culdeis relatio niteretur, inveſtigaret.

In præfatione, quam Opuſculo præmiſit, conqueritur, quod pauci admodum inter Scotos ad res patrias ſcribendas animum appulerint, quodque, quorum commentarii extent, eorum exigua admodum ſit autoritas, & adeo omnis pene illarum regionum notitia ab exteris peti debeat. Inde rem ipſam aggreſſus, initio de primis Britanniæ & Hiberniæ incolis quædam non injucunda lectu tradit. Memorat, eam partem Britanniæ, quam nunc Scotiam vocant, antiquitus Pictis, Hiberniam Scotis habitatam fuiſſe, & hoc ipſum plurium Autorum ſuffragiis confirmat. Poſtea, quo ordine Britannicæ inſulæ Chriſtianam fidem ſuſceperint, & denique, quale fuerit Eccleſiæ regimen in ſingulis Britanniæ ac Hiberniæ partibus declarat. Primi nimirum omnium ad Chriſtum deducti ſunt Britannorum illi, qui tunc Romano Imperio ſuberant, & veroſimile eſt, ejus converſionis Autores fuiſſe ſi non ipſos Apoſtolos, ſaltem viros quoſdam Apoſtolorum ætati proximos. Britannorum exemplo Picti Meridionales, quorum erat pars Scotiæ Britannis proxima, veritatem divinam agnoverunt, quæ ſucceſſu temporis in Hiberniam quoque radios emiſit. Venit in eam inſulam *Palladius* juſſu Cæleſtini Pontificis, ut ad cultum Divinum incolas perduceret: ſed opus vix ab ipſo immatura morte prævento inchoatum S. *Patricius* perfecit, quem poſt obitum Palladii idem Cæleſtinus Epiſcopum Scotis miſiſſe dicitur. Ultimos omnium Pictos Septentrionales lux Evangelii colluſtravit, delata illuc per S. *Columbam* Scotum ex Hibernia circa annum Chriſti 560. E quibus de duobus erroribus Baxteri, cujus ſententiam ſupra paucis expoſuimus, conſtat. Primus illorum eſt, quod Scotiam ante Palladii in inſulas adven-

ventum e tenebris ethnicis emerſiſſe ſcripſit. Alter, quod Palladium in Scotiam a Pontifice miſſum fuiſſe tradidit. πρῶτον ψεῦδος dixeris, quod Scotos non Hiberniæ primum, ſed Scotiæ jam tum incolas tempore Palladii credidit, quam aliorum complurium ſententiam, ſed oppido falſam Autor refutavit. Quæ poſtmodum prolixe de antiqua ratione regiminis Eccleſiaſtici Præſul diſſerit, ea hic non licet ſigillatim exponere. Summa huc redit: non Britannos ſolum, ſed & Scotos tum in Hibernia viventes, Pictosque Britanniæ partem incolentes, quæ nunc Scotia dicitur, ſuos inde a primis agnitæ veritatis temporibus Epiſcopos habuiſſe: *Columbam* quidem, cujus opera verum Deum Picti Septentrionales agnoverunt, non fuiſſe Epiſcopum, ſed Abbatem, qui ſingulari vitæ monaſticæ & forte nimio amore ductus complures Conventus, ut vulgo audiunt, paſſim inſtituerit; Epiſcopale tamen regimen ipſum neutiquam improbaſſe. Egiſſe ſemper in illo monaſterio, cui præerat Columba, inter Monachos Epiſcopum, cujus fuerint hæ ſolæ partes, ut ordinaret, quos eligi in Paſtores & Epiſcopos contigiſſet. Fuiſſe ſane Scotiæ nonnullis Epiſcopis motam olim controverſiam, an rite ſint ordinati: dubitandi tamen rationem non fuiſſe, quod Scotia nullos tunc Epiſcopos habuerit, (nam ſerie non interrupta inde ab Apoſtolis ſuam eſſe modernis Epiſcopis Anglis autoritatem Præſul ubique acerrime propugnat,) ſed quod Concilium Nicenum non niſi per tres Epiſcopos eosque immunes a ſchiſmate (cujus rei tunc cenſebantur in Scotia & Hibernia, qui in celebrando Paſchate a reliquis ſecedebant,) Epiſcopum legitime ordinari pronunciaverit. Poſt iſta omnia de *Culdeis* Autor agit, eosque tradit inter Pictos Meridionales & in Hibernia vixiſſe, poſtquam jam ad illos populos vox Evangelii penetraſſet. Cæterum Monachos quidem fuiſſe, Ordinis, ut conjicit, S. Martini, qui latiſſime illo tempore ſe ſparſerat, maxime in Gallia, ſed regiminis Epiſcopalis formæ cum aliis Chriſtianæ fidei alumnis additos. Tres illos Autores, *Johannem Majorem*, *Johannem de Fordon*, & *Henricum Boëthium*, quorum fide Presbyterianos in hac controverſia niti certum eſt, ſic aggreditur, ut parum eos ingenue egiſſe, multa finxiſſe, in plurimis lapſos eſſe per errorem, non uno exemplo oſtendat. Hæc ita prolixius commemorare viſum eſt, de opuſculo varia eruditione referto, quod ſuperiori anno ſecunda quidem vice in lucem prodiit, ſed cujus prima editio illud tempus non antevertit, a quo placuit Acta Literati Orbis auſpicari.

GEOR-

Digitized by Google

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII MED. D. & P.P. *Amœnitates Materiæ Medicæ.*

Jenæ, apud Johannem Bielckium, 1684 in 4.

CUm amœna, licet aliquoties repetita, haud tamen facile nauſeam ſui pariant; idcirco nobiliſſimus Autor confidit, nec præſentes Amœnitates, eandem penitus materiam cum libro de *Medicamentorum Facultatibus*, ſeptem ante annos a ſe quoque evulgato, pertractantes, Lectoribus ingratas futuras. Tametſi vero quis adeo faſtidientis reperiatur ſtomachi, ut ſolo etiam bis coctæ crambes nomine audito, horreſcere incipiat ſuaviſſimas dapes, illum juvabit ſcire, Autorem id egiſſe, ut non tam, quæ inibi dicta ſunt, repetantur prolixe, quam quæ in illo libro obſcura adhuc reperiebantur, declaratione ulteriori pateſcerent. Liberum hinc unicuique erit, ſive ex hiſce Amœnitatibus ſeorſim fructum legere, ſive illas commentarii vel ſupplementi loco dicti illius ſuperius tractatus habere, cum utrumqne opus eodem tractandi ordine gaudeat. Quapropter etiam de contentis Amœnitatum harum monuiſſe ſufficiet, libris duobus illa eſſe abſoluta, quorum primus e tribus ſectionibus in aliquot capita rurſus diviſis conſtat. Traduntur autem in prima ſectione præcognita ſive generalia ad ſimplicium cognitionem facientia, una cum methodo cognoſcendi & dijudicandi illa. Altera agit de viribus ſpecialibus emollientium, adſtringentium, aperientium, incraſſantium, repellentium, attrahentium, rubefacientium, veſicantium, cauſticorum, traomaticorum, ſarcoticorum, glutinantium, epuloticorum & contra ambuſta uſitatorum. Tertia comprehendit ſpecifica ſic dicta, uti ſunt cephalica, ophthalmica, otica, thoracica, cardiaca, ſtomachica, hepatica, ſplenetica, nephritica, uterina & arthritica. Secundus liber e duabus ſectionibus componitur, quarum prima continet præparantia, digerentia, lenientia, purgantia ac vomitoria; ſicuti altera venena, bezoardica, antidota, diaphoretica, carminativa, anthelmintica, reſolventia, diuretica, emmenagoga, menſes ſiſtentia, lac augentia & imminuentia, anodyna & narcotica, errhina, maſticatoria, ſalivantia, aphrodiſiaca & denique ſanguinem ſiſtentia. Circa ſingula vero remediorum horum capita potiſſimum ab Autore attenduntur expoſitio-

tiones nominum, differentiæ ac præparationes, una cum modo operandi, contraindicantibus, & aliis neceſſariis cautionibus practicis. Et quo felicius omnis hic explicatus medicamentorum apparatus tyronibus in praxeos palæſtra veniat in uſum, ex illorum cumulo quæ ſelectiora ſunt, ſub ſuis titulis reperiuntur collecta, ita ut ſtatim hoc ſyllabo inſpecto, requiſita ad profligandos morbos arma, una quaſi in tabula ſuſpenſa ſe ſiſtant.

DISSERTATIO LITHOLOGICA VARIIS OBSERvationibus & figuris illuſtrata; autore Johanne Groenevelt Tranſiſalano Daventrienſi, M. D. e Colleg. Med. Londin.

Londini, apud Johannem Bringhurſt, 1684 in 8.

QUandoquidem Autor præſentis opuſculi, hactenus paucorum annorum ſpatio, plus quam ſeptuaginta calculo veſicæ periculoſe decumbentes ægrotos, mediante ſectione feliciter liberavit; animum induxit univerſam calculi hiſtoriam curandique rationem, ad proximi ſalutem in diſſertatione hac conſcribere. Sed antequam ipſam tractationem aggrediatur, munit ſe in præfatione ad Lectorem, adverſus notas, quæ ſibi Medicinæ Doctori, contra expreſſum Hippocratis juramentum, operationem hanc ſordidam exercenti, ab oſoribus poſſent inuri. Recenſet quoque ſimul occaſiones, quibus commotus fuerit ad addiſcendam & exercendam hanc artem. Nimirum cum currentis ſeculi anno 70 pro ſummis in Medicina aſſumendis honoribus, Ultrajecti diſputaſſet de calculo veſicæ, factum eſſe, ut illa diſputatio inciderit in manus cujusdam Amſtelodamenſis lithotomi Velthuſii, qui ſtatim ex illo tempore arctam familiaritatem ſecum contrahens, ſæpius teſtem ac ſocium in explorandis calculoſis accerſerit, imo denique mortalitatem deponens, heredem ſui chirurgici apparatus reliquerit, cum annexis precibus, ut illo poſthac in miſerorum ſolatium uteretur. His præmiſſis accingit ſe Autor ad tractationem, illamque ſex & viginti articulis abſolvit. Primus ex his tradit Etymologiam calculi; II & III definitionem ejus una cum quæſtione, num calculus ſit morbus vel ſymptoma; IV vero ſubjectum proprium, veſicam

Digitized by Google

ſicam puta cum renibus. V articulus de calculo agit in aliis partibus generato, e. g. in cerebro, (qualem obſervationem de Adamo Stuarto, Philoſophiæ Profeſſore in Academia Lugdunenſi adducit,) in pulmonibus, ciſtide fellis ac umbilico; VI & VII articulus diſputat contra illos, qui calorem renum tanquam cauſam calculi, vel qui ſpiritum lapidificum ſeu *Duelech* incuſant; VIII & IX cauſam calculi remotam & proximam juxta Autoris mentem proponit. X articulus cauſas calculi *veſicæ*; XI vero cauſas remotas recenſet, in quorum catalogo præter alimenta dyſpepta alias nota, etiam aromata, ut ſunt piper, zingiber, cubebæ & ſinapi continentur, ſicuti ex potulentis cerevifia nimium lupulata (ideo quoniam alnus in ahenis cerevifiariis cum lupulo cocta, intra triennium lapideſcat in cella ſepulta) vina Hungarica, Cretica, Malvatica, Rhenana, imprimis tamen Auſtriaca; quorum ætiologiam non tam in Tartaro, quam in Spiritu Vini quærit. XII articulus continuat enarrationem cauſarum remotarum, referendo huc ſtudium nimium, immoderatumque Veneris uſum, cum aliis animi pathematibus. Art. XIII differentias calculi ratione quantitatis, coloris, figuræ & ſubjecti tractat; quemadmodum XIV, XV & XVI diagnoſtica & prognoſtica ſigna. Art. XVII indicationes curativas, XVIII præcautiones calculi per diætam, XIX methodum removendi materiam proximam calculi per cathartica, diuretica & balneum aquæ dulcis continet. Art. XX curam præſentis calculi per medicamenta interna docet, ubi Autor ante omnia ſuadet uſum lubricantium & emollientium, ut ſunt olea expreſſa amygdalarum dulcium, olivarum, juſcula pinguia, cataplaſmata, unguenta ac clyſmata. Poſt horum uſum demum diuretica admittit, nunquam tamen niſi cum opiatis maritata, tandemque in caſu extremæ neceſſitatis pro ſcopo calculum pellendi, vomitoria etiam commendat. XXI articulus lithontriptica exhibet cum cautelis circa illorum uſum, XXII autem de ſymptomatum urgentium cura verba facit. Abſolutis hiſce Art. XXIII ad curam calculi per ſectionem progreditur, recenſendo ſex modos adornandi hanc operationem: ex omnibus tamen Hildani methodum approbat, illamque *ſuam* non minus quam famoſi illius Pariſienſis Lithotomi, *Collet*, dicti, eſſe profitetur. Art. XXIV & XXV curam calculoſi poſt peractam *ſectionem* ſubjungunt, cum methodo eximendi calculos urethræ *impactos*. Denique Art. XXVI deſcriptionem veſicæ anatomicam

cam ſuppeditat, finemque tractatui imponit. De cætero quod Autoris in rubrica promiſſas proprias obſervationes concernit, inter eas inprimis meretur admirationem, quæ pag. 5. de homine adducitur, in cujus cadavere Amſteledami diſſecto nulla veſica, nec canalis, urinam alias per partes ſexum conſtituentes eliminans, conſpiciebatur, urina tamen per ureteres ſtatim e renibus ad umbilicum tendentibus continuo extillabat. Curioſa quoque eſt obſervatio, quæ p. 9. calculos intra duplicaturam veſicæ, circa inſertionem ureterum hærentes, commemorat; item quæ de ureteribus pueruli calculo laborantis p. 28 habentur, quorum facies externa exacte inteſtinum quoddam tenue, quoad colorem non minus quam capacitatem, referebat. Stuporem denique lectoribus injicit moles calculi humani inſignis p. 70. depicta, ſed magis adhuc, quæ in poſtſcripto hujus tractatus p. 128 cernitur, ſcilicet uncias viginti quinque pendentis, a cujus tamen præſentia præter dolorem quendam gravativum in regione inguinali vix quicquam mali ſenſerat octuagenarius ſenex, quoniam urina ad veſicam translata, per canalem artificioſe a natura in calculo efformatum, ex ureteribus ſtatim ad cervicem veſicæ fluebat. Clarius hæc patebunt ex inſpectione figuræ, quam hunc in finem apponi curavimus. TAB. V.

TRAITÉ DE LA VERITÉ DE LA RELIGION Chrétienne


Sive,

Tractatus de veritate religionis Chriſtianæ.

Roterodami, apud R. Leers. 1684 in 8.

IN dedicatione operis ad *Sereniſſimum ac Potentiſſimum Electorem Brandenburgicum* nomen *Autoris* ſubſcriptum invenitur *Abbadie*, quem *Paſtorem* eſſe percepimus *Eccleſiæ Reformatorum Gallicanæ*, quæ *Berolini* habetur. Titulus libri, celeberrimis antehac ſcriptoribus uſurpatus, materiam, quæ tractatur, ſufficienter indicat. Autor vero, quam tantæ rei gravitas exigit, eruditionem, induſtriam, judicium, eloquentiam, attuliſſe facile probabitur legentibus. Allegatione & exſcriptione eorum, ex quibus profecit, vitandæ oſtentationis cauſa ſe abſtinuiſſe, in

TAB. V.
ad A. 1685.
pag. 126.



Digitized by Google

Digitized by Google

in Præfatione profitetur. Bene factum, quod controverſias etiam, quibus Chriſtiana Reſpublica in cauſa religionis diſtrahitur, quasque alii nulla neceſſitate in tales tractatus attrahunt, modeſte evitavit. In argumentationibus Metaphyſicis modum tenuit; ne repellantur, quibus iſtæ nimis acutæ videntur. Methodi diligentem curam habuit,& partes libri duas fecit. In prima orditur a theſi: *Eſt DEUS*, &ad illam deſcendit, quæ eſt: *Jeſus Mariæ filius eſt promiſſus mundo Meſſias.* In ſecunda incipit a conſideratione Chriſtianorum, qui nunc ſunt, & redit ad illam, quam remonſtrandam ab initio ſumſit: *Eſt Deus.* Pars *prima* ſectiones habet quatuor, quarum *priori*, per capita XVIII contra Atheos exiſtentiam Dei negantes veritas aſſeritur, & objectionibus reſpondetur. Speciatim oſtenditur, neque a præjudicio,neque ab educatione, multo minus a magiſtratuum metu, ſed a connata & acquiſita menti humanæ notitia (utramque enim concedit) Dei exiſtentiam agnoſci; ab omnibus nempe qui uſum rationis habent, & affectata vel barbarie vel malitia non ſupprimunt & ſuffocant: quod tamen adeo difficile eſſe exiſtimat, ut cap. 18 dubitet an Athei dentur, qui id vitium in intellectu habeant, licet mentis proclivitate in impietatem ruant. Adverſus illos, qui *Materiæ*, ſine motore Deo, motum adſtruunt, aut *Univerſum* hoc pro Numine habent, valide pugnat. A rerum finibus, & creaturarum pulchritudine & utilitate, ad principia & Creatorem agnoſcendum, argumentationum gradus promovet. Comparatione vero inter negantes & affirmantes Numinis exiſtentiam inſtituta, quam turpiter & noxie id illi, quantaque cum honeſtate & utilitate hi faciant, pie & eleganter deducit. *Sectione altera* agitur de *Deiſtis*, ſive illis, qui vel indecentem de Deo ideam concipiunt,vel curam rerum humanarum illi abjudicant, vel in idololatriam labuntur, vel qui denique naturali Theologiæ inhærentes, revelatam reſpuunt. Contra quatuor hæc errorum capita, vera idea Dei, ejusque attributa, ex naturali quidem cognitione, ſed ita ſtabiliuntur, ut revelationis neceſſitas ſimul appareat, & dubitationibus ac difficultatibus occurratur. *Sectione tertia* revelationis divinæ certitudo ex Veteri Teſtamento & hiſtoria Judæorum oſtenditur, & quæ irriſores Athei, Critici inverecundiores, & imprimis teterrimus Sacræ Scripturæ hoſtis Spinoza in contrarium effutiunt, capitibus 17 examinantur & refutantur. *Sectione* tandem *quarta*, ex prædictionibus Vet. Teſt.

Digitized by Google

neceſſitas novi fœderis cum hominibus hujusque ſanctitas deducitur, & promiſſio Meſſiæ a Prophetis evidenter & ſignanter prænunciata exponitur, eliſis quæ vel a Judæis, vel a profanis aliis Chriſtum negantibus objici ſolent. Sic munita ad Chriſtianiſmum via, *pars ſecunda* ſubjungitur, in *tres ſectiones* diſpertita. In *prima* Autor Chriſtianos qui nunc vivunt, intuens, in originem religionis, quam profitentur, inquirit, & ad prima ejus initia, doctrinæque per miracula & martyria propagationem retrogreſſus, veritatem hiſtoricam N. Teſtamenti indubitabilem eſſe demonſtrat capitibus 5. Dein ſectione *ſecunda* de Authentia N. T. & quod nec ſuppoſitum nec corruptum ſit, tum de Apoſtolorum geſtis & moribus, pluribus agit, & ad ſingulos fere libros N. T. aliquid commentatur; cavillationibus impiis depellendis operam dans capitibus 17. *Tertia* ſectione elogium Chriſtianiſmi capitibus 11 proponit. Teſtimonia ab hoſtibus etiam religionis petit. Comparat Chriſtianam fidem cum cæteris religionibus, & quomodo has veritate & ſanctitate ſuperet, explicat. Oſtenditur effectus qui ex Religione Chriſtiana ſequuntur optimi, puritas finis, utilitas hominum, morum correctio, myſteriorum ſanctitas, rationis etiam convictio: tum Religionis Judaicæ complementum, naturalis Theologiæ conſummatio. Pathetico epilogiſmo denique opus concluditur. *Reſpicite*, inquit, *quæ hucusque explicavimus: deprehendetis religionem naturalem, & revelationem Moyſaicam, cor hominis, doctrinam Jeſu Chriſti, hujus finem, effecta, teſtimonia, convenientiam cum ſcopo hominis gloria Dei. Hæc neque ex imaginatione noſtra pendent, neque ab infidelium contradictione convelluntur. Ipſa ſui ſanctitate divinæ originis characteres ſecum ferunt: Cælo annunciante patefiunt; innumerorum martyrum ſanguine firmantur: factorum evidentia, miraculorum ſtant fide. Hæc Prophetæ prædixerunt, Dæmones ſilentio ſuo confitentur. En quæ nos undique circumfundunt lumina! Lumen ſenſuum, lumen rationis, lumen miraculorum, lumen cognitionis & perceptionis, lumen experientiæ, lumen teſtium, lumen factorum, lumen doctrinæ, lumen cordis, lumen Spiritus. Dicamus igitur: Hoc eſt opus Dei! Faxit is tantæ largitor gratiæ, ut ea adverſus hoſtium vaframenta defenſa, mentibus noſtris profunde imprimatur ad ſuam gloriam & noſtram ſalutem!* Addit, & nos cum illo, *Amen!*

BAR-

Digitized by Google

BARTHOLOMÆI LEONHARDI SWENDENDORferi Anteceſſoris Lipſienſis, Summaria Actionum forenſium Expoſitionis

Editio Secunda.

Lipſiæ & Francofurti, ſumptibus G. H. Frommanni 1685 in 4.

UNdecimus nunc annus labitur, ex quo Autor celeberrimus hanc Actionum expoſitionem, privatis primum Auditorum quorundam uſibus conſecratam, publici juris fecit; ſcriptum, univerſis quidem juris cultoribus, iis tamen inprimis proficuum, qui perorandis in foro cauſis ſuam dicarunt operam. Etenim ſi, uti pleriſque perſuaſum eſt, totum jus novit, qui bene novit actiones, non potuit non plurimorum gratiam promereri, qui non naturam tantum cujusvis actionis ſolide, & methodo quidem, quæ vel rudioribus ſua ſe perſpicuitate commendare queat, per definitiones nempe, diviſiones, cauſas atque contraria, expoſuit; ſed & inſuper formulam libelli (ut in quo concinnando plerumque nimium deſudant minus exercitati) cuilibet actioni congruam ſubjecit, una cum verbis in ſententia tam abſolutoria quam condemnatoria cujusque actionis, adhiberi ſolitis. Et ſatis quidem belle jam propoſito hoc ſuo defunctus videbatur Autor, in prima illa, quam diximus, editione; quam tamen ſi quis cum nova hac contulerit, ea vix aliud, quam levior quædam ſciagraphia operis nunc conſummati, vel primo ex conſpectu judicabitur fuiſſe. Videlicet hic ad actionum ſpecies, ut ita loqui liceat, ſpecialiſſimas deſcendere haud dedignatus eſt, qui ibi fere generaliora tantum earundem capita propoſuiſſe contentus fuerat. Sicut exemplo dictorum fidem faciamus, cum in prima illa editione Actionem confeſſoriam & negatoriam, duobus tantum capitibus incluſiſſet, in hac noſtra tot de utraque capita ſive articuli exhibentur, quot ſervitutum ſuppetunt ſpecies: quarum quidem (ut perſonales omittamus) *pag. 213. ſeq.* quadraginta ſex urbanas, & quadraginta duas ruſticas recenſet, ſingularumque actiones ea, quam ſupra indicavimus, methodo pertractat. Variæ etiam quæſtiones juris controverſæ, quarum catalogus in principio operis ſiſtitur, data occaſione breviter, ſed ſolide diſcuſſæ reperiuntur. Optandum

dum itaque omnino multis videbitur, ut nova hæc editio, ſyſtema quippe Actionum perfectum exhibitura, propediem ad umbilicum perducatur: hactenus enim præter generalia, non niſi actiones præjudiciales, & reales, ex jure dominii & ſervitutis oriundas, auctiori hac methodo tractatas edere nobiliſſimo Auctori vacavit.

P. IGNATII GASTONIS PARDIES, S. J. ELEmenta Geometriæ, Gallico olim idiomate conſcripta, nunc Latinitate donata.

Jenæ, 1684 in 12.

EDidit antehac libellum hunc, vernacula lingua, hoc eſt Gallica conſcriptum, cujus in *Actis anni 1683. p. 164. 166* meminimus, P. Pardies, qui ob ſuccinctam methodum, liquidamque demonſtrandi rationem tædioſo multarum propoſitionum nexu minime impeditam, & ex paucis atque generalibus principiis pendentem, anno 1678, Regiæ Academiæ dedicatus, in Galliis tertium meruit recudi. Dignus propterea habitus clariſſimo cuidam Viro, quem in Latinam linguam translatum ſuperiore anno publico daret, ſtudioſæ juventutis uſibus aptiorem ita poſthac futurum. In eo conſcribendo hunc ſibi ſcopum præfixiſſe Autor in Præfatione profitetur, *ut Geometriam traderet, quæ incipientibus inſerviret, & ex qua illi etiam qui nunquam de mathematicis rebus quicquam audiviſſent, brevi admodum tempore, nonſolum quod ſumme neceſſarium eſt in Geometria, ſed ſubtiliora quoque addiſcere poſſent.* Hujus autem Geometriæ, quam ſedecim libris conſtare voluit Autor, Tractatus præſens novem priores tantum exhibet, qui tamen potiora promunt Elementorum Euclideorum, Quadraturas præterea, Archimedeam circuli, Hippocratis lunarum, logarithmorum, ſinuum, aliaſque doctrinas. Demonſtrationes autem magnitudinum incommenſurabilium via adeo plana facilique tradit, ut exigua attentione, quatuor aut quinque pagellarum lectioni impendenda, exacte comprehendi rem poſſe pronunciet, quam pauciſſimi intelligunt. Finit ultimus liber in praxibus Geometricis, ubi præter operationes communiores, principia proponuntur menſurandi magnitudines & diſtantias locorum inaccesſibilium, conficiendi tabulas topographicas & chorographicas, inveniendi ſinus tangentes

Digitized by Google

gentes & ſecantes omnium angulorum &c. Reliquos ſeptem libros, quibus abſtruſiora recondidit Autor, algebram, ſectiones conicas, ſphæricas, & ſtaticam complecti idem memorat: quos quamprimum copia eorum clariſſimo Interpreti continget, ejusdem opera in Latinum idioma verſum iri certi ſumus: cui etiam ob argumenti & ſcopi affinitatem his Elementis præmittere placuit *Nicolai Mercatoris Introductionem brevem in Geometriam*, ſubnectere vero *caput nonum partis quartæ* ex *Arte cogitandi*, ſive *Logica* clariſſimi *Arnaldi*, itidem Latio donatum, *de quibusdam defectibus, in Geometrarum methodo paſſim obviis.*

JOHANNIS DOLÆI MED. DOCT. CONSILIARII ac Archiatri Haſſo-Caſſellani, Sacri R. I. Curioſorum Collegæ, Encyclopædia Medicinæ Theoretico-Practicæ.

Francofurti ad Mœnum, apud Fridericum Knochium 1684 in 4.

QUas triginta, & quod excurrit, ab hinc annis querelas dedit Johannes Baptiſta van Helmont, in præfatione de febribus, ſtetiſſe nimirum Medicinam a temporibus Hippocratis, nihilque penitus profeciſſe uſque ad præſens ſeculum, eas nunc adhuc ut fundamus, opus non eſt; quin potius elogiis dignis tot virorum illuſtrium laudes probatum ire cogimur, qui hactenus Apollineam artem ſqualore ac ſitu annoſo obductam, novis opinionibus ac inventis illuſtrarunt & repurgarunt. Attamen cum non omnibus conceſſum ſit, ex ipſis fontibus dulces has haurire aquas; quibuſdam namq; res anguſta domi, h. e. pecuniæ ad comparationem exoticorum præprimis librorum neceſſariæ defectus, impedimento ſit; aliis ob varias occupationes autores novos evolvendi otium non ſuppetat; idcirco horum in ſubſidium nobiliſſimus Autor, in præſenti Encyclopædia, tam veterum ac Paracelſi, quam recentiorum, Helmontii puta, Carteſianorum, Williſii, Sylvii, ſæpe etiam noſtri, eheu præmatura morte abrepti Ettmülleri, opiniones de cauſis & curationibus morborum exhibet. Sex autem libris abſolvitur totum hoc opus, quorum primus capitis, ſecundus thoracis, tertius abdominis affectiones pertractat; quartus agit

de febribus,ſicuti quintus de mulierum, & ſextus de infantum morbis. Quemadmodum vero ſinguli libri in diverſa rurſus capita ſunt diviſi; ita quoque Autor ſingulis capitibus propriam adjungit opinionem,una cum experimentis illam comprobantibus. Et quoniam ut plurimum illius ſententiæ patronum ſe ſiſtit, quæ ſpiritibus noſtri corporis, omnium viſcerum juxta ac reliquarum functionum expeditionem tribuit, novis uſus eſt nominibus ad hypotheſeos hujus obſcuritatem paululum clariorem reddendam. Anima ſiquidem ſenſitiva (quam a rationali toto cœlo diverſam vult) Microcoſmetor, ſpiritus qui ſceptra tenet in ventriculo Bithnimalca vel Gaſteronax, qui reſidet in cerebri parte globoſa Coſmetorges, qui cordi præeſt ac thoraciCardimelech, cui incumbit regimen uteri, ſpiritus Plaſticus item Racha Melca, & denique qui uteri motum præſtat, Janitor ipſi audit.

LA FRANCE TOUTE CATHOLIQUE SOUS LE Regne de Louis le Grand, ou Entretiens de quelques Proteſtants François, &c.

i. e.

Gallica tota Catholica, ſub regno Ludovici Magni; ſive colloquia Proteſtantium Gallorum, qui Sectam ſuam impiam & Regno pernicioſam deprehendentes, laudando conſilio interitum ejus maturare decernunt. Accedit Apologia Eccleſiæ Romanæ adverſus Satyram, cui titulus, Parallelifmus Papiſmi & Calviniſmi, omnesque alios a Proteſtantibus editos libellos.

Tomi tres.

Lugduni, a 1684. in 12.

QUod miſeris inter ultima ſolatia relinquitur, ut quæ paſſi ſunt libere querantur, eo uſos eſſe Gallos, ob Reformatæ religionis profeſſionem per aliquot annos dure habitos, conſtat ex plurimis quos ediderunt libris; quorum aliquos, ut & qui his a Romano-Catholicis oppoſiti ad nos pervenerunt, Actis noſtris inſeruimus. Nolumus

Digitized by Google

ſumus tamen diffiteri, dubitaſſe nos aliquantum, an tribus hiſce dialogorum voluminibus locum daremus, aut nudo contentorum recenſu pro more ac inſtituto noſtro defungeremur. Nam etſi noſtra non facimus, quæ ex aliorum ſcriptis referimus, & cenſuræ rigore abſtinere fixum firmumque nobis ſit; non poſſumus tamen omni prorſus contradictione aut nota ſuperſedere, quando manifeſta cum injuria religioni, quam publice profitemur, aut Principum, quibus obſtringimur, juri ac honori inſultatur. Id vero ab autore horum voluminum factum eſſe non negabunt, qui legendis iis tempus impendent. Quicquid enim olim recentibus odiis, & in maximo diſputandi fervore adverſus reformationis in Germania autores excogitatum & petulanter objectum fuit, millies licet exploſum, recoctum hic & pleno ſacco effuſum deprehendent.

Tria vero ſunt, ut jam dictum eſt, *Volumina*, horumque ſingula in *tria capita* aut ſcenas diſtribuuntur. Prodit primo illuſtris matrona, Reformatæ, ut videri vult, religioni cum zelo addicta, & confidere ſe dicit, defectioni Reformatorum libris apologeticis remedium allatum fuiſſe. Eandem ſpem præ ſe fert, cui perſona *Senioris*, (Ancien,) ex cœtu Charentonenſi impoſita eſt. Sed elevat eam, & libellos iſtos omnes ſumme nocuiſſe potius, quam ullo modo profuiſſe Reformatis, ſtatuit ſuperveniens collocutor tertius, qui *Marchionis* nomen gerit, & ſumma cum licentia, quam ſibi circa religionem indulget, omnia taxat & improbat, quæ adverſus illa, quæ regio juſſu Reformatis intentata hucuſque fuerunt, aut poſthac metuuntur, ſcripta ſunt. Nam & Regem merito per ea offendi, & Reformatorum ſapientiſſimis atque optimis adeo non conſtantiam perſeverandi in religione addi, ut potius ad eam abjiciendam incitentur. Allegat exemplum primarii cujuſdam ex *Pictonibus* viri, & provincialium ſuorum nomine deputati, quem *Gauterau* vocat. Cumque reſponſum Reformatorum ad Epiſtolam Cleri Gallicani, cujus autorem facit *Joh. Claudium*, breviter & contemtim rejeciſſet, inter cæteros Proteſtantium libros aggreditur, qui inſcribuntur, *Ultimi conatus afflictæ innocentiæ: Politica Cleri Gallicani: Proditus Imperator & Imperium.* Quæ vero ex his in odium Reformatorum elicit, huc fere redeunt: Scripſiſſe ait Reformatos non eo ſtylo, qui Chriſtianos, innocentes nempe & manſuetos deceat, ſed qui furorem potius infernalem ſpiret, & populum ad rebellionem,

lionem ſub dehortationis ſpecie ſubdole impellat, ut mirum non ſit futurum, ſi Rex omiſſa cunctatione & ambage, vi ſua utatur. Id vero eum optimo jure facere poſſe, quoniam edicta, quæ Reformati tantopere jactent, Regibus iniquo tempore extorta fuerint, & ipſi Reformati multiplici contraventione privari iis jam dudum meruerint & quotidie mereantur. Hoc enim multis argumentis ex Actis Synodicis, (quorum ſcilicet Collocutores iſti conſcii haberi volunt,) & hiſtoria petitis, oſtendi poſſe. Recentiſſimum eſſe a fœdere, quod cum Anglis iniviſſe indicio *Monerii* cujusdam accuſantur, qui ex Eccleſiaſte Nemauſenſi Romano-Catholicus factus ſit. Generale inde axioma conficiunt, religionis Reformatæ genium ad rebelliones & *Independentismum* omnino tendere, & ſynonyma eſſe *Calvinianum* & *ſeditioſum ac rebellem*, idque vel ipſum *Jacobum Britanniæ Regem* a Puritanis quos vocant offenſum, imo & *Henricum Borbonium*, cum Proteſtantium ſacris adhuc addictus eſſet, poſtea Galliæ Regem, & *Ludovicum Condeum* agnoviſſe & doluiſſe. Lenitur tamen hoc opprobrium, & ad miniſtros Eccleſiarum reſtringitur, plebe ſcilicet, ſi absque iſtis eſſet, facile Regis intentioni obſecutura. Ut vero dictis fides fiat, ex dogmatibus Proteſtantium Theologorum, & ex Lutheri quoque ſcriptis centones afferunt, dudum productos & rejectos. Trahunt huc etiam, quod Reformati anno 1631 noto illo Synodi Charentonenſis decreto Lutheranos pro fratribus agnoverint, non alio ſcilicet fine, quam ut Sueciæ Regem ſibi conciliarent, cujus progreſſibus rem Proteſtantium extolli, & Catholicos opprimi poſſe, illo tempore ſibi perſuaſerint: addunt & alia, ex cantionum & precum formulis, quæ malignum in Reges animum indicent.

Dialogo II. negant aut extenuant, quæ de violentia contra Reformatos in Pictonibus præcipue exercita, Apologiſtæ conqueſti ſunt; pecuniam vero in deſertores Regia liberalitate erogatam fuiſſe exemplo Apoſtolorum laudant, qui corrogata ſtipe, vel opibus in commune collatis novitios Chriſtianos aluerint. Maxime nempe ſubſidio tali opus habere ajunt Eccleſiarum miniſtros, qui cum hæreſi etiam munera ex quibus alebantur, deponunt. Inde vetus in Lutherum convicium renovant, quod uxorem, & quidem monacham, & ut fingunt, corruptam duxerit; nec flagitium illud Principes Germaniæ toleraturos fuiſſe ſcribunt (p. 161) niſi ad invaſionem bonorum Eccleſiaſtico-

ſticorum,ut avaritiæ ſuæ ſatisfacerent,a Luthero ſtimulati & adjuti fuiſſent; quod quam falſum & calumniæ plenum ſit, ex ipſius Lutheri ſcriptis,& Principum actis oſtenſu facillimum foret. Quæ vero Apologetici Reformatorum libelli pro reformationis juſtitia, aut jurium ſuorum aſſertione continent, variis modis oppugnant. Regem cum vi & jure poſſet, non niſi clementia & ſapientia reducere illos ad Eccleſiam contendunt. Lutheri & Calvini dogmata, hujus etiam factum, (de Serveto) allegant, quod diſſentientes in religione tolerari non debeant, imo capite plecti poſſint. Majores Reformatorum, ſi errores Eccleſiæ a ſe deprehenſos modeſte indicaſſent, officio & conſcientiæ ſatisfacere potuiſſe exiſtimant; injuſtiſſime autem ad arma provolaſſe, cum mori, martyrum exemplo, pro religione, ſi vera fuiſſet, debuiſſent. Expulſione vero Proteſtantium devaſtari regnum Galliæ, ut Apologetici ſtatuunt, plane negant. Exire enim paucos, nec invenire,ubi ſubſiſtant. Rupellam & Ambianorum civitates nominant, nihilo infrequentius cultas; ne Sedano quidem emigraſſe, niſi duos aut tres literatores,amiſſis cum collegio ſalariis. Tutiſſimum eſſe ad Rom. Catholicos tranſire,cum ipſi Reformati concedant, in illa religione ſalvari homines poſſe, cum de reformata id prorſus negetur a Catholicis. Negant Clerum, nedum alios Catholicos Pontifici juramento adſtringi, aut ejus potentiæ in Reges favere, ne Jeſuitas quidem, imo Regem horum obſequio egregio contentum eſſe. Quæſtionem vero de Regia poteſtate ſuprema, & Pontifici non ſubordinata, in congregatione Cleri ideo non eſſe ventilatam,quia non ejus erat loci & temporis, alias nonniſi affirmative decidenda: ſatisfactum itaque & Regi & Pontifici fuiſſe. Regem vero Eccleſiæ primogenitum, omnino teneri ad autoritatem Pontificiam tuendam, & opprimendam Reformatorum ſectam, qua vigente nulla quies populis eſſe poſſit. Puritanorum ſive Presbyterianorum contumaciam in Anglia exaggerant, revelato etiam,quod penetraſſe ſe jactant,ſecreto,Carolo I Regi manu Paſtoris reformati,ſub larva latentis, caput abſciſſum fuiſſe. Fœdera autem Galliarum Regis cum exteris Proteſtantium Principibus,quæ Apologetici objiciunt, cauſis mere Politicis nitentia, non impedire, quo minus in regno ſuo ſectam illam non ferat. Turcorum exemplum Chriſtianos tolerantium non quadrare; ea enim conditione, id eſt, ut miſeri & obſequentes vivant,Reformatos in Gallia non eſſe con-

S ten-

Digitized by Google

tentos. Batavos non minus potentes fore, etſi libertatem religionis non concederent omnibus Sectariis, neque hac indulgentia, ſed ſpoliis Luſitanorum in India ditatos eſſe. Poſſe etiam Reformatos eadem & majori libertate in Gallia habitare, quam Romano-Catholici in Batavia. Militiam Regiam, ne habeant, quod de alimentorum ſubtractione conquerantur, omnibus Reformatis patere, & tantum a prætorianis cohortibus eos excludi. Oſtendunt etiam diverſam rationem tolerantiæ, qua *Conſtantinus*, *Theodoſius*, & *Gratianus* erga Novatianos & Arianos uſi ſint, & hic iterum (manifeſta quidem cum calumnia) occaſionem accipiunt *Lutheri* accuſandi, quod Arianos excuſaverit. Edictum etiam Regis de liberis Proteſtantium ſeptennibus ad religionis Rom. Catholicæ profeſſionem admittendis ita defendunt, ut dicant, Regi, etſi religionis cura ad Clerum pertineat, incumbere, ut membra Eccleſiæ heterogenea, ſive ut vocant cœca, quaſi manu ad Eccleſiam ducat, & externis adminiculis adverſus tales utatur. Hic iterum in ſubſidium venit Primogeniti Eccleſiæ filii axioma, & indubitatus ſucceſſus extinguendi totum ſchiſma promittitur.

Dialogo tertio Gauteravius ille Picto, neophytus ſcilicet Catholicus, rationes converſionis ſuæ exponens, & *Eccleſiaſtes* quidam *Charentonenſis*, ſingulare aliquid allaturus, introducuntur. Longum foret omnia aut pleraque recenſere, quæ Proteſtantibus Marchionis illius ſubornati liberrima lingua, & inprimis Luthero objiciuntur, ex quibus tamen nihil eſt, quod non in omnibus controverſiarum libris ab innumeris ſcriptoribus jam ventilatum ſit. Hic itaque ad nauſeam legas inſulſam de colloquio cum diabolo fabulam; de negata Trinitate; de Arianiſmi approbatione; de ſpoliis Eccleſiæ in Principes collatis, & de horribili, ut ſcribunt, horum impietate ea ambientium; de vocationis defectu; de corrupta & truncata Sacra Scriptura; de rejectione bonorum operum; de certitudine ſalutis impudenti, & de abſurdis ex *Omnipræſentia Chriſti hominis* ſequelis. Tela tamen hinc acria, ut putant, ſumunt dialogiſtæ adverſus Reformatos, tum quod hæc dogmata, quorum quædam ipſi olim in Synodis condemnaverint, ſcientes, nihilominus Lutheranos pro fratribus habere voluerint, ab his licet repulſi & pro hæreticis declarati, tum quod neque hos ſequantur, ubi non errant. Confidenter enim abuſi collocutores prioribus Lutheri libris ipſaque Auguſtana Confeſſione, aſſerunt Lutheranos

ranos Eccleſiæ Romanæ doctrinam æque ac Scripturam S. pro principio agnoſcere, miſſas celebrare, Sanctos invocare, indulgentias probare. Dein ex horum & Reformatorum ſcriptis, quæ magno numero alleganter, eruunt, utrosque concedere, quod in Eccleſia Romana Articuli fidei orthodoxæ fundamentales retenti ſint, adeoque in ea ſalvari poſſint homines; hucque maxime trahunt, quæ anno 1605 in Synodo Anglicana ſtatuta eſſe perhibent, Calvinianis inimica, Romano-Catholicis, ut exiſtimant, honorifica. Hoc argumento maxime motum ſe dicit Picto iſte: alterum vero fuiſſe, quod ſpiritum rebellionis in toto cœtu, & in ſeipſo deprehenderit; quo factum, ut contra regulas & exempla Chriſti, & Apoſtolorum, (quibus Xaverius & alii ex Jeſuitis in India evangelizantes accenſentur,) nonniſi per ſeditiones & vim bellicam, hæreſin ſuam ſtabiliverint. Tertium vero quo maxime convictus fuerit, prolixe deducit, quod *Rex Chriſtianiſſimus* miraculoſo tactu & crucis ſignum adhibens, ægrotos ſanet, exemploque Hiſpani a fœdo faciei morbo nuper regia beneficentia liberati, compertum ſibi eſſe dicit; laborat etiam, quomodo ad morem Angliæ Regis non Catholici, idem tamen præſtantis, reſpondeat. Præmiſerat aliam argumentationem, cum dixiſſet, celerrimam 40000 hominum in provincia Pictonum converſionem ſpontaneam (negat enim denuo vim, de qua Reformati queruntur) miraculo ſimillimam eſſe, & ex hypotheſi Calviniana ironice arguit, hos non perituros, ſi electi ſint, quanquam & ex hac ipſa tam promta apoſtaſia, & quod nemo mortem pro religione illa oppetere velit, futilitatem ſectæ concludi poſſe ſtatuat. Præterimus quæ de contradictione, quæ ex dogmatibus eorum oriatur, de prædeſtinatione hominum ad damnationem, de Chriſto pro electis tantum mortuo, de cauſa peccati Deo adſcripta, & multis ejusmodi congeruntur & exagitantur. Miram vero perſonam ſumit *Miniſter* ſive *Paſtor* ille, qui producitur. Hic enim cum objecta refellere, & religionem cujus doctorem ſe profitetur, argumentis tueri deberet, vel declinat officium, vel cauſam prodit, ſed tandem inexpectatum ſecretum pandere incipit, innuens, Lutherum & Calvinum, vehementiſſime quidem in Romanam Eccleſiam debacchatos eſſe, dum non mores tantum, quod ob temporum illorum corruptelam merito facere potuerint, quaq; ratione plus utilitatis Romanæ Eccleſiæ, quam quodcunque Concilium generale attulerint, ſed &

 dogma-

dogmata contra jus fasque aggreſſi ſint; non aliud tamen propoſitum mente foviſſe, quam ut correctis hoc inſultu moribus Eccleſiæ Catholicæ, regrediendi populis, quos in ſchiſma induxerint, viam & modum reſervarent, & tecte indicarent. Id enim eos velle, cum priorum quatuor aut quinque ſeculorum poſt Chriſtum natum Eccleſiam orthodoxam fuiſſe concedant, (in quibus tamen cultus & diſciplina, quam nunc Romana ſervat Eccleſia, omnino viguiſſe præſupponitur) dein cum, uti dictum eſt, dogmata etiam nunc in Romana Eccleſia retenta laudent; deniq; cum multis locis ipſi in libris ſuis corrigant, quæ dure & a veritate aliena docuerint: id ſcilicet adductis teſtimoniis quibusdam probari poſſe arbitratur. Hæc ex primo Tomo contracta minuendi tædii cauſa nunc ſufficiant: de duobus reliquis in ſequentibus agetur.

HENRICI GUNTHERI THULEMARII OCTOVIratus, ſeu de S. R. I. Electoribus Tractatio.

Heidelbergæ, 1684 in 4.

NOnus nunc annus volvitur, ex quo libellus cujusdam Anonymi, *Octoviratus S. R. I.* inſcriptus, lucem publicam adſpexit. Quem cum nobiliſſimus ejus Auctor non diſplicuiſſe eruditis, ex coemptis & diſtractis ubique exemplaribus animadvertiſſet, ſuarum partium putavit eſſe, curis ſecundis illum ſubjicere, & variis in locis locupletatum non omiſſo nomine ſuo evulgare. Id quod etiam eo ſtudio atque labore præſtitit, ut eo excuſſerit tantum non majoris momenti omnia, quæ de Sereniſſimo Electorali Collegio obſervari merentur. Totum vero eruditum opus octo & viginti capitibus abſolvitur. In prioribus novem generalia proponit, deque modis acquirendi Imperium auſpicatus, diſquirit deinde, quando Imperium Romanum fuerit ſucceſſivum, & quando electivum. Ubi prolixe contra Aventinum per ſingulos eundo Imperatores probat, Proceres Germaniæ ab obitu Ludovici, Arnolphi filii, usque ad Frederici II. tempora, liberrimis votis Reges ſibi & Romanis Imperatores elegiſſe: & quidem ante Ottonis III. ævum jus iſtud omnes Imperii cives, connumeratis etiam nobilibus & civitatibus, habuiſſe, donec ſucceſſu temporis ad Septemviros ſolos deveniret. Afferuntur hic multorum opiniones, cur

Digitized by Google

cur numerus Electorum ſeptenarius placuerit; quibus omnibus in medio relictis, pedem Autor profert ad quæſtionem: cur Eccleſiaſtici in Electorale Collegium fuerint adoptati? ubi proponit primo ſuam ſententiam, ſtatuens id ideo factum, ne Eccleſiaſtici, quorum eo tempore magna jam fuerit auctoritas, electione excluſi, turbas excitarent; allatis deinde & aliorum opinionibus, ad illam quæſtionem delabitur: an recte Eccleſiaſticæ poteſtatis cum Politica conjunctio in una perſona fiat? Cujus cum ſolutionem aliorum negativam recenſuiſſet, affirmativam defendit, & ſecus ſentientibus reſpondet. Mox exponit, quando & ob quam cauſam Octoviratus ſit introductus, annectens ſimul proteſtationem Fabii Chiſii, Legati Pontificii, contra pacem Weſtphalicam & ſtatuminatum in ea Octoviratum, ut & ejusdem ab Innocentio X Pontifice factam uberiorem declarationem. Inquirit poſtea, num iſte Octoviratus contra diſpoſitionem Aureæ Bullæ potuerit recipi, & an etiam, eo non obſtante, Electores adhuc hodie Septemviri appellari queant? proponens hanc in rem tum affirmantium rationes, tum vota Electoris Brandenburgici, Epiſcopi Herbipolenſis, & Statuum aliorum Imperii Monaſterii congregatorum, in cauſa Octoviratus conſtituendi lata. His præmiſſis, totus eſt in enarrandis trutinandisque variorum de origine Electorum ſententiis, quibus denique ſuam ſuperaddit, dicendo, ſeptem Electores ante Friederici II tempora, & quidem jam Friederici I ævo non fuiſſe incognitos: in cujus rei fidem adducit (1) epiſtolam quandam Innocentii III Pontificis, ad Bertholdum Ducem Zaringiæ miſſam. (2) verba Cardinalis Hoſtienſis iſti epiſtolæ commentarii vice appoſita. (3) Chronicon Martini Poloni Papalis Pœnitentiarii & Archiepiſcopi Gneſnenſis, ut & (4) Opus Thomæ Anglici de regimine Principum, qui Friederico II ad clavum Imperii ſedente floruerint. (5) Speculum Juris Saxonici circa A. C. 1230 compoſitum. (6) Jus Saxonicum Feudale. (7) Chronicon Abbatis Stadenſis ad A. C. 1240. (8) Diploma Rudolphi I, A. C. 1290 emiſſum. Aggreſſus deinde titulos ab Imperatoribus, Regibus & Pontificibus Romanis olim & nunc Electoribus tribui ſolitos, diſquiſitionem inſtituit, cur Eccleſiaſtici inter Electores ſint primarii? Atque huic jam ſpecialiora de ſingulis Octoviris a cap. 10 uſque ad 19 ſubnectit, recenſendo non ſolum eorum origines, jura, privilegia, officia, potiſſimum Archi-Cancellariatus, & Officiales hereditarios;

Digitized by Google

ſed etiam catalogos eorum texendo, qui per aliquot ſecula Electoratibus in hunc uſq; diem præfuere. In cæteris de omnium Electorum juribus & prærogativis, in ſpecie vero de officiis, quæ in ſolenni curia Regali obire ſolent, eorum Subofficialibus, vicariatu, electoratuum collatione, inveſtitura & privatione, jure electionis & coronationis Regis Romani & Imperatoris, ſeſſione & præcedentia, ut & tutela Octovirali agit, quibus epilogi loco diatriben de miſſilibus annectit. Inter alia ex *Georgii Achacii Heher* MSta Deſcriptione Germ. Imp. notat, Sereniſſimum Electorem Brandenburgicum ante paucos annos in contractu quodam Majeſtatis titulum uſurpaſſe: quod etiam a Wilhelmo Duce Saxoniæ, & Erneſto Electore Saxoniæ factum quondam fuiſſe, adductis exemplis affirmat. His addit ex Receſſu quodam Provinciali Stargardiæ anno 1654 promulgato, quod in ulteriori Pomerania a Cæſare nobilitati pro talibus non agnoſcantur, niſi prius Electori Brandenburgico cauſas expoſuerint, cur nobilitatis jura impetraverint. De inſignibus Electoratus Palatini contra virum quendam clariſſimum monet, quod in iis corona aurea, quam ex conceſſione Ferdinandi III, in ſolennibus Imperii actibus Palatinus Elector Cæſari præfert, non compareat, ſed quod tertia ſcuti parmula, quæ olim pomum Imperiale Archidapiferatus inſigne exhibuit, vacua relinquatur. Obſervaſſe quidem ſe ait Ratisbonæ a. 1653 in Comitiis Imperii, inter inſignia Caroli Ludovici Electoris, ædibus in quibus commoratus fuerat, affixa pictam quoque coronam Cæſaream, aſt non meminiſſe unquam illam alibi in armis Electoralibus Palatinis a ſe viſam: tametſi eam ſubofficiales ejus, Comites de Sinzendorff, & omnes eorum gentiles utriusque ſexus, inſignibus ſuis inſertam gerant. Ipſam vero coronam Regis Germaniæ, quæ inter alia Imperii κειμήλια Norimbergæ aſſervatur, pag. 490 non eſſe, tradit Caroli Magni; ſed eam, quæ juſſu Conradi I Germaniæ Regis confecta, & Heinrico Aucupi transmiſſa fuerit: id quod ipſe Nobiliſſimus Auctor αὐτόπτης ex eo probat, quod hodienum Conradi nomen unionibus notatum in arcu iſtius coronæ legatur. Quemadmodum vero toti operi inſperguntur varia documenta & diplomata ex Archivis deprompta: ita etiam nonnunquam e numiſmatum atque marmorum inſcriptionibus, dictis conciliatur fides. Accedit in calce tandem Index rerum & verborum locupletiſſimus.

JO.

JOANNIS HEVELII ANNUS Climactericus, ſive, Rerum Uranicarum obſervationum annus quadrageſimus nonus, exhibens diverſas occultationes, tam Planetarum, quam Fixarum, poſt editam Machinam cœleſtem &c.

Gedani, ſumptibus Autoris, 1685 in fol.

POſt reſtitutam Divina clementia ex miſerabili incendio, quo ante quinquennium (d. 26. Sept. ſtylo novo anni 1679) cum potiſſima fortunarum Hevelianarum parte penitus conflagraverat, Uraniam unice ſibi charam, celeberrimus Autor hunc velut prodromum & ſponſorem deſideratiſſimorum Operum ſuorum, ingenti commodo publico mox vulgandorum, *Catalogi Fixarum longe ampliſſimi correctiſſimique, Uranographiæ & Globorum cœleſtium elegantiſſimorum*, orbi exhibet erudito. Eum vero ſub anni climacterici titulo prodire eapropter voluit, quod hiſtoriam complecteretur obſervationum cœleſtium, anno curarum & vigiliarum uranicarum quadrageſimo nono habitarum; quem præterea fatorum proſpera non minus ac iniqua ſibi maxime notabilem, hoc eſt climactericum fecerint. Præterquam enim quod in eum incidit editio *poſterioris partis Machinæ cœleſtis*, fructus laborum tot annis impigre perlatorum; gratiſſimus etiam clariſſimi *Edmundi Halleji*, ab illuſtri Societate Regia Anglicana ad Autorem miſſi adventus, ſociæque in dijudicanda inſtrumentorum, nudis teleſcopicisque pinnacidiis inſtructorum, præſtantia operæ, celeberrimum hunc Aſtronomum intime affecere. Quorum tamen gaudiorum extrema ingens & tantum non inſuperabilis luctus, ex jactura ſupra memorata, mox occupavit.

In hunc Librum igitur congeſtas habet Lector varias omnium Planetarum obſervationes, anno 1679 ad 26 usque Septembris habitas: inter quas & plurimæ ſunt in gratiam hoſpitis *Halleji* ſuſceptæ, dirimendis ſcilicet controverſiis, de fide inſtrumentorum & obſervationum Hevelianarum agitatis.

Intenderat enim ante aliquot annos Autori clariſſimus *Hoockius* litem

litem, de obſervationibus per nuda pinnacidia (quales Hevelianæ ſunt omnes) citra teleſcopiorum opem inſtitutis; & in *Animadverſionibus ſuper priori parte Machinæ cœleſtis*, Anglico idiomate anno 1674 Londini editis, ac quibuſdam ad clariſſimum *Oldenburgium* literis, lubricas eas, & de duobus tribusve minutis minime certas; ſibi contra exiguo inſtrumento, unam ſpithamam longo, quadrageſies, quin ſexageſies accuratiores eſſe poſſe contenderat. Hevelius ergo obſervationum ſuarum certus, ad Societatem Anglicanam provocans ſummis votis contendebat, ut virum rerum cœleſtium peritum ſubmitteret, qui coram arbiter eſſet, ſuis an aliorum rationibus major obſervandi certitudo conſtaret. Hanc vero provinciam poſtquam in ſe ſuſcepit clariſſimus *Hallejus*, apportato ſecum Gedanum ſextante teleſcopico, ejusque ut & inſtrumentorum Hevelianorum fide per duos menſes ſolicitata, pro his, & obſervationibus *Hevelii* magnifice, candorem tamen ſummum conteſtatus, pronunciavit. Hæc *Halleji* ſententia literis ad Hoſpitem ſuum comprehenſa, una cum aliis clariſſimorum virorum, *Walliſii, Bullialdi, Oldenburgii, Fullenii, Flamſtedii, Burattini* ad Hevelium epiſtolis amœbeis, argumentum hoc ventilantibus, ſubjuncta eſt obſervationibus, ut certior redderetur Lector, quid aliis etiam in hoc negotio verſatiſſimis viris ſenſus aut judicii fuiſſet.

Has inſequitur hiſtoriola novæ ſtellæ in collo ceti ab anno 1678 ad incendium usque, & inde ab anno 1681 ad Auguſtum anni 1683 obſervatæ; & tandem continuatio obſervationum cœleſtium, poſt reſtauratam ſpeculam aſtronomicam: inter quas ſunt obſervationes Cometicæ anni 1680, 1682, 1683; eclipſium, Lunaris partialis anni 1681, totalis anni 1682, Solaris anni 1684; conjunctionis magnæ ter iteratæ anno 1682 & 1683; occultationum, Palilicii, Reguli, aliarumque Fixarum; Auroræ boreæ cometiformis; tranſituum, aliæque Planetarum: quarum non paucæ ſparſim, ſed ſuccinctius Actis hiſce noſtris proximorum annorum, benevolo celeberrimi Autoris indultu, ſunt inſertæ.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ
Calendis Aprilis Anno MDCLXXXV.

RERUM ANGLICARUM SCRIPTORUM veterum

Tom. I.

Quorum INGVLPHVS nunc primum integer, cæteri nunc primum prodeunt.
Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, 1684 in fol.

Anglicarum rerum ſcriptores antiquos tenebris eruere, & ſeu ſingulos, ſeu plures uno volumine junctos publicæ luci exponere, clariſſimi ſuperiore noſtroque ſeculo viri ſunt aggreſſi. Et primus quidem *Matthæus Parkerus* ArchiEpiſcopus quondam Cantuarienſis manum huic rei admovere circa a. 1570 cœpit; cujus induſtriam in Germania æmulatus eſt *Hier. Commelinus* editis Heidelbergæ a. 1587 ſeptem vetuſtioribus rerum Britannicarum ſcriptoribus. Secuti horum exemplum ſunt *Guilielmus Hovvardus, Henricus Savilius, Guilielmus Camdenus, Willielmus Wats, Roger. Tvvysden*, aliique plures, qui omnes operam ſibi dandam cenſuerunt, ut antiqui patriæ Hiſtoriæ ſcriptores ab interitu vindicati publicæ utilitati conſecrarentur. Neque tamen tot virorum doctiſſimorum diligentia ſic exhauſtæ ſunt Angliæ Bibliothecæ, quin hic illicq; id genus manuſcripti codices lateant, digni tamen & ipſi, qui e tenebris in lucem protrahantur. Unde ea quoq; re præclare de bono publico mereri cenſendi ſunt Theatri Sheldoniani Curatores, quod diligentius excutere Bibliothecarum *ſcrinia* inſtituerunt, novosque Anglicorum ſcriptorum tomos publicare. Et primo quidem hoc, qui ſuperiore anno prodiit, quinque exhibentur, quorum primus *Ingulphus* jam olim quidem ab Henrico Savilio, ſed ex mutilo codice fuit editus, nunc autem ex perfectiori manuſcripto ornatiſſimi viri Johannis Marshami ſuppletus. Floruit

autem Ingulphus ſeculo a N.C. undecimo, natus nempe circa a.1030, denatus a. 1109, fuitque monachus Benedictinus, poſteaque beneficio Guilielmi Conqueſtoris Abbas *Croilandenſis*, cujus monaſterii ſui hiſtoriam compoſuit; eaque eſt, quæ integra nunc primum publici juris facta eſt. Eam excipit *Continuatio ad Hiſtoriam Ingulphi*, auctore *Petro Bleſenſi*, Bathonienſi primum, inde Londinenſi Archi-Diacono, cujus opera alia Moguntiæ a. 1600, & Pariſiis a. 1667 impreſſa ſunt. Eum enim auctorem eſſe continuationis,Ingulphi Hiſtoriæ Croilandenſi ſubjunctæ,ex Briano Twiino l.1.de antiquitate Oxonienſis Academiæ, Joh. Gerh. Voſſius l. 3. de Hiſt. Lat. obſervavit, & confirmant novæ hujus & perfectioris editionis auctores; etſi qui alia ejus opera ediderunt, vitamque conſcripſere,hujus ſcripti mentionem nullam faciant. Sequuntur *Chronica de Mailros*, Monaſterii nempe Mailroſenſis, ab a. 735 ad a. 1270, incertis auctoribus, & plerumque breviuſcula, ſed ex quibus multa ſcitu non injucunda, Scotorum præcipue Regum ſeries, aliorumque in Borealibus iſtis oris Principum, Epiſcoporum, Abbatum ſucceſſiones peti poſſunt. Quarto loco exhibentur *Annales Burtonenſes*, incerti itidem auctoris, ſed ejuſdem cum Matthæo Pariſio ævi; ut adeo hi duo ſibi invicem & lucem addant, & fidem adſtruant. Ultimum locum alia occupat *Croylandenſis Hiſtoriæ Continuatio*, manca quidem alicubi, ſed quam editores adjiciendam putarunt, tum quod Autores ejus operam ſuam Ingulpho & Petro Bleſenſi ſuccenturiatam voluiſſe videantur, tum quod poſteriora Henrici VI & integra Edwardi IV tempora percurrant, a nemine Anglorum hactenus Latine tradita. Adjectus tomo huic primo ampliſſimus utiliſſimusque index eſt, quem ut tomi reliqui propediem ſequantur, omnium, qui hiſtoriarum ſtudio ducuntur, merito votum eſt.

DE KARTESIAANSE ACADEMIE DOOR Stephanus Blankaart Med. Doct. tot Amſterdam.

h. e.

Academia Carteſiana Autore Stephano Blancardo, Medico Amſtel.

Amſtelodami 1683. in 8.

Ad

AD Medicæ artis varios effectus viſa hactenus ſunt non ſatis quadrare Carteſianæ Philoſophiæ principia, ac proinde pauci admodum ex iis, qui ſanandi corporis ſcientiam profitentur, Clariſſimi Philoſophi veſtigiis inſiſtunt. Rem igitur ſe literato orbi non ingratam facturum credidit Stephanus Blancardus medicus famigeratiſſimus, ſi conaretur integram Artis ſuæ ſtructuram Carteſianis fundamentis inædificare, h. e. ſingula ea, quæ vel ſano corpori vel morbis affecto accidunt, e Carteſii placitis reſolvere, & modum imprimis, quo medicamenta cum præſervantia tum reſtituentia agunt, declarare. Libellum, cujus titulum exhibuimus, in quatuor partes diviſit; duabus bonam humani corporis habitudinem, ejusque conſervationem, duabus aliis morbos, & medelam ipſis adhibendam complexus. In prima ſectione poſtquam dixiſſet, ſanitatem eſſe, cum & liquidæ corporis partes inter ſe congruant, & membra ſolida numero, proportione, magnitudine ſint integra, de ſuccis, qui corpus noſtrum irrigant, prolixius diſſerit, qua ratione alimentum ab homine aſſumtum vertatur in chylum & hic in ſanguinem, exponit, omnesque liquores ſola particularum, e quibus componuntur, magnitudine, figura, & ſitu a ſe differre docet. Canales corporis, qui ſuccos vehunt, ita formatos eſſe pronunciat, ut tantum unius generis particulas admittant, & hinc pendere lactis in mammis, ſpirituumque animalium generationem oſtendit. Quemadmodum fermentationem omnem, ſecutus Magiſtrum, materiæ ſubtilis actioni deberi ſtatuit; ita cum chylus & ſanguis in corpore fiunt, tertium hoc elementum ſcribit ſibi primas partes vindicare. Ignis enim cœleſtis impetu motuque rapidiſſimo excitari particulas acres, & educi partim e cibis in ventriculum ingeſtis, partim e ſaliva, quæ glandulis oris, ventriculi, & inteſtinorum ineſt, ciboque dentibus attrito miſceri; ut craſſiores alimenti particulas gladiorum ancipitum inſtar ſecent ac comminuant. In ſanguine poſtea novam fermentationem contingere, cum illuc delatus fuerit chylus, quod dum particulæ ſanguinis ab iis, quæ chylum componunt, ſitu differunt, ſubtili materiæ tranſitus rectilineus negetur, unde fiat ut hæc ab una particula in aliam oblique impingens, ſingulas commoveat, coloremque toti maſſæ chyli recens adducti rubrum inducat, ad eum modum, quo ſulphur cum ſale quodam lixivioſo coctum abit in tincturam rubicantem. His ita pertractatis, ſingulorum humorum, qui vel

utiles ſunt vel excrementitii, texturam & generationem, vegetationem animalem membrorum humani corporis, modumque illarum functionum, quæ in corpore velut in mechanico inſtrumento neceſſitate naturali fiunt, Carteſiano more evolvit. Pars altera ediſſerit, quo pacto conſervanda ſit integra corporis conſtitutio, & generatim illis cibis, illisque medicamentis uti jubet, quorum particulæ ſint particulis ſanguinis ita homogeneæ, ut eas nec obſtruant, aut impediant, nec concitatius per venas & alia vaſa deferant. Aeris igitur qualis eſſe temperies debeat, deſcribit, & ita reliquas res ordine perſequitur, quæ vulgo audiunt non naturales. Cibos, quibus uti communiter ſolemus, jucunde examinat, & qui nobis maxime conducant, recenſet. Pars tertia morborum varias cauſas enumerat. Cumque ſanitatis duo eſſe requiſita antea dixiſſet, nunc generali diviſione morbos in duas claſſes redigit, ſingulisque capitibus ſingulos pertractat. In hoc ait omnes convenire, quod conſiſtant in immutatione naturalis particularum ſanguinis aliorumque ſuccorum magnitudinis, figuræ, quantitatis, & ſitus. Pars quarta eſt de remediis valetudini recuperandæ inſervientibus. Hæc ipſe trita partitione in externa & interna diſtinguit, & qua ratione quodvis operetur, ſcite declarat. Modum, quo ea medicamenta, quæ veteres calida dixerunt, calorem efficiant, ſtatuit ſequentem. Poſtquam ſuccis noſtris commixta ſunt, putat particulas ſuccorum eo ſitu diſponi, ut ſubtilis materia liberius majorique copia poros ingredi, & eum concitare motum queat, qui Carteſio calor dicitur. Quo plures ergo globuli cœleſtes, qui materiam ſubtilem excludunt, poros particularum ſubintrant, hoc minor eſt calor; ſed quo plus materiæ ſubtilis illuc penetrat, hoc eſt intenſior. Hinc piper & zingiber magis calefaciunt, quam ſemen aniſi. Pari ratione remedia, quæ dolori leniendo, obſtructionibus tollendis, ſudori expellendo inſerviunt, pertractat. Promittit autem ſe in poſterum de podagra, variolis, fermentatione, operatione medicamentorum & chymiæ libellos editurum, in quibus, quæ nunc ſuccincte tradidit, prolixius explicaturus videtur. Interim utut Carteſianis fundamentis ſua omnia inædificet, obſervabit tamen ſtudioſus Lector, ipſum non ubique cum reliquis Carteſianis conſpirare. Cujus rei exemplum eſto motus pilæ in murum projectæ & inde reſilientis, quam ipſe aliter c. 20 partis primæ p. 107 explicat, ac vulgo fieri ab iis ſolet, qui Carteſii diſcipulos ſe profitentur. *HEIN-*

Digitized by Google

HEINRICI CHRISTIANI HENNINII ΕΛΛΗΝΙΣΜΟΣ ΟΡΘΩΙΔΟΣ, *ſeu Græcam linguam non eſſe pronunciandam ſecundum Accentus Diſſertatio paradoxa, qua legitima & antiqua Linguæ Græcæ pronunciatio & modulatio demonſtratur &c.*

Trajecti ad Rhenum apud Rudolphum a Zyll, 1685 in 8.

AUtor hic natione Germanus, isque Francus, & profeſſione apud Belgas Confœderatos Medicus, in ipſa ſtatim præfationis fatetur fronte, ſe captum quidem fuiſſe admirabili Græcæ linguæ ſuavitate, qua præ cæteris linguis excellat, ob horrificam tamen ejus in pronunciando modulationem hæſitaſſe, an jure id laudis tribui eidem poſſit; & in eam tandem ſententiam deveniſſe, aut falſa eſſe & hyberbolica, quæ de Græciſmi ſuavitate vulgo jactarentur, aut longe aliter eundem pronunciandum fore. Sed hoc poſterius placuiſſe præ priori illo, ne tot viros ſuavitatem Græcæ linguæ deprædicantes erroris redargueret, ideoque a vulgato illo modulandi Græciſmi more deſciviſſe, ſecutumque eam pronunciandæ ſuaviſſimæ linguæ rationem, quæ Græcorum poetas legenti obſervanda ſit, ſusque deque habita omnium accentuum tortura; magis etiam magisque in ſententia hac ſe confirmatum, & quod adſtruendæ illi conducibile hinc inde in priſcis autoribus reperiſſet, in adverſaria ſua conjeciſſe. Nec diſplicuiſſe cogitationes ſuas Viris doctiſſimis, *Grævio* inprimis, Academiæ Ultrajectinæ Varroni, & *Bernhardo*, Mathematum apud Oxonienſes Profeſſori, *Chriſtiano* item *Hugenio*, *Meibomio*, *Menagio*, *Pelſio*, aliis. Scribendæ autem huic diſſertationi occaſionem dediſſe *Salomonem Dierquens*, JCtum & Curiæ Brabantinæ Senatorem. Cum enim paradoxa admodum hæc de lingua Græca absque accentibus pronuncianda ſententia ei fuiſſet viſa, Autorem ea, quæ in ſchedis annotarat, revocaſſe ſub incudem, diſſertationemque hanc ſcripſiſſe, perque modum epiſtolæ Senatori eidem conſultiſſimo tranſmiſiſſe; cumque virorum doctorum applauſum hinc inde eſſet experta, eam expoliiſſe denuo, & pro lectorum commodo in paragraphos diſtinctam notulis nonnullis illuſtraſſe, typographoque dediſſe deſcribendam.

Quod argumentum diſſertationis ipſum attinet, præſtruit Autor initio, literas abs Phœniciis abſque accentibus fuiſſe inventas, idque patere non ſolum ex nummis Pœnorum & Tyriorum, ſed & ex hodiernis Samaritanorum literis, quas Chananæorum atque adeo Phœniciorum eſſe viri eruditiſſimi evicerint. Indeque nec Hebræos, qui Phœnicios ſecuti ſint, habuiſſe accentus, atque adeo nec Syros & Chaldæos, utpote Dialecto tantum ab Hebræis variantes, imo nec Syros recentiores, nec Orientales populos, Arabes puta, eorumque ſequaces Perſas ac Turcas. Non Coptos etiam ſeu Ægyptios hodiernos, non Malabares, non Japones, non Slavos, Moſchos, Bulgaros; Accentus etiam inter Europæos Germanis vetuſtis, Runis apud Danos, & Belgis fuiſſe ignoratos. Accentus ergo recentiores eſſe, & primum quidem inventos ab Arabibus Phœnicum ſcribendi morem a dextra ſiniſtrorſum ſcribendo ſequentibus, quod præter ſagaciores Rabbinos vel nomina accentuum, quæ pura puta Arabica ſint, oſtendant. Fuiſſe autem accentus adinventos ob quatuor potiſſimum rationes, nempe ad diſtinguendas voces ambiguas, ad indicandam ſingularum vocum pronunciationem, ad ſenſum ſuſpendendum in membra majora & minora, & ad moderandam cantus harmoniam. Et hinc quatuor quoque fluere conſectaria: *I Nullam linguam vernaculam nationi aut habere, aut ſi habeat, frequentare accentus. II accentus non ante fuiſſe inventos, quam Linguæ vocatæ ſub regulas Grammaticorum fuerint. III accentus a Grammaticis fuiſſe repertos, & IV linguas quo magis ſint in uſu, eo minus habere additamentorum in ſcriptione, & vice verſa.* His præſtructis aſſerit ulterius, linguam Græcam tanquam omnium florentiſſimam & per cunctas Europæ nationes diffuſam, in regulas a Grammaticis, ut eo facilius celeriusque arripi poſſet, fuiſſe redactam, a Pergamenis potiſſimum in Aſia, & Alexandrinis apud Ægyptios, annis ante C.N. plus minus CCL, & quidem in ſcholæ tantum uſum pro erudienda in modulo vocabulorum juventute; ſed diverſiſſimos fuiſſe accentus priſcos a noſtratibus hodiernis, & in ſchola tantum adhibitos, non ubique; veræ etiam pronunciationi conveniſſe ſecus quam hodiernos a Grammaticorum illorum poſteris introductos. Hos enim Græculos poſteriores Faſtigia vocibus ſuis ſuperimpoſuiſſe, ne a Barbaris in Græciam irruentibus vitiari Græca pronunciatio poſſet. Corruptelam hanc præterea tum quoad pronunciationem, tum quoad idio-

idiotiſmos & barbariſmos auxiſſe 1. *Judæos Helleniſtas* (Hebraiſmum enim exſpiraſſe jam CHRISTI tempore) 2. *Juriſconſultos Græcos*, qui elegantiam Græciſmi immiſſo Latiniſmo data opera fœdarint; ubi *Baſilica*, *Novellæ*, *Gloſſaria* Labbei, & JCti Græci *Theophilus* & *Harmenopulus* allegantur. 3. *Arabes* magno numero per Græciam diſperſos. 4. *Aulam Imp. Conſtantinopolitanam*, quæ quotidie nova cudendo vocabula, ut ex uno Codino de Officiis Palatii CPtani patet, Græciſmum oppido peſſum dederit. 5. *Clerum poſterorum ſeculorum*, v.g. in *Synodicis*, *Nomocanone*, Ἀρχιερατικοῖς, Εὐλογίοις & Μηνολογίοις Græcorum; & denique 6. *populos peregrinos*, ad quos lingua Græca fuerit derivata; id quod exemplis non paucis clarum abs Autore redditur. Accentus vero ſeu apices, quos hodie Græcanicis vocibus videmus ſupraſcriptos, in uſum demum publicum apud Græcos veniſſe ante hos ad ſummum Ɔcccc annos, invaleſcente nimirum barbarie, & quidem 1. ut voces ambiguas diſtinguerent, v.g. διὰ ob, Δία Jovem &c. 2. ut in peregrinis & abhorrentibus plane a Græciſmo oſtenderent ſyllabam attollendam producendamve, v.g. in nominibus propriis apud Matthæum Ἀρὰμ, μαναςῆς &c. cum alias accentuari, ſic deberent: Ἄραμ, μανάσσης. 3. ut ſenſum ſubinde ſuſpenderent, ſic v.g. τιμὴ notat ſequi alia, τιμή ſenſum finiri docet. 4. ut cantillarentur ſecundum accentus. Nam acutus ´ vocem aſcendentem ſignificat, ut gravis ` deſcendentem, ῀ quando aſcenditur acuto & hinc tardiore voce in gravem deſcenditur. Sed cur, inquiat quiſpiam, omnes omnino voces Græcanicæ accentus habent, cum tamen nec omnes ſint ambiguæ, nec omnes peregrinæ, nec omnes ſenſum ſuſpendant, nec ſemper cantillentur? Reſpondet Autor id factum, ad diſcernendas voces continuo olim ductu & ſine ullis ſpatiolis exaratas; atque hinc unamquamque vocem ſuum accepiſſe accentum; quam aſſertionem & exemplo ex Matthæi Græco Evangelio illuſtrat. Neque obſtare, quod in veteribus Græcis hæ voces προσῳδία & τόνος deprehendantur. Nam per προσῳδίαν intelligi τὴν μετ᾽ ὀργάνου ᾠδὴν, per τόνους cantus moderamenta, v.g. tonum Lydium vel Phrygium. Florenti igitur Græciæ apices iſtos ´ ` ῀ accentuum omnino fuiſſe ignotos; id quod probat Autor 1. ex ipſa ratione; nullam enim vernaculam opus habere accentibus pronunciationem docentibus. 2. ex ſilentio veterum, qui florente Græciſmo victitarunt; penes quos nec vola nec veſtigium faſti-

faſtigiorum, quæ Græculi hodierni frequentant, extet. 3. ex teſtimoniis veterum ipſorum, Ariſtotelis, Hieronymi, Theonis Sophiſtæ, Quintiliani, Gellii & Varronis. 4. ex ratione ſcribendi. Neque enim credibile eſſe, quod quadratis literis virgulæ fuerint impoſitæ, præſertim in βουστροφηδὸν. Ortos igitur fuiſſe accentus cum minuſculis Græcorum literis, v. g. α β γ &c. quæ a Græculis demum Monachis inductæ fuerint. 5. ex ipſis monumentis, & primum quidem ex nummis aureis, argenteis & æreis Græcorum, ut & ex gemmis & ſignis antiquæ artis, quæ accentibus omnino deſtituuntur in ſuis epigrammatis. 2. ex lapidibus inſcriptis, qui & ipſi nullos accentus habeant. 3. ex codicibus MSStis, Inſtrumentis & Tabulis publicis, quæ, quo vetuſtiores ſunt, eo minus accentus præ ſe ferant. Habere equidem MSStos codices vetuſtos & accentus & ſpiritus appictos, ſed illos ad Iↄcc aut ad ſummum ad Iↄccc annos non adſurgere. Fuiſſe autem veteres codices accentibus a Grammaticis oneratos; ſic nec ſpiritus in uſu fuiſſe veteribus; ſed hos apices & ipſos inventum eſſe novitium Antiquitati ſemotiori ignotum.

Si ætatem accentuum quis ſciſcitetur, eam Autor dicit eſſe vel inventionis vel frequentationis; & inventionis quidem rejicit ad tempora Ptolemæi Philopatoris, vel ad annum ante N. C. præterpropter CCL. Frequentationis vero ab anno poſt C. N. cIↄ inchoat; eo quod monumenta iſta, quæ accentibus onuſta ſunt, eam ætatem non excedant. Frequentatos vero fuiſſe a Grammaticis ad cuſtodiendam Græciſmi elegantiam, eamque a barbarie Gothica, Longobardica, Hunnica ſequeſtrandam; quam ob cauſam & hodie, cum lingua Græca veterum nemini vernacula ſit, accentus frequentandos Autor cenſet; quamquam Græcæ linguæ elegantiam per accentuum tormenta pronunciandam eſſe perneget. His præmiſſis, accentuum ſecundum vulgatum hodie morem ponendorum doctrinam paucis regulis Autor complectitur, oſtenditque pariter, accentuationem a pronunciatione omnino eſſe diſtinguendam, tum ob ipſum accentum pro ratione ultimæ ſyllabæ mobilem, tum ob longas natura ſyllabas, quæ per accentum alias in pronunciatione corriperentur. Oſtenſo hactenus, accentus non inventum tantum eſſe novitium, ſed & unice inventos ad facilius imprimendum, qui per barbariem fœdabatur, Græciſmum, jam, quomodo Græca lingua pronunciari legitime debeat, Autor docet.

Præ-

Præmittit autem Axiomata quædam, quorum hæc ſumma eſt: vocales eſſe animas conſonarum; ex pronunciatione vocalium in vocibus reſultare ſpiritum, quantitatem & modulationem; ex vocabulis ſolis aut in diphthongum junctis, aut conjunctis cum conſona una vel pluribus fieri ſyllabas unas vel plures. Syllabam unam vel plures, ſi quid ex inſtituto ſignificent, voces & vocabula appellari; ſyllabam pronunciari vel uno vel duobus momentis plus minus; & hinc eſſe vel breves vel longas; longam fieri ſyllabam, aut vocalis geminato tono, aut diphthongo, aut poſitione; differre autem ſyllabas longas, aliasque eſſe minus longas, alias longiores, alias longiſſimas, & hoc unumquemque docere aurium judicium; brevem eſſe ſyllabam, quando vocalis vel ſimplex, vel ſimplici conſonæ ſequenti juncta, ſimpliciſſimo tono unius momenti pronuntietur; omnem vocem habere ſuam modulationem; eam vero conſiſtere in quadam intentione tonica hujus *illiusve* ſyllabæ, quod exemplo vocis *Conſtantinopolitáni* illuſtratur. Axiomatis hiſce præſuppoſitis poeſin Græcam & Latinam ſuperſtructam eſſe ait, imo & eloquentiam ipſam; ſed eloquentiam quoad rationem pronuntiationis, actionis, & affectuum movendorum periiſſe; nec eloquentiam tantum, ſed & ipſam poematum pronunciationem; hanc tamen elegantem adhuc ſervari in Græciſmo præ Latiniſmo, Hiſpaniſmo, Italiſmo, Galliciſmo, Germaniſmo, Belgiſmo & Angliſmo. Ex his enim omnibus linguis, excurſu quodam facto, exempla verſuum ex recentioribus poetis elegantiſſimorum producit Autor, ſic tamen, ut ſolam Græcam iis omnibus præſtare oſtendat. Augeri autem hanc præſtantiam, tum perennitate conſtanti, tum ſuaviſſima modulatione. Hanc modulationem his quatuor infallibilibus regulis contineri: *I. omnis vox monoſyllaba modulationem habet in ſua vocali. II diſſyllaba in priori. III polyſyllaba, ſi penultima ſit longa, in penultima. IV ſi vero penultima ſit brevis, in antepenultima.* Ad has regulas Helleniſmum eſſe modulandum, 1. ob analogiam Græciſmi cum Latiniſmo. Neque enim optimam fluentis Latinitatis ætatem habuiſſe accentus, & ſi maxime a quibuſdam appingantur hodie accentus a Grammaticis poſterioribus inventi, Latinos tamen ſecundum eos non pronunciare. 2. ob accentus ipſos. 3. ob accentuum diſtinctiones. 4. ob voculas, quæ non habent accentum. 5. ob metra poetica Græcorum, quæ ex vera vocabulorum naturalique modula-

 tione

Digitized by Google

tione pronunciari debent. 6. ob metra miſcellanea, vel in quibus verba aut hemiſtichia Græca Latinis ſunt intexta, conjuncta aut ſubnexa. Opponi equidem hic poſſet conſuetudo invulgata Βαρβαρωδίας, ſeu ut vocant, Romaiciſmi, a *nova Roma* h. e. Conſtantinopoli haut dubie ſic dicti. Sed huic & aliis objectionibus reſpondet Henninius, & ne quis ſibi præſidio eſſe exiſtimet hanc Romaiciſmi βαρβαρωδίαν, fata linguarum paulo altius repetit. Corrumpi autem & mutari linguas 1. ipſo temporum lapſu; 2. derivatione ad populos peregrinos; 3. mixtura aliarum linguarum; 4. defectu eruditorum, qui linguam iſtam excolant; 5. inducta lingua dominatrice apud gentem devictam; 6. exciſa gente, cui hæc & illa lingua fuerit familiaris. Sed commodum ad duo mox capita corruptelas, quibus linguæ primo corrumpuntur, mox mutantur, Autor revocat, ad Barbariſmum nempe ac Solœciſmum. Solœciſmum fieri inquit quinq; modis, 1. κατ' ἐτυμολογίαν, 2. κατὰ συζυγίαν, 3, κατὰ λέξιν, 4. κατὰ σύνταξιν, & 5. κατὰ φράσιν. Barbariſmum quadruplicem eſſe: *Barbarophoniam*, ubi data opera Romaiciſmi βαρβαροφωνία cum Helleniſmi ὀρθοεπεία confertur; *Barbarodiam*, qua voces peregrina modulatione efferuntur; *Barbarographiam*, quando voces earumque elementa eo modo non exarantur, quo ea ſcribi oportebat, & *Barbarologiam*, quando aut voces genuinæ peregrina terminatione deturpantur, aut quando peregrinæ voces ſine neceſſitate ſub debita idiomatis terminatione recipiuntur, aut quando plane peregrina tam quoad variationem, quam eſſentiam linguæ confunduntur. Has corruptelas, fatalibus quaſi periodis, linguis omnibus uſu vernaculis accidere, ſolis *eruditis linguis*, *Hebraa* videlicet, *Græca* & *Latina* ab illa labe immunibus, quæ & tanquam via unica unicuique ad nominis immortalitatem ituro commendantur. His & aliis pluribus pro ſententia ſua allatis concludit tandem Autor, *pronunciationem & modulationem Græciſmi purioris, ſeu Helleniſmi veteris conſiſtere non in βαρβαρωδίᾳ ad vulgares Romaicorum accentus, ſed in rationali pronunciatione, ſecundum rationem veri valoris literarum & quantitatis, & in rationali modulatione ſeu intenſione vocis tonica ſecundum rationem quantitatis; ſyllaba ipſius in monoſyllabis, prioris in diſſyllabis, penultima in polyſyllabis ad regulas illas quatuor modulationis a ſe traditas & adſertas, quæ apud Græcos & Latinos omnesque populos rationali modulatione gaudentes æterna ſint veritа-*

ritatis. Huic panno veluti ſuo tanquam purpureum limbum *Iſaaci Voſſii*, eruditiſſimi Viri, *de accentibus Græcanicis* ſententiam ſibi harmonice concinentem, ex libro ejus de *poematum cantu & viribus rythmi* ſubtexit, imo ἀνακεφαλαίωσιν totius diſſertationis ſub finem in tabella quaſi quadam exhibet.

De cætero cum Autor duas adhuc Diſſertationes conſcripſerit huic argumento valde affines, uti p. 118. & 119 ipſus indicat, quarum altera eſt Ρωμαϊκισμός βαρβαρόφωνος, ſeu *Græcos hodiernos eorumque ſequaces vitioſe literas & diphthongos Helleniſmi enunciare*; altera: Ἑλληνισμὸς εὐμάθητος, ſeu *Græciſmum facile poſſe diſci*, una cum indice Bibliothecæ Græcæ 1. *Philologorum* ſeu Grammaticorum, Lexicorum, Phraſeologiarum, Particularum Linguæ Græcæ, & qui ſunt ſimiles Autores. 2. *Literatorum*, qui Antiquitates Græcas illuſtrarunt. 3. *Auctorum Græcorum*, qui ab Homero ad captam urbem CP. ſcripſerint, & 4. *MSStorum Græcorum ἀνεκδότων*, qui hinc inde in Bibliothecis latent; Eundem, ut hoc quicquid diſſertationum eſt, orbi literario propediem donet, majorem in modum rogamus; cumque & alias meditationes, quarum p. 88. mentionem injicit, intra Veſtæ penetralia aſſervet, *regulas* videlicet paucas, ſed infallibiles, ad quas Germanicam & Belgicam linguas tam quoad quantitatem, quam modulationem revocavit, ut & *artificium*, cujus ope ex tempore ſcire quis queat, cujuscunque linguæ voces ὁμοιοτελεύτας (quod ſummum commodum præſtare poſſit vernacula poeſi canere volentibus) Eundem longe doctiſſimum Autorem, ut publici eas juris facere ne intermittat, hac ipſa quoque occaſione non inſtimulare non poſſumus.

NOUVEAU RECUEIL DE PLUSIEURS Queſtions notables, tant de Droit, que de Coutumes, jugées par Arreſts d'Audiances du Parlement de Paris, par M. Lucien Soefve &c.

Sive,

Sylloge nova plurimarum quæſtionum notabilium, juris tam ſcripti, quam conſuetudinarii, deciſarum per Decreta in Audientiis Parlamenti Pariſienſis lata, colligente Luciano Suavi, Advocato ejusdem Parlamenti veterano.

Tomus II.

Pariſiis, apud Carolum de Sercy, 1682. in fol.

Exhibuimus præterito menſe Deciſionum a Luciano Suavi collectarum tomum primum: alterum, promiſſi tum facti memores, in præſenti ſiſtimus. Et quidem, cum nec de Autoris propoſito, nec methodo ab ipſo adhibita quicquam ulterius dicendum reſtet; nil ſupereſt, quam ut extantiores caſuum deciſiones, poſtremis hiſce quatuor centuriis contentas, prout tunc cœpimus, indicare pergamus.

Centuria I itaq; ſequentibus definitionibus conſpicua eſt: Donationem, executori teſtamentario factam, eodem die quo teſtamentum conditum, haberi pro donatione mortis cauſa: tametſi teſtator eam inter vivos & irrevocabilem fore declaraſſet, *cap. 14.* Beneficium *legis 8. C. de revoc. donat.* tantum habere locum, ſi univerſa bona aut certe pars quota facultatum donata, non vero, ſi res aliqua particularis, *cap. 18.* Heredibus integrum eſſe, revocare largitionem ei factam, cum quo defunctam donatricem impudice vixiſſe probare queant, *cap. 25.* Filium ex patre bigamiæ condemnato haberi pro legitimo, & cum aliis liberis ſimul ad ſucceſſionem admitti, eo quod mater prioris iſtius conjugii ignara adeoque in bona fide fuiſſet, *cap. 26.* Donationem inter vivos quibusdam ex liberis factam ab irato patre in præjudicium aliorum, eſſe invalidam, *cap. 42.* Eum, qui ob impedimentum ſuperveniens ſponſalia a ſe contracta conſummare non potuerat, teneri ſponſæ ad intereſſe; dotis tamen, quæ ipſi prænumerata fuerat, dimidium tantum reſtituere debere, *c. 54.* (cujus deciſi rationem *Suavis* non aliunde petendam autumat, quam ex *L. 16. C. de don. ante nupt.* ubi ſcilicet diſponitur, propter nuptias data, his non ſecutis, non niſi pro parte dimidia repeti poſſe, ſi oſculum ſponſi interceſſerit; id quod hic veriſimiliter fuerat factum.) Filiam, quæ ultra 30 annos in Monaſterio

ſterio vixerat, non ex cludia ſucceſſione paterna; niſi in ſpecie probetur, eam expreſſe,& quidem in ſcriptis,profeſſionem monaſticam feciſſe, *cap. 67.* Patrem naturalem obſtrictum eſſe filiæ ad dotem: tametſi hæc jamjam ejus ſumptibus certum didiciſſet opificium, quo ſe exhibere poſſet, *cap.68.* Teſtamentum, in quo quis monaſterium,ubi confeſſionem facere ſolitus fuerat, ſuccedere ſibi voluit, non valere: tales enim diſpoſitiones per ſuggeſtionem & perſuaſionem monachorum extortas reputari, *c. 71.* Eum,qui incendii a vicinis arcendi cauſa, proprias ædes juſſu magiſtratus deſtruxit,non poſſe a vicinis retributionem eo nomine petere, *cap.73.* Parentibus non eſſe integrum inæqualiter de bonis inter liberos diſponere, ſi qualicunq; ſcripto antea declaraverint, ſe omnimodam inter eos æqualitatem ſervatam velle,*cap. 78.* Valere ſchedulam obligatoriam etiam non expreſſa inibi cauſa debendi, *cap. 96.*

In *Centuria II* hæc reperiuntur deciſa: Monachum licet ſeculo reſtitutum, non tamen eo ipſo mox habilem reputari ad ſucceſſiones rurſus capiendas, *cap. 3.* Exheredationem tacite revocatam non cenſeri, per ſubſecutam patris benedictionem, filio ante obitum factam, *cap. 20.* Filiam, quæ dote accepta renunciaverat ſucceſſioni parentum & fratrum, eo non excludi ab hereditate filiæ ab uno fratrum relictæ, *cap. 21.* Notarium, qui inſtrumentum venditionis compoſuit pro eo, cui bonis interdictum eſſe noverat, teneri in ſubſidium emtori, ſi hic a prodigo recuperare nequeat pretium venditionis, *cap. 53.* Fundo hac lege vendito, ut, niſi Dominus directus certa pecunia, in contractu nominata, laudemii loco contentus eſſe velit, in arbitrio emtoris ſit, ab emtione, tanquam nulla reſilire; non tamen contrahentes a contractu recedere poſſe, dum Dominus majorem eo nomine ſummam prætendit, *cap. 96.* Adverſus teſtamentum,in quo certi teſtes adfuiſſe exprimuntur, non admitti probationem, teſtes illos non adfuiſſe, *cap. 99.* Infanti,quem mater probabiliter conceperat durante abſentia mariti,alioqui plus quam ſexagenarii,non recte moveri quæſtionem ſtatus, *cap. 100.*

In *Centuria III* judicatum fuiſſe perhibetur, Matrem teneri ad refundendum lytrum, quod ipſa inſcia, ad filii preces ſolverat extraneus mercator barbaris, a quibus hic captus detinebatur, *cap. 2.* Juriſdictionem non poſſe vendi, niſi una cum prædio,cui inhæret, *cap. 7.*

Digitized by Google

Filium, quem fœmina, triduo poſt primi mariti obitum alteri nupta, elapſis octo menſibus enixa fuerat, non prioris, ſed ſecundi mariti progeniem reputari, *cap. 18.* Ad impugnandum contractum, ſolenniter in ſcriptis geſtum, non admitti probationem per teſtes de factis fraudulentis, *cap. 24.* Liberos ex inceſtuoſo & adulterino coitu progenitos non reputari legitimatos per ſubſequens matrimonium, tametſi hoc contractum fuiſſet ad Papæ diſpenſationem, cui clauſula legitimationis per expreſſum fuerat inſerta, *cap. 29.* Filiam, quæ elocata renunciaverat ſucceſſioni paternæ, pati nihilominus debere dotis diminutionem ad concurrentem uſque ſummam legitimæ fratrum, ſi poſt appareat hanc illis alioqui non eſſe ſalvam, *cap. 52.* Crimen ſuppoſiti partus, ejusque perſecutionem tam civilem, quam criminalem viginti annis expirare, perinde ut alia delicta, *cap. 53.* Præſcripta licet ob temporis lapſum parricidii pœna, non tamen eo ceſſare indignitatem parenti occiſo ſuccedendi; in tantum ut ne quidem filia talis parricidæ jure repræſentationis admittatur, *cap. 56.* Renunciationem hereditatis a filia elocata in fratrum gratiam factam, non arcere eandem a petendo legitimæ ſupplemento poſt patris obitum, *cap. 63.* Teſtamento poſteriore ob heredis incapacitatem corruente, nec id valere, quod prius legitime fuerat conditum, *cap. 67.* Domo hac lege vendita, ut emtor ſtet locationi a venditore alteri factæ, nihilominus licitum eſſe emtori expellere conductorem, modo alium poſtea inquilinum recipere nolit, *cap. 90.* Epiſcopi domicilium reputari in ſede epiſcopali, quamvis alibi majorem bonorum partem habeat, *cap. 94.*

Denique in *Centuria IV.* deciſa ſequentia proponuntur: Eum, quem obſtetrix moribunda matri putatitiæ ſua opera ſuppoſitum fuiſſe confeſſa eſt, nihilominus pro filio legitimo reputari, ac tali, quem juſtæ demonſtraſſent nuptiæ, *cap. 1.* Filium, quem pater ante contractum legitimum connubium genuerat in Anglia, (ubi ſcilicet legitimationi per ſubſequens matrimonium locus non detur,) poſſe ſuccedere patri huic naturali in bonis extra Angliam ſitis, *c. 20.* Locatorem, qui beneficio *legis 3. C. locat.* uſus, expulit conductorem, non poſſe dein alium recipere inquilinum, ne quidem ſi partem ſaltem domus ei locare velit, dum nimium ipſi ſoli pro familiæ paucitate ſupereſt ſpatium, *cap. 29.* Prohibitam cenſeri a teſtatore Falcidiæ detractionem, dum inventarium fieri vetuit, *cap. 30.* Non deberi laudemium, ſi

unus

unus ex coheredibus domum ob defuncti æs alienum venditam ſub haſta emerit, *cap.39.* Quemlibet ex liberis ad alimenta patri egeno præſtanda in ſolidum eſſe obligatum; ſalvo tamen hoc nomine adverſus fratres regreſſu, *cap.40.* Matrimonium legitimum quidem, clam tamen habitum usque ad mortem mariti, non producere ullos effectus civiles in commodum viduæ aut liberorum, *cap.57.* Maritum, cujus uxor validitatem matrimonii in judicio impugnaverat, ſed ſuccubuerat, non teneri ad refuſionem impenſarum in alimentationem uxoris factarum durante ſeparationis tempore, *cap.70.* Ducta licet in matrimonium deflorata, non tamen legitimum hoc ipſo fieri filium ex ea antea natum, ſi hic, tanquam ex alio conceptus, libro baptiſmali inſcriptus reperiatur; tametſi maritus ille eum tanquam ex ſe genitum agnoſcat, *cap. 85.* Factis donationibus pluribus a patre diverſis temporibus in quosdam ex liberis, quas in unum computatas inofficioſas eſſe apparet; ſupplendam eſſe legitimam reliquorum non ex ultimis tantum, ſed univerſis illis largitionibus, *cap. 88.* Fœminæ, quæ ante ſeptennium nupſerat viro 65 annorum, maritum impotentiæ accuſante, nec comparentibus in eo externis ſterilitatis ſignis, non recte judicatum eſſe in foro primæ inſtantiæ, ut ad probationem per copulam carnalem procederetur; ſenio ſcilicet reum a tali probatione eximente, *cap.86.* ex quo ipſo capite evidens eſt, iis in terris, ſi de impotentia conjugum lis ſit, nec facta inſpectione defectum in externis membris periti deprehendant, Officiales ſeu judices Eccleſiaſticos ſolere ulterioris probationis loco injungere, ut partes litigantes certo die, & ſtata quidem hora, in conſpectu teſtium congreſſum celebrent: notatur tamen, hunc morem, honeſtati & pudori tantum non adverſantem, nulla Conſtitutione, nec civili, nec canonica niti, nec dum ultra ſeculi ſpatium in foro Eccleſiaſtico viguiſſe.

LA FRANCE TOUTE CATHOLIQUE SOUS le Regne de Louis le Grand &c.

i. e.

Gallia tota Catholica ſub Regno Ludovici Magni &c.

Tomus 2. & 3.

Lugduni apud Joh. Certe 1684. in 12.

Con-

Continuamus, quam ſupra pag. 138 in nos recepimus enarrationem. Tomi II Dialogo I *Matrona illa Comitiſſa*, & Marchio, a ſecta ſua jam manifeſto diſcedentes, celebrant conſenſum Romanæ doctrinæ cum traditis *Auguſtini*, de cultu Sanctorum & reliquiarum; de Sacrificio Miſſatico & aliis. Dein ora adverſus reformationis autores ſolvunt. Siſtuntur iterum *Lutherus* inceſtus maritus: *Principes Germani* bonorum Eccleſiaſticorum raptores: *Calvinus* ſtigmate ob infandum crimen notatus, Bolſeci, qui id narrat, autoritate adverſus Maimburgii dubitationes aſſerta. Sequitur *Bezæ* carmen laſcivum; *Maroti* poeſis & turpitudo; eaque occaſione *Godavii* Pſalmorum verſio, non ob elegantiam tantum, ſed & ob convenientiam cum textu Hebraico prædicatur. At ex collocutoribus *Miniſter*, ſive *Paſtor* ille, jam ſecretum ſuum confidentius explicat. Calvini nempe dictum adverſus *Weſtphalum* Theologum Lutheranum adfert. Cum eo enim de præſentia reali in S. cœna diſputans, ſcripſiſſe dicitur, *ne verbulum quidem in Auguſtana Confeſſione doctrinæ ſuæ adverſari.* Inde efficitur, Calvinum totam Lutheri doctrinam adprobaſſe, adeoque & *Miſſam*, *Imagines*, *Confeſſionem Sacerdotalem*, *Invocationem Sanctorum*, aliaque quæ ut hæreſin & diabolica inventa Calvinus diffamaverat. Lutherum vero etiam dogma *de conſubſtantiatione* revocaſſe, admiſſa *transſubſtantiatione*, in tractatu ſcilicet *de captivitate Babylonica*. Sed Calvinum & Lutherum, niſi pro peſſimis mortalium haberi debeant, tacite id egiſſe, ut populis, ſublato ſchiſmate, redeundi ad Rom. Eccleſiam viam indicarent, contraria docendo, & quæ ſtatuerant, deſtruendo. Tantam vero ſpem in hoc invento collocat Paſtor ille, ut per hoc totum Reformatorum cœtum, veluti Ægypti ſpolia, ſecum in Romanæ Eccleſiæ caſtra tradducturum ſe eſſe jactet. Idem agitur *Dialogo II*, niſi quod *Joh. Claudio* Charentonenſium Eccleſiaſtæ, novo & inſolito more acerbe illuditur. Hunc enim Paſtor ille, cum in Synodo de reſponſione ad literas Cleri deliberatum fuit, ambigue; poſtmodum vero ſibi, remotis arbitris, ſincere confitentem inducit, quod reſponſum illud ſubdole, & non alio fine tam impertinenter conceperit, quam ut cauſam Reformatorum plane proderet, & in eum ſtatum deduceret, ut totius ſectæ interitus non poſſit non propediem ſequi. Maxima iterum vis in argumentatione hac conſtituitur: *Lutherani credunt & admittunt præſentiam realem corporis Chri-*

Chriſti in ſacra cœna, Miſſam, purgatorium, indulgentias, Sanctorum cultum, aliosque a Calvino & Eccleſiis reformatis damnata. (Hoc enim ex Lutheri ſcriptis anterioribus, ab ipſo etiam rejectis, & ex libris Lutheranis, in quibus Electoris Saxoniæ ac Lutheri imago ad Crucifixum in genua demiſſorum conſpicitur, certiſſime ſcilicet deducitur.) At Reformati in Synodis quibusdam Lutheranos pro orthodoxis declarantes, (quod ex tolerantia illa, quam obtuliſſe dicuntur anno 1631, concluditur,) eadem credunt. Ergo Calviniani ſive Reformati jam ſunt Lutherani, & ideo edictorum Regiorum beneficio, Lutheranis minime indulto, indigni; aut ſunt hypocritæ & refractarii, quod in Eccleſia Romana rejiciunt, quæ in Lutherana probant, & Regi ſuo negant, quæ in gratiam Germanorum & Suecorum anno 1631 conceſſerunt. Exagitatur poſtmodum denuo tractatus *Claudii* de articulis fidei fundamentalibus, & quoniam illi in Romana Eccleſia creduntur, nullam ſchiſmatis cauſam ſupereſſe arguitur. Undecim vero articuli, ob quos ſeceſſum a Romana Eccleſia factum eſſe in reſponſo Synodali ad Clerum profeſſi ſunt Reformati, quiq; *p. 163. Tom. II* enumerantur, ſingulatim plerique examinantur; quæ referre longum & ſupervacuum eſſet, cum nihil novi dicatur. Operoſe inprimis calicis populo ablati decretum defenditur, tum vulgatis argumentis, tum maxime illo, quod Reformati abſtemios ad communionem ſub ſola panis ſpecie admittant, & plurimis aliis conniveant, qui in celebratione cœnæ oblato calice ſponte abſtineant. Hujus controverſiæ aliarumque diſcuſſio etiam in *Dialogo III* continuatur, & inprimis pro *Sacrificio Miſſa* vehementer pugnatur. Unde qui ſolus hucusque reſiſtere viſus eſt, *Senior* ille *Charentonenſis* jam manus dat Paſtori, Romanæ Eccleſiæ dogmata exponenti, ita ut miretur quomodo fieri poſſit, ut ullus in orbe Lutheranus aut Reformatus ſuperſit, quem tanta veritatis lux non feriat, & ad Romanam Eccleſiam reducat. Sed zelum ejus moderandum eſſe aut diſſimulandum ſuadet Paſtor, & narrare pergit, quo conſilio *Claudius* etiam adorationem Sacramentalem inter cauſas ſchiſmatis retulerit, ut nempe in eundem labyrinthum Eccleſias Reformatorum induceret, ut aut propugnare odioſiſſimum articulum hunc debeant, aut agnoſcere, ſe oblata Lutheranis concordia, præſentiam realem credere, ex qua adoratio neceſſario conſequatur, & unde genuflexio etiam apud Britannos Reformatos

uſitata dependeat, *a Dallao* & *Drelincurtio* non improbata. Sic itaque Claudium, cum reſponſum illud conſcriberet, ſcientem & volentem arma Catholicis tradidiſſe, quibus ultimum ictum agonizanti Calviniſmo infligerent. Multi inde ſunt omnes, ut Virginis Deiparæ, ut & Angelorum & Sanctorum cultum ab idololatria defendant, diſtinctione nempe inter cultus ſpecies, aliisque in vulgus notis, quæ neophytis his mire ſatisfaciunt. Succurritur etiam eorum hæſitationi ex Concilio Tridentino, quod non jubet, ſed permittit ſaltem hunc cultum, ita ut pro lubitu ad Chriſtum ipſum dirigi preces poſſint, omiſſo ad Sanctos circuitu; modo etiam horum honor conſervetur, nec culpentur, qui his quoque preces offerunt. Lutherani vero iterum producuntur, imaginum nempe cultores. Ultima diſputationis pars eſt de primatu Pontificis, in quo Claudium non minus prævaricatum eſſe, ſocius iſte ſecretorum revelator contendit. Articulum vero illum, ſecundum Gallicorum Prælatorum, *Meldenſis Epiſcopi* & *Rhemenſis Archiepiſcopi*, ſententiam moderatur & ita explicat, ut jus Epiſcoporum conſiſtere cum Pontificatu poſſit, & de infallibilitate problematice ſentire liceat: Lutheri etiam aſſenſum & Melanchthonis, eo quo in aliis fecit modo, allegat, multorumque e Proteſtantibus. Inde Patrum teſtimonia in ſubſidium advocat, eorumque autoritati & Eccleſiæ univerſalis judicio tutiſſime credi poſſe concludit.

Tomo Tertio Refutatio, quæ in titulo operis indicata eſt, adverſus Autorem *Hiſtoriæ Parallelæ Calviniſmi & Papiſmi* inſtituitur, aſſumto in ſcenam quodam ex Nobilitate, qui peregre adventare fingitur, Reformatam religionem profeſſus, ſed miræ dicacitatis & qui cauſam futiliter & ironice defendendo jugulat. Ita junctis viribus in Autorem hiſtoriæ, quam diximus, & quæ in Actis noſtris anno 1683, p. 521. & anno 1684 p. 15. & ſeqq. excerpta habetur, tanta cum exagitationum, & convitiorum aſperitate irruitur, ut ſi quid is vehementius in ſuo ſcripſit opere, jam cum immani fœnore repenſum recipiat. *Dialogo primo* irridetur methodus autoris, quod per modum epiſtolæ ſcripſerit, ſed ea prolixitate, ut quatuor volumina impleverit. Effrenis illi in Reges, Reginas, Pontifices & Prælatos petulantia, ſpiritus rebellionis & blaſphemiæ, ſumma impudentia & mentiendi libido, tum creberrimæ contradictiones, paralogiſmi, & quid non? objiciuntur. Papiſmus, qualem Anonymus deſcribit, pro chimærico figmento habetur,

Digitized by Google

habetur, imo pro abſurdiſſimo. Negatur, quam Pontificibus tribuit, factio & univerſalis Monarchiæ cupiditas, quam neminem præter Carolum V meditatum eſſe ajunt, multis quidem admiraculis ad eam inſtructum, exitu tamen infauſto. Laudatur *Gregorius VII.* Papa, & ſi qui alii in Germanos rigidi fuerunt, horumque jus ad Imperiale axioma tecte ſugillatur. *Paſſagia* & *Cruciatæ* ſive bella in Palæſtina geſta, quæ Autor Parallelismi multas ob cauſas improbat, prolixe defenduntur; jus Chriſtianis in Palæſtinam, Judæis a Deo ablatum, aſſeritur, veneratio locorum ſanctorum extollitur, & cum Apologiſta internum cultum & adorationem in ſpiritu & veritate commendaverit, id eo trahitur, quaſi omnem externi cultus ordinem & decorem improbaſſet, & in turpiſſimis abjectiſſimisque ædium partibus non minus, quam in templis exerceri eum poſſe ſtatuiſſet. Crudelitatis & perſecutionum invidia, qua Papiſmum oneravit Apologetes, depellitur, nec probari dicitur Catholicis, quod Hiſpani in India incolas tanto numero extirpaverint; ſi quid porro in moribus peccatum ſit a Pontificibus & Prælatis, id nihil officere ſtatuitur Eccleſiæ ejusq; puritati.

Dialogo ſecundo pergunt collocutores in excuſandis non tantum, ſed & laudandis Pontificibus & Regibus, bello ſacro adverſus Græcos non minus quam Saracenos intentis, inprimis Innocentio III, & Ludovico IX Galliæ Rege; & captæ Conſtantinopoleos a cruce ſignatorum exercitu hiſtoriam ab imputatione injuſtitiæ vindicare conantur. Epiſcopos & Clericos, qui militiæ illi nomen dederunt, defendunt, quod ob ditiones feudales, quas poſſidebant, regibus obſtricti fuerint. Retorquetur in Proteſtantes tumultuandi & bellandi libido, allato inter alia exemplo nupero A. 1683, in agro Vivaretenſi, ubi Eccleſiaſtarum, & inprimis *Borici* cujusdam hortatu, plebs arma adverſus Regem ſumma cum temeritate ſumſiſſe dicitur. Multa ex aſſertis ab Autore Parallelismi, Tigurinam reformationem commendante, arripiunt, *de jure Magiſtratus circa Sacra*, eoque multo magis Regem uti poſſe & debere in Reformatos contendunt. Quæ ſequuntur convitia & invectivæ, & quæ de poteſtate Pontificia prolixe diſputantur, cum omnibus nota & a polemicis innumeris diſputata ſint, referre ſuperſedemus. Neque multum ad rem facere poteſt, quicquid Proteſtantibus de ſeceſſione ab Hierarchia Romana, tanta cum verborum acerbitate objiciunt, niſi probetur, quod ab Eccleſia Chriſti deficiant, qui

Digitized by Google

Romani Præſulis jurisdictioni ſe ſubtrahunt. Id enim eſt, quod Proteſtantes negant. *Dialogus tertius* repletus eſt querelis de *exceſſibus reformationis Genevenſis, Scoticæ, & aliarum: de miniſtris Eccleſiæ ex infima plebe ſumtis: de Luthero, Zwinglio, Calvino, Beza, Maroto & aliis*, quorum vitia neſcio quot jam vicibus, ex inimicorum delationibus repetita, in ſcenam protruduntur. Deinde jactanti Anonymo, quod Reformati ne unum quidem hominem ad religionis ſuæ profeſſionem mortis metu adegerint, vel cæde in renitentes graſſati ſint, opponitur exemplum Serveti Genevæ puniti, & Luſitanorum centum, quos Rupellani captos profundo merſerint, quia religioni Romanæ renuntiare noluerint. Batavorum ſummæ impietati tribuitur immanis contra Chriſtianos in Japonia perſecutio: & inſultatur Proteſtantibus, quod nullus ex iis unquam a Turcis aut Paganis religionis cauſa martyrium paſſus ſit, cum id tot Rom. Catholicis quotidie accidat. Exprobratur etiam Gallicæ plebi, quæ Reformata eſt, inconſtantia & puſillanimitas, qua fiat, ut tantum ob evitanda hoſpitii militaris incommoda, minimeque expectata majori afflictione, catervatim a religione diſcedat. Tandem ad partem primam Parallelismi pauca regeruntur, excerptis ex Calvini libris dogmatibus, quibus ille in Chriſtianam religionem peccaverit. Sed de his immenſa diſputationum volumina dudum bibliothecas implerunt. Neque hoc agitur tribus hiſce dialogorum voluminibus, ſed id potius, ut Autores reformationis omnibus modis ut infames & deteſtabiles deſcribantur & exagitentur, & inde potiſſimum inferatur, religionem necquicquam a talibus emendari potuiſſe. Vident quidem nec diſſimulant Differentes, ſi a moribus ad religionis veritatem argumentari liceat, non deeſſe Proteſtantibus quæ Romano Clero, & Pontificibus ipſis objiciant: ſed differentiam in eo ſtatuunt, quod Pontifices aut Epiſcopi quantumcunque corrupti & profani, religionem tamen non invenerint, ſed traditam ab Apoſtolis ſervare potuerint & ſervaverint; Reformatores vero novam excuderint, & ad hoc præſtandum miraculis & morum ſanctitate inſtructi omnique labe puri eſſe debuerint. Sed quæ vis argumentationi huic inſit, expenderunt jam ſæpiſſime Theologi Proteſtantium partium, neq; concedunt, aut puram illam eſſe, quam Pontifices ſtabiliverunt, aut novam quam ipſi docent, religionem, neque probata agnoſcunt, quæ circa vitam & mores autoribus reformatio-

matio-

mationis objiciuntur, & ſi maxime ſint, non magis religionis veritati obfutura eſſe confidunt, quam Apoſtolis, quos a peccatis immunes fuiſſe nemo affirmat, quorumque doctrina ſine nova miraculorum autoritate inter Proteſtantes ſubſiſtit. Poſt tanta igitur & argumentationum molimina, & convitiorum faſtidia, in circulum reditur, & quæ controverſiam omnem expedire & finire deberet, diſquiſitio ſincera & modeſta de veritate dogmatum aut omittitur, aut quæ maxime ſtringunt argumenta, per declamationes & criminationes evitantur. Hæc conſiderantes, nimium forte feciſſe videri poſſumus, qui hucusque tot libros talis argumenti enarravimus. Certe augeſcentibus inpoſterum, ut veriſimile eſt, hujusmodi ſcriptis, multo parciores in recenſendis iis futuri ſumus, & niſi inſignia, erudiriſque & modeſtis ſcriptoribus digna reperiamus, cætera quæ protrita & recocta ſunt, multoque magis bilem ſatyricam & dicteriorum argutias, in univerſum & nullo ſectarum diſcrimine, veluti brevia & ſcopulos prætervehemur. Qua occaſione nolumus diſſimulare, librum Gallicum, (ſi quis alius,)aculeatum, *Antonii Arnaldi* ingenio ſive ſpiritui *(L' eſprit de Mr. Arnaud,)* diffamando, anno ſuperiori in Belgio *Daventriæ* editum, ad nos quidem mature perlatum fuiſſe, ſed cauſas nobis ſubortas, quo minus in Actis noſtris mentionem ejus libri faceremus. Nondum etiam videramus, cui is, quem diximus, tractatus oppoſitus eſt, *Apologiam pro Catholicis*, quæ Arnaldo tribuitur. At cum nuper admodum exemplar hujus Leodii anno 1681 excuſum acceperimus, comparato jam utriusq; Autoris fervore, ſatius duximus, neutrius libri compendium Actis noſtris inſerere. Apologia ſane etiam temporis Actorum noſtrorum metas fere præcurrit, & ſi quid in illa alicujus momenti eſt, in *Hiſtoria paralle la* ventilatum deprehendetur, a nobis dudum excerpta. Si vero ſunt, quibus libros hoc affectu & ſtylo ſcriptos legere volupe eſt, brevi hoc indicio noſtro viam commonſtratam invenient.

L' ART DE JETTER LES BOMBES, PAR Monſieur Blondel &c.

Digitized by Google

hoc eſt,

F. Blondelli, Regiorum Exercituum Campi Mareſchalli &c. Balliſtice, ſive Ars jaciendarum bolidum igniariarum (Bombarum.)

Pariſiis, apud Autorem & Nicolaum Langlois 1683 in 4.

PRodiit demum dicto anno elegantiſſimus, & plane ingenium Autoris ſui ſpirans hic liber, poſtquam juſſu Regis Galliarum, cui eundem clariſſimus *Autor* jam anno 1675 manuſcriptum obtulerat, ejus editio hucusque ſuſpenſa fuerat: ne videlicet, Rege bello gravi tum temporis implicito, intempeſtiva artis publicatio arma veluti viresque Galliæ miniſtraret hoſtibus, quæ mox in ipſam noxio eventu verterent. Partibus omnino quatuor, hiſtorica, practica, theorica & elenchtica conſtat: quarum quælibet in ſuos iterum libros, prout exigere videbatur diſtinctior argumenti tractatio, & capita diſtributa eſt.

Lib. I. c. 1. *Parte prima*, ubi pauca de origine Bombarum & Granatarum præmiſiſſet: eas nempe, utut mortaria, ſeu machinæ e quibus illæ jaciuntur (quod ex ſtructura quorundam pervetuſta, & bellis, præcipue in Italia, ſub initium ſeculi abhinc proximi, geſtis comprobat) æque fortaſſis antiqui ac tormenta bellica ſint uſus, recentioris ævi eſſe inventum; primamque Wachtendoncam, armis Alexandri Farneſii ſub Erneſto Mansfeldiæ Comite anno 1588 petitam, earum vim expertam, & ad deditionem compulſam eſſe: cum paulo ante Venloæ primus inventor ludicris ignibus ſimiles globos deſtinans, ex infelici jactu, potiore hujus oppidi parte in favillam redacta, miſerandum or-
c. 2. bi ſpectaculum dediſſet: Hiſpanis & Batavis eas paſſim deinceps in uſu fuiſſe Autor refert; Gallis vero anno demum 1634 in obſidione Mottenſi (non, ut perperam in *arte magna Artilleriæ* notarit *Siemienowitius*, Rupellana) uſurpari cœpiſſe, evocato a Ludovico XIII ex Batavis Anglo quodam Malto: cujus felici opera (utut ſola experientia, citra ullam matheſeos ſcientiam, ſubnixa) deinceps, præcipue in Illiberis expugnatione, ſæpius uſus eſſet; donec illum Gravelingæ poſterior
c. 3. obſidio improſpero fato ſuſtuliſſet: Maltum inſecutos Bombardarios ultra experimenta qualiacunque nihil profeciſſe; nec plus ſapere, qui

ab

Digitized by Google

ab eo hucusque argumentum hoc tractarint. At vero cum certæ & demonſtrativæ in promptu ſint regulæ, geometricis principiis,& ſcientia motus corporum projectorum fultæ; complura inſuper inſtrumenta ſuppeditari poſſint, quibus ars iſta juvari maximopere queat, facilisque reddi: publico gratam rem utilemque facturum ſe ratus eſt *Blondellus*, ſtudioſa inquiſitione hujus argumenti & ſententiarum ab Autoribus prolatarum; adnotatis eorundem erroribus, & comprobatis, quorum in praxi aliquis eſſe poteſt uſus. Unde in hac parte exponit, quæ a *Nicolao Tartaglia*, *Didaco Ufano*, *Ludovico Collado*, *David Rivalto*, *Daniele Elrichio* & *Galeo* prodita ſunt: horumque errores, ex non intellecta natura lineæ curvæ, motu globi projecti deſcriptæ, ita recenſet,ut ſimul,quæ in uniuscujusq; hypotheſi commendanda ſunt,ingenue proloquatur;praxes eorum examinet;Tabulas jactuum,pro diverſis machinarum (qua appellatione tam tormenta bellica quam mortaria ſignamus)elevationibus ab ipſis conditas,exhibeat,& cum veris jactibus, legi ſuæ hypotheſeos conformibus conferat. Subjungit his praxes, a Bombardariis ſeu machinatoribus regiis inſtitutas,&Tabulas ex proprio eorum ratiocinio(jactuum differentias inter quosq; elevationum gradus proximos eſſe æquales)confectas,pro amplitudine jactuum ad ſingulos elevationum gradus,ex diverſæ magnitudinis mortariis,diverſo pyrii pulveris pondere oneratis vibratorum a c. 4. ad fin. c. 11. Lib. II. c. 12.

Ipſam poſthæc ſtatim praxin jaciendarum pilarum *Parte ſecunda* ſubnectit, tanto minus implicandis ingeniis, quæ cum fructu aliquo *Autoris* placitis aſſueſcere cupiunt. Eandem vero maximam partem acceptam fert *Torricellio*, *Galilæi* diſcipulo & ſucceſſori,a præceptore ſuo hæc pleraque edocto. Requirit autem *Torricellius*, ut cognoſcendis diverſis jactibus pilarum ejusdem machinæ pro quoq; elevationis angulo, ante omnia experimentum quoad fieri poteſt exactum, ſub angulo certæ elevationis probe cognito, capiatur amplitudinis (per hanc ubique rectam ab orificio machinæ ad ſcopum, in quem pila impingit, ductam intelligimus; quam ſupra memoratorum autorum aliqui *jactum mortuum* appellant) ipſius jactus, accurato ſtudio menſuratæ: atque hanc deinceps fundamenti loco eſſe pronunciat, ex qua cæteræ omnes deduci ſecuriſſime queant. Hoc præmiſſo accingit ſe Autor ad jactus, quorum amplitudo aggeri tormentario ad libellam, hoc eſt linea horizontalis eſt, aut horizonti paral- P. II. L. I. c. 1.

Digitized by Google

parallela: & beneficio ſinuum, tum amplitudinem data certa machi-
c. 2. næ elevatione, tum viciſſim elevationis angulum, data amplitudine
c. 3. jactus inveſtigare docet. Cujus gratia etiam *Tabellam* peculiarem *ſi-*
c. 4. 5. *nuum Galilei & Torricellii*, huic negotio inſervientem exhibet, ejuſ-
que uſum in ſolvendis Problematibus iſtis oſtendit: ſubjungens alias
c. 6. eorundem Autorum, nempe *altitudinis* jactuum æquali impetu pro-
7. 7. pulſorum, ad quosque elevationis gradus; *altitudinis & ſublimitatis*
(eſt hæc recta, æqualis quartæ parti lateris recti ipſius parabolæ, jactu
quovis deſcriptæ) jactuum ejusdem amplitudinis pro diverſis quibus-
c. 8. que elevationibus; *impetus* ſeu violentiæ, jactibus ejusdem amplitudi-
nis, ſed elevationis diverſæ competentis: quarum ſingularum uſum
L. II. ſuccincte ſimul indicat. Supra dictorum porro problematum ſolutio-
c. 1. nem beneficio inſtrumentorum, Quadrantis tormentarii per *Torri-*
c. 2. 3. *cellium* correcti, & Semicirculorum binorum Torricellianorum, quæ
ſingula deſcribit, ærique inciſa exhibet, citra adjumentum canonis
L. III. c. 1. ſinuum, edocet: eaque ipſa circa jactus ſuper planis inclinatis (quibus
2. 3. & illos accenſet, qui ex machina altius ſuper horizontem collocata,
c. 4. 5. 6. 7. 8. horizontaliter diriguntur) tum varie per ſinus, tum etiam per ſemi-
circulum Torricellianum poſteriorem reſolvit.

L. IV. Subjungit his deſcriptionem novi cujusdam inſtrumenti, omni-
bus omnino jactibus inſervientis, ejusque uſum per antegreſſas praxes
L. V. ſingulas aperit: quibus inſuper circinum proportionalem non mino-
ri ingenio accommodare, pariaque ope ejus præſtare docet. Tan-
L. VI. demque partem hanc alterius Inſtrumenti univerſalis explicatione
concludit, in eam perfectionem concinnati, ut quam facillime omnia
huc ſpectantia expediri ejus miniſterio poſſint. Tranſcriptione &
delineatione ipſorum inſtrumentorum ſtudio ſuperſedemus, cum ci-
tra expoſitionem uſus eorundem, quæ menſuram diſcurſus inſtituto
noſtro convenientis longe ſupergreditur, nulli Lectoris commodo
futura eſſet, longe conſultius hæc eadem ex *Autore* ipſo petituri, &
perſpicue & breviter, ut tamen captui vel mediocris ingenii abunde
ſufficiat, ſenſa ſua explicante.

P. III. Praxin ſequitur *Parte tertia* Theoria, ex *Galilei*, qui primus ve-
L. I. c. 2. ram tam naturalis quam violenti motus naturam expoſuit, *diſcurſibus
de motu locali & reſiſtentia ſolidorum*, anno 1638 per Elzevirios impreſ-
ſis, deſumta. Proponit hic *Autor* diſtinctas motus ſpecies, æqualis ac
uni-

uniformis, & inæqualis uniformiter accelerati. Hujus poſterioris accelerationem duplici ratione explanat, quarum prior in *dialogis de ſyſtemate mundi* tradita eſt, & *ſpatia a mobili percurſa æqualia facit ſinubus verſis arcuum æquatoris terreſtris, tempori interea lapſo convenientium:* altera in *dialogis ſupra citatis* & *ſecundum quam mobile unoquoque momentorum æqualium projectionis ſuæ, æquales gradus acquirit ſuæ celeritatis*; hoc eſt, *ubi ſpatia percurſa ſunt in duplicata ratione temporum.* Utriusque hujusmodi proprietates recenſet, eosque inter ſe committit, atque ita propinquos veritati utrumque aſſerit, ut intellectui humano prope impoſſibile ſit, eos per experimenta diſcernere, aut falſitatis convincere; quamvis poſteriori *Galilæum* in *dialogis dictis* ſuffragatum affirmet *Autor*, aperto etiam ſuo per totum hunc librum aſſenſu. c. 3. c. 5. 6. c. 4. 7. c. 9.

Deſcendit inde ad explicandum modum projectionis, ejusque ſpecies, *perpendicularem*, ſurſum deorſum; *lateralem*, horizontalem, inclinatum enumerat; & quid unicuique horum gravitatis cauſa accidat, recenſet: in ſpecie, projectiones horizontales & obliquas parabolam deſcribere probat, cujus generationem & proprietates huc conducentes (nimirum abſciſſas parabolæ eſſe in duplicata ratione ordinatarum; producto extra verticem parabolæ axe, ad intervallum abſciſſæ alicui æquale, rectam connectentem extremitates, axis producti & ordinatim ad abſciſſam dictam applicatæ, tangere parabolam in communi cum ordinata concurſu) ſimul adducit. Porro cum amplitudo parabolarum ab impetu impreſſo dependeat, qua ratione eundem menſurare docuerit *Galilæus*, tradit: atque hic quartam partem amplitudinis parabolæ, mediam proportionalem conſtituit inter ipſius parabolæ altitudinem & ſublimitatem; has duas junctas vero, æquales ſpatio, per quod mobili deſcendendum eſt, ut acquirat impetum parabolæ (ſecundum tangentem ab extremitate amplitudinis ductam) deſcribendæ convenientem: ipſam denique amplitudinem perpetuo quadruplam ſinus anguli duplicati, tangentis modo nominatæ & ipſius amplitudinis, hoc eſt anguli directionis jactus propoſiti. Ex quo colligit: 1. Parabolarum æquali celeritatis impetu deſcriptarum ampliſſimam eſſe, cujus mobile directionem ſequitur anguli ſemirecti: 2. Parabolas ſecundum inclinationes a 45 gradu æquidiſtantes deſcriptas, æque amplas eſſe: 3. Parabolas ab 0 ad 45. L. II. c. 1. c. 2. 3. 5. 6. c. 7. c. 9.

gradum continue creſcere; abhinc vero continue decreſcere: 4. Amplitudines parabolarum eodem impetu, ſed ſub diverſis inclinationis angulis deſcriptarum, inter ſe eſſe, ut ſinus dupli dictorum angulorum.

L. III. IV. V. VI. VII. His ſtatuminatis *Autor* jam veſtigia partis ſecundæ relegit: & Praxes tum beneficio ſinuum, tum ſingulorum inſtrumentorum ibi deſcriptorum inſtitutas, uſumque Tabularum ibidem propoſitarum demonſtrat. Cumque *Torricellius* modum non tradidiſſet inveniendi elevationem machinarum in planis inclinatis, amplitudini datæ paL. V. c. 3. rabolæ, ſive ſcopo convenientem; modus vero in *libris pyrotechnicis*
c. 4. *mundi mathematici a P. de Chales* propoſitus parum eſſet geometri-
c. 5. 6. 7. cus: *Autor* problema hoc ſub terminis ſimpliciſſimis regiæ academiæ
L. VI. Pariſinæ sociis propoſitum cum elegantibus *Buoti*, *Rômeri* & *La Hire* ſolutionibus profert, & praxes antegreſſas iis innixas demonſtrat.

L. VIII. Ultimo hujus partis libro peculiarem Clariſſimi *Caſſini* doctrinam, principiis tamen *Galilæi* conſonam, & unica propoſitione omnes omnino caſus circa projectiones gravium obvios ſolventem, propo-
c. 1. 2. nit. Quatuor nempe rectas in hoc negotio contemplatur *Caſſinus*, *lineam æqualitatis* (rectam, qua mobile projectum, tempore jactus ſolo motu impulſionis citra gravitatem perpendiculariter aſcenſurum eſſet; aut deſcenſurum ſola gravitate ſua, nullo impetu externo) *impulſionis* (qua mobile æquali motu impetus impreſſi moveretur, ſi gravitatis expers foret) *jactus reſpectivi* (perpendicularem, ab extremo lineæ impulſionis ad punctum parabolæ deſcriptæ ductam) & *diſtantiæ* (quæ lineam impulſionis & jactus reſpectivi ex altera parte conne-
c. 3. ctit) harumque tres priores continue proportionales facit. Unde da-
c. 4. tis directione (ſeu elevatione machinæ ſuper Horizontem) & linea diſtantiæ, dantur in Triangulo (cujus latera lineæ, impulſionis, jactus reſpectivi & diſtantiæ conſtituunt) præter lineam diſtantiæ, angulus alteruter huic lineæ adjacens, elevatio ſcilicet machinæ ſuper linea diſtantiæ (quæ aut horizonti coincidit, aut infra ſuprave illum, angulo certo, quique menſurari facile poteſt, inclinatur) & eidem oppoſitus, complementum directionis ad quadrantem: indeque facile lineæ impulſionis & jactus reſpectivi (per trigonometriam) & acquiſitis his duabus, tertia proportionalis, linea ſcilicet æqualitatis (quæ quadrupla ſemper eſt jactus perpendicularis, & dupla maximæ amplic. 5. tudinis parabolæ, hoc eſt ſub directione 45 graduum) inveniri poteſt; vicis-

viciſſim etiam, data linea æqualitatis & diſtantiæ, directio quæſita. Atque huic philoſophiæ *Autor* debere ſe pofitetur inventionem inſtrumenti univerſalis, P. II. l. 6, c. 1. 2. deſcripti, cujus uſum hoc loco demonſtrat. c. 6. 7.

Ultima Pars deſtinata eſt diluendis objectionibus, quibus ea, quæ partibus duabus antecedentibus ſtatuta ſunt, impeti aut convelli videntur. Harum quædam theoriam attinent, labefactantque hypotheſin lineæ projectionis parabolicæ; aliæ praxin juxta regulas ab *Autore* præſcriptas ſupervacaneam, & præſtando quem promittit effectui omnino imparem eſſe contendunt. P. V.

Illæ ſequentibus nituntur mediis, quod L. I. c. 2.

I. Linea horizontalis non ſit recta, nec eidem perpendiculares inter ſe parallelæ; quæ lineam projectionis arguant ſpiralem;

II. Ob reſiſtentiam medii, impetus mobili impreſſus nec perpetuus ſit, nec æqualis aut uniformis; nec c. 3.

III. Proportio motus deorſum, a gravitate mobilis profecti, conſtans; c. 4.

IV. Duorum motuum differentium (ab impetu impreſſo, & gravitate mobilis nativa) in unum compoſitio non contingat citra aliquam eorum immutationem; c. 5.

V. Mobile deſcenſu ſuo probabiliter non percurrat ſpatia, quæ ſint in ratione duplicata ſuorum temporum; c. 6.

VI. Theoriæ huic ſæpius adverſetur experientia: quæ omnia projectionis lineam aliam eſſe ac parabolicam evincant. c. 7.

Hæ vero, ad uſus bellicos

VII. Solam praxin, nativa judicii & ſenſus facultate nixam, qua unica eximii Regis ſui Machinatores artem hanc in tantum evexerint faſtigium, ultra quod humana non pertingere poſſit induſtria, commendant; L. IV.

VIII. Varias autem & perpetuis mutationibus obnoxias materiæ conditiones, circumſtantiasque quæ negotio huic nunquam non intercedant, praxes regulis Autoris ſuffultas fruſtrare, quoque minus optatum ſucceſſum ſortiantur multis modis impedire, ſuſtinent. c. 2.

Has objectiones pleraſque uti per exempla complura, libratisque rationum momentis ſpecioſe exaggerat; ita non minori acumine & ſolertia ſingularum aciem retundit: & ad

 I. qui-

L. II. c. I. I. quidem, autoritate ſe tuetur *Archimedis*, qui in *libris* de *æquiponderandibus* & *quadratura parabolæ*, contrarium, atque vult objectio, circa horizontalem & perpendiculares ad eam lineas, aſſumſerit; & *mechanicorum*, qui ex eodem aſſumto bonam partem deducant pulcherrimorum theorematum. Nimirum, utut in rigore geometrico vera ſit objectio; conſideratis tamen, tanta centri terræ, & loci ex quo pilæ projiciuntur diſtantia, tum tantilla jactus amplitudine in comparatione ad ſuperficiem terreſtrem; oppoſitæ ſententiæ quoad ſenſum nihil falſitatis ineſſe, *Autor* omnino concedendum arbitratur. Quod ipſum porro exemplo confirmat machinæ horizontaliter directæ, centumque perticis ſuper horizontis plano elevatæ; quæ ſi vel integro milliari Gallico, hoc eſt 2500 perticis jactum promoveat, perpendiculares tamen ab extremis jactus punctis utrinque ad horizontem demiſſas, non totos ſex pollices propiores ſibi ad ſuperficiem terræ factas exhibeat. Ex quo, quamvis projectio, ſumta a puncto excuſſus usque ad centrum terræ, revera ſit helix ſecundi generis; portionem tamen ejus ſuper horizonte interceptam, tam prope ad parabolam accedere, ut pro ea accipi ſecure poſſit, concludit.

c. 2. II. Difficile eſſe pronunciat, de effectu reſiſtentiæ medii univerſim ſub aliqua certitudine philoſophari, ob infinitas fere inconſtantiæ ſuæ cauſas: has tamen omnes non obſtare, quominus certi ſimus, corpora gravia rotunda, mediocri celeritate promota, quam minimum reſiſtentiæ in medio tam raro, quale aer eſt, experiri. Atque huc vel maxime projectiones ex mortariis ſpectare, quarum tractus in aere deſcriptus adeo ſimilis parabolæ deprehendatur, ut mutationem ab aeris reſiſtentia receptam penitus inſenſibilem eſſe, audacter poſſit aſſeverari. Probat hoc *Autor* ſuffragio experimentorum *Galilæi* ejus generis, in quo aeris renixus maximam exercet energiam: hoc eſt, duorum corporum deſcendentium ejusdem molis, ſed diverſiſſimæ gravitatis; & rurſus duorum pendulorum diverſiſſimæ celeritatis: quorum utrobique eadem plane ſit ratio, nullo reſiſtentiæ alicujus indicio aut effectu. Qui quanquam etiam quoad ſenſum aliquis exiſtat, nihil tamen conſequentiæ inferat, regulis praxeos præſentis adverſæ: cum jactus quicunque in eodem medio, ab eodem impetu propulſi, eandemque reſiſtentiam paſſi, eandem inter ſe veroſimillime proportionem retineant, quam nullo medii obſtaculo intercedente, habituri eſſent. Quod idem etiam regerit ad III. Ubi.

III. Ubi, præter inſtantiam, quod variatio proportionis, in ejuſmodi altitudine ad quam pilæ projectæ pertingunt, ſenſibilis eſſe nequeat; ex *Merſenni Balliſticis* experimenta adducit, quæ plus centies repetita, bombas ad altitudinem 100 perticarum elevatas, ſpatio temporis præciſe æquali aſcendiſſe ac deſcendiſſe comprobarunt. Porro cum reſiſtentia aeris dupliciter officiat motui projectorum: retardando effectum, ſemel motus uniformiter accelerati & a gravitate mobilis profecti; & iterum motus uniformis, ſecundum lineam directionis impreſſi; per illud oſtendit *Autor* augeri amplitudinem projectionis; per hoc eandem imminui. Unde rationabiliter conjicere liceat, bina hæc impedimenta ſe reciproce deſtruere; ita ut amplitudo hac ratione intra legitimos ſuos limites, citra medii reſiſtentiam illi alias competentes, coerceatur. Ad c. 3.

IV. Cujus vim porro a violentia impetus impreſſi, ob quam jactus, ſaltem initio ſui, ad lineam rectam, magis ac parabolæ leges requirant, accedat; & jactibus horizontaliter directis, qui pilas tardius, ac juxta *Autoris* hypotheſin oporteat, impingant, *Autor* intendit: reſpondet, experimenta hæc duplici de cauſa ſibi valde eſſe ſuſpecta: 1. quod directio vulgaris machinatorum horizontalis, ſit infra horizontem cavitatis ipſius machinæ; adeoque hujus directio utplurimum horizontali altior: 2. quod pilæ ductus non ſemper idem ſit cum directionis linea; cum pulvis accenſus pilam intra tormentum verſus limbum ejus ſuperiorem impellat, adeoque ſupra lineam directionis extra tormentum projiciat. Quamvis autem non omnino neget, permixtis duobus motibus iſtis mutationem quandam accedere poſſe; quod experimenta, a quibus proportio accelerati deſcenſus gravium capta eſt, facta ſint in aere nos proxime circumſtante, qui altiori aeri, aut magis denſo rarove leges pangere nequeat: illam tamen non niſi projectionis lineam aliquanto rectiorem, ac parabolæ conveniat, efficere; neutiquam vero proportiones amplitudinum juxta diverſas directiones, & numeros in Tabulas ab *Autore* relatos vitiare. c. 4. 5. 6.

V. Refutat *Autor* ſententiam acceleratorum momentorum, ſpatiis percurſis æqualium, aliasque; ſuam contra, ſive *Galilei*, rationabilem, ordinariis naturæ legibus conſonam, uniformem, ſimplicem, facilem, facillimeque explicantem omnia, quæ gravium deſcendentium motibus accidunt, ſtatuit: idemque obſervatis *Galilei*, *Gaſ-* c. 7. ad 14.

Digitized by Google

ſendi, Merſenni,& ratiociniis *Joannis Baptiſtæ Baliani* (tractatu *de motu*) *Hugeniique* (tr. *de horologiis oſcillatoriis*) confirmat.

c. 15. VI. Theoriæ ſuæ cum *Galilæo* eximit prodigioſos effectus, quos pulvis incenſus pilis imprimit tormentariis; quorum ſc. celeritas ſupra vires ſit naturæ: iisque adjungit ſclopetorum jactus horizontales, aut non multum elevatiores; qui in principio forte rectiores ſint, ac parabolæ ductus ferat, & propterea majoris amplitudinis. Quod cum in cæteris jactibus inprimis Bombarum, præcipuo *Autoris* ſcopo, non contingat, inſuper haberi poſſe objectionem hanc pronun-
L. III. ciat. Cui nihilominus opponit conſtantiam experimentorum, in Societate Regia per Dominum *Mariottum*, *Perraltium, Römerum* diverſis machinamentis inſtitutorum.

L. IV. c. 3. VII. Falſisſimum eſſe pronunciatum: Theoriam inutilem eſſe viris caſtrenſibus. Cum ea demum praxis eosdem conſummatos reddat, quæ ſolidis præceptorum fundamentis ſuperſtructa eſt. Cujus aſſerti veritatem, citra anxie conquiſitas rationes, aut prolixum immanium errorum recenſum, in quos, deſtituti ſuppetiis regularum, toto die incidant, ubi inexpectati aut inſoliti quicquam obtingat; *Autor* non alio argumento efficacius adſtruit, quam ſenſu maximi hodie Regum, & longe peritisſimi artificum: qui Delfino ſuo tempus haud perire judicarit, quod addiſcendæ huic theoriæ impendit. Quod exemplum ſecutæ ſint complures illuſtrium perſonarum, primarlique adeo Regiæ Majeſtatis miniſtri, quibus iſta matheſeos pars, quæ bellicis inſervit negotiis, ſerio pervolvatur hodie ſtudio. Nihil vero quicquam *Autoris* ſententiæ derogare, quod machinatores regii artem hanc ad tantum perfectionis, ſola genii ſui magnitudine, provexerint; cum certum ſit, adminiculo theoriæ hujus illos longe facilius id aſſecuturos fuiſſe.

c. 4. VIII. Obſtacula materiæ vitio objecta, jugi meditatione & ſtudio ſufficienter removere eos poſſe, qui ſerio huc animum applicant; nec ab illis impediri commodum præceptorum uſum: uti nec praxeos ſuæ compendia, & juſte feriendi notitiam, memoratis modo machinatoribus, quibus eadem obſtacula omnia infeſta ſint, intervertere potuerint; ipſo uſu de mediis eadem cognoſcendi corrigendique edoctis. His vero minime inferiores eſſe poſſe, qui juxta præcepta *Autoris* operantur, quo minus defectibus obviis debita ante praxin adhibeant reme-

Digitized by Google

remedia. Verbo, ſimplicem præceptorum cognitionem ad nullius artis perfectionem ſufficere, ſed ea ſubjecto artis ſcite applicanda eſſe: unde demum & materiæ rigor, & ſubnata inde mille impedimenta, ac ſimul ex crebro artis exercitio tollendis iis media opportuna, artifici innoteſcant.

Excipit hæc diſcurſus de Collegio aut cœtu Bombardariorum, c. 5. a rege Galliæ inſtituto, variisque, quæ ſcopo ipſorum felicius obtinendo conducunt, experimentis faciendis: nec non alia quædam c. 6. notata, de mortariorum diverſis uſibus; veterum machinis balliſticis, ad jactus granatarum idoneis; machina quadam *Perraltii*, ſimiles in uſus conſtructa; peculiarique Polonorum praxi, anno 1659 in obſidione Torunienſi jaciendis, citra mortariorum opem, lapidibus molaribus, & ſaxorum ingentium mole, uſurpata.

SCOTIA ILLUSTRATA, SEU PRODROMUS Hiſtoriæ Naturalis, cum figuris æneis. Opus viginti annorum, juſſu Caroli II Britanniæ &c. Monarchæ editum, autore Roberto Sibbaldo, M. D. Equite aurato, &c.

Edinburgi, ſumptibus Autoris 1684 in fol.

ETſi hac anxia nimis atque propenſa in novitatem ætate, exotica cuncta indigenis præferantur rebus; præ reliquis tamen vitium hoc ſeculi materia medica hactenus experta eſt. Scilicet parum abfuit, quin crediderint plurimi, morborum curari nullum poſſe, niſi apparatu peregrino adhibito, utut æquipollentia, ne dicam validiora paſſim præ foribus cernant medicamenta. Et licet quidam ab hac luxuria cives ſuos avocare laborarint, oſtendendo ipſis, proſapiam exoticorum incertam ac ſuſpectam juxta, ac inconvenientiam ſummam cum noſtris temperamentis, & denique mercatorum, lucrum ex noſtra ſtultitia captantium dolum; nihil tamen obtinuere unquam. Nec credas noſtras ſolum oras hoc veſano exoticorum medicamentorum amore correptas; eundem enim perverſum morem deprehendes in aliis quoque gentibus. Teſtes ſi poſtulas, *Thomas* aderit *Bartholinus*, in diſſertatione de Medicina Danica ſuos ſympatriotas ex eodem capite falſe redarguens; & ut alios taceamus, *Robertus*

bertus Sibaldus præſentis Hiſtoriæ Naturalis Prodromi Autor. Hic ſiquidem totus eſt in illo opere, ut Scotis ſuis perſuadeat, naturam ipſis non novercam eſſe, ſed matrem almam ſummeque benignam; quæ non ad vitam ſolum neceſſaria, verum etiam ad delicias, potisſimum autem ad ſanitatem amiſſam recuperandam, uberrima media ſuppeditet. Hæc ſumma eſt integri hujus libri. Quoad tractandi methodum, placuit autori præmittere *Nuncium Scoto-Britannum*, Atlantis Scotici proxime edendi contenta recenſentem. Siſtet vero ille Geographicam totius Scotiæ deſcriptionem, juxta ſingularum provinciarum ac inſularum terminos & fines; una cum oceani ambitu, terræ indole, oppidorum ac arcium ſitu, magiſtratuumque regimine: paucis, omnia quæ in ſingulis urbibus, templis, munimentis atque ædificiis obſervatu ſunt digna. Et quo magis hæc omnia innoteſcant, Tabulis copioſiſſimis, ſeu quemadmodum alias vocant, Mappis opus illud exornabitur. Sequitur hunc Nuncium *Prodromus* in duas partes diviſus. Prima generalis duos continet libros, quorum primus de Scotiæ ſitu, aere, aquis, locis ac incolis; alter vero de morbis in Scotia graſſantibus, illisque medendi methodo ac materia medica indigena agit. Secunda pars ſpecialiora duobus tomis tradit. In primo plantæ, & ſponte naſcentes, & hortenſes ſecundum alphabeti ſeriem, una cum nominibus vernaculis, notis characteriſticis, locis natalibus, & viribus exhibentur. In ſecundo vero de animalibus tam veris quam domeſticis; tam terram inhabitantibus, quam aquam aut aerem; item de mineralibus, metallis, ac marinis diſquiritur. Singulis libris præmiſſus eſt index capitum, titulos ſingulorum explicans, & ſub finem utriusque partis indices rerum copioſiſſimi ſunt adjecti. Ad evitandam prolixitatem nihil ulterius de methodo monemus, adeoq; nec ſingulorum capitum titulos enarramus; ne tamen ſpecialium aliarumque curioſarum rerum, quibus ubertim Prodromus hic ſcatet, benevolus Lector plane ſit ignarus, quædam ex eodem excerpere placuit.

Parte itaque I. L. I. c. 3. refert auctor, quibusdam in Scotiæ locis per duos integros menſes radios ſolares de die ac nocte conſpici; c. 8 ex *Moravii* Regiæ Societatis Londinenſis olim Præſidis obſervatione propria recenſet, in inſulis Hebridum locũ eſſe in freto, inſulis minuſculis, rupibus ac ſyrtibus frequentibus obſito, inter inſulas *Heuſt* & *Herres*,

in

in quo fluxus maris ab oriente verſus occidentem, & refluxus ab occidente in orientem, duobus diebus ante & poſt plenilunium ordinate ſex horarum ſpatio procedit; aſt tertio die & deinceps longe aliter fluxus hic contingit; toto namque tempore diurno ſive fluat ſive refluat, curſus aquæ ſemper occidentem verſus dirigitur, nocte vero in orientem vergit. C. 9. dignum videtur conſideratione, prope caſtrum de *Slaines*, nec non in *Sylva Hamiltonia* fontes exiſtere petrificantes, & *Monachopoli* (quod prædium eſt prope Edinburgum) fontem ſtrepitu ſingulari emiſſo tempeſtatem certo prædicentem, & alium ad latus occidentale montium *Campſey* inebriantem. Porro lacum in loco *Strath-errick* vocato deprehendi, cujus aqua nunquam etiam a vehementiſſimo frigore ad Februarium usque congelaſcit, poſt illud tempus, ſæpe unius noctis ſpatio, glacie operitur firmisſima. Ulterius in *Glevelg* ad lacum *Achigniglium* nuncupatum, rivulum eſſe, ita Agrifolium in lapidem ſubviridem commutantem, ut ollulis fuſoriis aliisque utenſilibus conficiendis, commode inſerviat. Denique in rupe Caſtri *Britannoduni* fontes ſcaturire duos, pedes vix tres a ſe invicem diſtantes, quorum unus dulcem, alter ſalſam aquam fundit. C. 10. fons *S. Catharinæ* memoratur, cui oleum nigrum, infallibile doloris ex cauſa frigida remedium, innatat, & fons *Kinghornenſis* appetitum deperditum reſtituens, ac calculos renum & veſicæ pellens. C. 16. mores & victum priſcorum Scotorum proponens, commemorat, probro non ſolum ſibi duxiſſe, ſed etiam adulterii ſuſpicionem adſtantibus moviſſe fœminas, ſi proprio lacte prolem alere noluerint aut non potuerint: item morbo comitiali, amentia, mania, vel ſimili morbo laborantes caſtratos eſſe, ne in ſobolem morbos illos transferrent, & fœminas quæ conceperant a tali, vivas una cum fœtu fuiſſe defoſſas. C. 17. 18. 19. in cibum, quo (juxta *Dionem Caſſium* Hiſt. Rom. L. 76.) ſumto Britanni veteres famem & ſitim per plures dies tolerarunt, inquirit, rejectisque variis opinionibus, illum Aſtragali Sylvatici Thalii, ſeu Orobi Sylvatici perennis ſiliquis pendentibus *Moriſonii*, tubera, ſaporem glyzyrrhizæ referentia, fuiſſe exiſtimat, quoniam hodienum Scoti montani ad fallendam ſitim ac famem illa maſticant.

L. II. S. I. c. 5. rationes ac obſervationes medicas communicat. Febrem nimirum intermittentem, ſeptimo, imo 14 die recurrentem. Variolos & morbillos cum maculis nigris ac lividis, periculo omni vacantes.

cantes. Febrem, Scarlatinam dictam, cujus Hiſtoria noſtratium purpuræ, Germanicæ *Frieſel*, accurate reſpondet. C. 9. mulierem cornutam narrat, & 12. hydropem horrendum tubæ uterinæ dextræ, libras videlicet aquæ centum & tredecim cum unciis quatuor continentis.

S. III. c. 9. & 10. ſufficientiam medicinæ indigenæ probaturus, duabus in tabulis, quæ ex indigenis commode in locum exoticorum ſurrogari poſſint, depingit.

P. II. T. II. S. I. c. 2. de ſingularibus quibusdam Scotorum hominum agens, allegat (1) *Marci Alexandri Bodii* vitam & eruditionem rariſſimam. (2) Fœminarum fœcunditatem miram, utpote quæ frequentiſſime gemellum, trimellum & quadrimellum partum enitantur. (3) ſingularem affectum hominis cujusdam, ſolo naturæ inſtinctu, ſine omni affectatione, cunctos geſtus ac motus eorum quibuscum verſatur, imitantis. (4) oſſa humana ſtupendæ magnitudinis in templo *Pette* regionis Moraviæ aſſervata, quæ hominem vivum ad minimum quaduordecim pedum altitudinem æquaſſe produnt: os namque coxendicis longitudinem totius cruris humani æquat, in cavitatem vero ejus commode brachium poteſt inſeri. (5) oſſa exiliſſima humana, quorum copia in inſula una inter occidentales ſeu *Æbudas* in hunc usque diem frequenter eruitur.

S. III. c. 6. avis *Bernicla* ſive *Clakis* lingua vernacula vocatæ, mentionem injicit, cujus generationem valde æquivocam, ex foliis puta arborum mari incidentium, (prout ex tractatu *Michaelis Mayeri* ſub titulo *Volucris Arborea*, videre eſt,) vulgo credunt. Cui tamen fabuloſæ opinioni contradicens, evincit, anſerum hoc genus more aliarum avium æque ova ponere, ipſisque incubare; hinc etiam fœmellas ex his, anatomico ſcalpello ſubjectas, ovarium nunquam non fœcundiſſimum ſpectandum afferre.

Sect. IV. c. 12. ubi de conchis margaritiferis Scotiæ agit, nuperis annis margaritam nucis moſchatæ magnitudinem adæquantem reperiſſe incolas refert. Sufficiant hæc ſpeciminis loco: plura ipſius libri evolutio Lectoribus dabit.

CAROLI RENALDINII MATHEMATUM ANAlyticæ Artis Pars Tertia.

Patavii apud Petrum Mariam Frambottum, 1684 in fol.

Du-

Dudum publico clariſſimus hic Magni Ducis Hetruriæ mathematicus, & in Patavino Lyceo primæ ſedis Philoſophus, deſtinavit conſummatum artis analyticæ mathematum opus, tribus partibus diſtinctum; ejusq; primam partem, veterum analyſtarum Algebram Florentiæ anno 1665 typis excuſam edidit: quam mox annis 1668, 1669, 1670 Patavii altera, Algebram ſpecioſam, duos de reſolutione, & compoſitione mathematica libros, ac Geometram promotum complexa, excepit. Quæ duæ partes a. 1684 Venetiis a Joh. Jac. Herzio recuſæ ſunt, & commodum ea in urbe, cum peregrinas regiones auſpicato perluſtraret, tum præſenti Sereniſſimo Saxoniæ Duci, MAVRITIO WILHELMO, Numburgenſis Epiſcopatus Adminiſtratori &c. Domino noſtro Clementiſſimo, dicatæ. Tertiam vero, ex Autoris inſtituto primo theoremata & problemata, in majorem artis illuſtrationem reſoluta, exhibituram, ſuperiori demum anno luci publicæ expoſuit; in eadem ſecretiora arithmeticæ & geometriæ myſteria, ſupremo artis analyticæ complemento, ſe proditurũ in fronte libri pollicitus.

Primo partis hujus *Tractatu* (conſtat enim tribus omnino diſtinctis, nec inter ſe nexis,) naturam & conſtitutionem diſciplinarum mathematicarum tribus libris explicat: *initioque* de matheſeos nomine, ſubjecta diſciplinis mathematicis materie, aliisque ad earum veritatem & certitudinem attinentibus, diſſerit; mox mathematicas demonſtrationes earumque principia perſcrutatur; poſt de problematis ac theorematis natura, partibus & differentiis, de utriusque ſpeciebus, de paralogiſmis & paradoxis diſputat. *Secundo libro* ſpecies ſub ſingulis magnitudinum generibus varias, geometrice phyſiceque ſimplices & mixtas contemplatur; de angulis, quantitatibus imaginariis, rationibus, proportionalitatibus, progreſſionibus, logarithmis quædam ſtrictim ſubnectens. *Tertio* naturam continui in genere, dein geometrici & phyſici inveſtigat, indeque ad indiviſibilium contemplationem excurrit, eaque in rerum natura non dari, concedendas vero eſſe partes in infinitum, ſaltem geometrice, diviſibiles, contendit; & hanc ſententiam allatis in medium rationibus, exploſisque quæ contrariæ favent, ſtudioſe tuetur.

Secundus Tractatus commercium epiſtolicum argumenti utplurimum mathematici, quod *Renaldinio* cum Viris quibusdam eximiæ eruditionis, præſertim mathematicæ, *Stephano de Angelis, Jo. Alfonſo*

Borello, *Bullialdo*, *Paulo Caſato*, *Jacobo Gregorio*, *Kirchero*, *Kochanſkio*, *Michaele Angelo Riccio*, *Robervallio*, aliisque interceſſit, explicat. Præcipua ejusdem capita ſunt, obſervationes deliquiorum Lunarium anni 1659 & 1664; Martis; Saturninæ faciei; Cometarum anni 1677 & 1681; varia problemata geometrica, cum aliquorum ſolutionibus; diſcurſus de vacuo, & mercurii in tubulis thermometricis aſcenſu & accidentibus aliis; cauſa aſcenſus corporum, extruſione; facillima ratione inveniendarum binarum mediarum proportionalium, & triſectionis anguli; propoſitione quadam *Torricellii*, circa gravium momenta & centrum gravitatis; inventione trium numerorum quadratorum, quorum duorum quorumlibet intervallum, & intervallum ex duobus quibuscunque lateribus ſit quadratus; conjunctionibus magnis anni 1682 & 1683, earumque ſignificatione; doryphoria planetarum, nativitatum regiarum indice, ubi & themata Julii II & Sixti V Pontificium, ut & Caroli V Imperatoris; lachrymis vitreis; diligendis inimicis; doctoratu Theologico fœminis conferendo; reſiſtentia ponderis & impetu potentiæ moventis, ratione phyſica æquiponderantium &c; prædictionibus genethliacis, & veritate Aſtrologiæ judiciariæ, ubi *Autor* ſuam ipſius geneſin in exemplum artis minime vanæ, non diſſimulatis affectibus laudabilibus & vitioſis ab aſtris ſignificatis, ſibique propriis, prolixe exponit; eventum vero obſidionis nuperæ Viennenſis, Dei Optimi Maximi benignitate, themati aſtrologico hujus gratia a ſe erecto adverſum non diſſimulat. His porro interſerere *Autori* etiam viſum eſt Orationem ſuam, Patavii, cum illuſtriſſimam & excelſiſſimæ indolis atque eruditionis virginem, Helenam Lucretiam Corneliam Piſcopiam Philoſophiæ laurea publice donaret, habitam, non ſine effuſiſſimo Heroinæ hujus elogio.

Ultimum paralipomena, ut Autor nuncupat, artis analyticæ conſtituunt, in *duas* iterum *ſectiones* diſtincta. *Prior* æquationes duplicatas & triplicatas evolvit, in quibus videlicet duabus tribusve æquationibus (quarum ſingularum una pars eſt Quadratus, ſed reliqua in ſingulis variat) utimur ad ignotam quantitatem inveniendam, idemque habetur Radicis valor. Proponuntur autem hic modi diverſi partium æquationis duplicatæ, & ſingulorum modorum variis caſibus certæ regulæ conſtituuntur; pluribus exemplis, inter quæ & vexati illius problematis, quod paucos ante annos mathematicorum

totius

totius Europæ exercuit aut provocavit ingenia, cujusque ſupra mentionem fecimus, illuſtrata: indeque quomodo æquationes triplicatæ expediendæ, ſtrictim ediſſeritur.

Poſteriori tertiæ partis *ſectione Autor* quidem problematum variorum, tam analyticorum quam zeteticorum tractationem ſuſcipere inſtituit; in præſens tamen nonniſi analyticorum *duos* exhibuit *libros*: quorum *primus* problemata, ad additionem & ſubtractionem; *alter*, ad multiplicationem & diviſionem ſpectantia complectitur: zeteticis, ut & reliquorum generum analyticis (circa triangula aliasque figuras, quibus binos libros deſtinavit) curæ & elaborationi alterius temporis reſervatis. Duobus porro libris iſtis, ſingulis centum problemata refert, circa quæ ita verſatur, ut redacta quantum fieri poteſt ad generalem, & cuilibet quantitatis ſpeciei convenientem formam, per numeros, ſpecies & magnitudines, hoc eſt utraque Algebra & Geometria duce, reſolvat; poriſmata ex analyſi deducat, & regreſſu inſtituto, analyſeos veſtigia legens, effectione geometrica, aliquando & ſpecioſa ſive ſymbolica, eadem tandem conſtruat & componat. Hanc ſuam induſtriam ſcholiis ſubinde adjectis exornat, & quæ peragenda ſuſceperat, ſubſidiariis theorematibus firmat. In quibus ſingulis peculiare hinc inde *Autoris* elucet ingenium & ſolertia, latis arti analyticæ per inventa ſua commode ſuppetiis, inſtructoque ſalutaribus præceptis lectore, quorum ope moleſtiis & ambagibus tædioſarum inquiſitionum evitatis, grata laboris analyticæ facere queat compendia.

CONSIDERATIO STATUS DAMNATORUM, quod actiones ipſorum, inprimis malas, concernit; auctore Joanne Fechtio SS. Theologiæ Licentiato, &c. Spiræ, 1683 in 4.

NOn otioſam æſtimari τῶν ἐν ᾅδῃ διήγησιν, ſive disquiſitionem controverſiæ de ſtatu damnatorum, ſed variis graviſſimisq; uſibus refertam cenſeri jure meritoq; debere, tot ſententiarum docent divortia, in quæ cum veteris tum recentioris ævi auctores abiiſſe conſtat. Hinc de univerſa infernalium civium pœna, & præcipua ejus parte, quæ in malis actionibus conſiſtit, quæſtionem accuratius excutiendam ſibi ſumſit Auctor, variis iisque exquiſitis jamdiu ſcriptis non in

celebris. Argumenti nimirum hujus indoles ſic illi viſa eſt comparata, ut ejus diſcuſſio deſperatiſſimo ſeculi noſtri morbo medendo, moribusq; pietati & probitati Chriſtianæ infeſtis emendandis, non parum poſſit ſervire. Cum igitur complures non ſolum priſcæ eccleſiæ doctores, ſuomet ore loquentes, ſed ſcholaſticos quoque theologos allegaſſet, & quanta ab his caligo otioſis ſpeculationibus affuſa ſit, oſtendiſſet, *a §.3. usque ad §. 22.* tandem Pontificiorum, Reformatorum, & Auguſtanæ confeſſioni addictorum theologorum diſſenſum, & adverſa fronte pugnantes hac de re opiniones pluribus recenſet *a §.23. ad §.33.* Quibus, ut & aliis, quæ ad ſtatum controverſiæ, *peccentne in inferno damnati?* rite formandum faciunt, præmiſſis, utriusque ſententiæ argumenta longo ordine producit; & quidem primo *affirmantium* (1) ex Pſalmo LXXIV, 23. ubi ſuperbia eorum qui Deum oderunt ſemper, (adeoque & in damnationis ſtatu) adſcendere dicitur, *§. 41.* (2) ex Apocal. XVI, 9. ubi ex atrocitate & æſtu pœnarum nomen Dei blaſphemare damnati ſcribuntur, *§. 42.* (3) a natura & forma peccati; quia inordinati motus animarum rationalium ſive hominum ſunt in inferno, *§. 43.* (4) ab obſtinatione voluntatis damnatæ *§. 44.* (5) a principio malarum actionum, ſeu voluntate, cujus motus ſecundus a lege Divina declinans eſt peccatum actuale, *§. 45.* (6) a voluntaria ſtatus peccaminoſi acquiſitione, *§. 46.* (7) ex comparatione ſtatus infernalis cum ſtatu hujus vitæ, *§. 47.* (8) ab induratione voluntatis damnatæ, *§. 48.* (9) ab auctoritate Patrum vetuſtiſſimorum, *§. 49.* (10) a conformitate damnatorum cum angelis malis, quorum voluntas converti non poteſt, *§. 50.* (11) ex analogia ſtatus damnatorum cum ſtatu ſalvandorum: malitia enim remanebit in damnatis, ſicut & gratia in beatis, *§. 51.* (12) a conſequente abſurdo: ſcilicet, vitioſam damnatorum naturam meliorem tum factam, & gratia ſupernaturali immutatam dici oportere, ſi privati eſſent habitu & potentia peccandi. *§. 52.* (13) ex deſperatione, ſtatui infernali neceſſario annexa, *§. 53.* (14) a ſtridore dentium damnatis in Scriptura tributo, quem proprie intelligendum, & invidiæ ac indignationi adſcribendum eſſe, probatur *§. 54.* (15) a tenebris exterioribus quibus involventur damnati: ſcilicet non ſolum naturalibus, ſed & ſpiritualibus, in quibus peccata, tenebrarum opera, patrabunt, *§. 55.* (16) a morte ſecunda, quam de damnatis Scriptura affirmat: & nihil aliud eſſe probatur, quam privatio-

vationem uſus vitæ æternæ, qui in bene agendo conſiſtit, §. *56.* (17) a voto & deſiderio damnatorũ, quo contra Dei voluntatem, nec citra graviſſimum peccatum, vellent ſe non eſſe, ſeu in nihilum redigi, §. *57.* (18) ex diſformitate damnatæ voluntatis a voluntate divina, qua omnes homines ſecum eodem damnationis ſupplicio involutos cupient, §. *58.* (19) a ſuppliciorum infernalium interminabili æternitate, quam ob peccatum in æternum continuatum damnati merentur, §. *59.* quo loco ſimul graviſſimam quæſtionem de cruciatuum æternorum & temporalium peccatorum æquiparatione, contra Origenianos, Epiſcopium, & Socinianos prolixe perſequitur. (20) ab Eccleſiæ denique conſenſu, §. *60.* Affirmantium iſti argumentorum numero parem & *negantium* ſubjicit, quibus damnatos in inferno ſive peccare non poſſe, ſive actu non peccare aſſeritur. (1) ob pœnitentiam quam acturi dicuntur damnati Sap. V, 8. quæ ceſſationem ab omni peccato deſignet, §. *61.* (2) ob autoritatem Auguſtini, cui vis infernalium dolorum libidinoſas carnis actiones ſufflaminatura videtur, §. *62.* (3) ob deficientem peccati finem, libidinoſam nimirum delectationem, §. *63.* (4) ob infinita infinitorum peccatorum merita, quæ abſurda videntur Bonaventuræ, §. *64.* (5) ob finalem rerum omnium ordinationem, §. *56.* (6) ob atrocitatem infernalium cruciatuum, §. *66.* (7) ob naturam latæ poſt perpetratum delictum ſententiæ, §. *67.* (8) ob immutabilitatem voluntatis damnatæ, §. *68.* (9) ob μακροθυμίαν Dei, qua tempore extremi judicii deſinente, ejus & objectum, ſcilicet peccata, quibusdam deſitura videntur, §. *69.* (10) ob exemplum Chriſti infernales pœnas ſine ullo peccato perpeſſi, §. *70.* (11) ob locum Pauli ad Rom. VI, 7. Hugoni Sanfordio & Roberto Parkero citatum, ubi mortui a peccato liberati pronunciantur, §. *71.* (12) ob naturam pœnarum infernalium, in paſſione mera conſiſtentium, §. *72.* (13) ob abſurdum aliquod, Sanfordio tale viſum, ac ſi lædere Divinam majeſtatem damnatis quaſi ſolaminis loco eſſet permiſſum, §. *73.* (14) ob interminabilem & nunquam interruptam dolorum vehementiſſimorum continuationem, §. *74.* (15) ob autoritatem doctorum Scholaſticorum, §. *75.* (16) ob negatum peccati objectum, ſcilicet legem, quam in inferno nullam eſſe aſſerit Sanfordius, §. *76.* (17) ob totalem impiorum interitum: ſicut oves enim & pecudes in inferno poſiti dicuntur ii, Pſalm. XLIX, 15. §. *77.* (18) ob ſilentium a Davide iis tributum Pſalm. XXXI, 18 §. *78.*

(19) ob

(19) ob panicum timorem damnatorum, & reverentiam erga ſupremum judicem, *§. 79.* (20) ob auctoritatem quorundam Theologorum, inferorum ſcelera vel negantium, vel ubi meminiſſe eorum poterant, plane ſilentium, *§. 80.*

Partis utriusque ſententiis in conſpectum ita poſitis, calculum adjiciendum iis eſſe ait, qui peccaturos affirmant damnatos. Nixos etenim hos dicit præſidiis adeo validis, quibus corruentibus multos fidei articulos in caducum inclinare parientem ſit neceſſe. Et quanquam minori periculo ſe implicaturum fateatur illum, qui quamcunque Doctorum ſententiam (quippe quæ circa fidem potius ſit quam de fide) amplectatur; quot tamen & quanta fidei capita unius aut alterius ſententiæ vel defenſione vel oppugnatione etiam non advertentibus convellantur, ſeria & diligenti argumentorum tractatione declarat. Cumprimis in hoc argumento recte perpendendo, univerſum de peccato cum actuali tum originali articulum diſcuti oportere, *§. 126* docet. Unde pro affirmantium argumentis magis confirmandis plura affert memoratu dignisſima *a §. 89. usque ad §. 104.* Inprimis de purorum naturalium ſtatu, tanquam palmaria hypotheſi, qua impeccabilitas damnatorum fulcitur, egregie multa diſputat *§. 91.* contrariæ opinionis argumenta diſtincte examinat, & qua parte vacillent, quaque ſub ſpecie veri fallant, dilucide demonſtrat *a §. 106 usque ad §. 126.*

Actionibus pravis damnatorum iſthac ratione aſſertis, tandem aggreditur ex indubitatis ſacrarum literarum fundamentis diſquirere: an aliquid damnati, & quid in univerſum acturi ſint? *§. 170.* Ubi quidem præliminari ſaltem quadam defungitur tractatione, circa cujus initium, quantum argumenti hujus modeſta ac præv'a ſacræ ſcripturæ luce facta conſideratio Chriſtianiſmo noſtro conducat, ex Auguſtino, Chryſoſtomo, aliisq; demonſtrat, *§. 130.* Quam deinde ſignificationem vox *damnatorum*, *ſtatus*, *inferni*, *actionis* hoc loco obtineat, §. *135.* uſque ad *§. 147.* fuſe explicat. Generalem denique de actionibus infernalium controverſiam, pluresque ſpeciales, ex Lucæ XVI capite, & recenſita ibi a Salvatore de divite epulone & paupere Lazaro, ſive hiſtoria ſive parabola, tanquam fundamento & palmaria omnis de actionibus damnatorum diſputationis ſede, decidendas eſſe præmonet §. *148.* Et quanquam (quod omnino optandum) proli-

xiorem

Digitized by Google

xiorem totius hujus argumenti diſquiſitionem polliceatur ſ. 152. ſe tamen alienorum nunc a χολαςικωτέροις hiſce animum gerentem haud certi aliquid poſſe promittere, in Præfatione fatetur.

LITERATUS FELICISSIMUS, Sacræ Metanœæ Proſelytus; ſive de Converſione Literatorum Commentarius, ſelectis Doctorum veterum, ſcriptorumque Eccleſiaſticorum monumentis & documentis, nec non ſingularibus converſorum literatorum exemplis & hiſtoriis illuſtratus. Autore Theophilo Spizelio.

Auguſtæ Vindelicorum, ap. Hered. Theophili Gœbelii 1685 in 8.

NUnquam ita bene cum literis actum eſt, quin ſubinde theoriæ literatorum praxis valde fuerit diſſimilis. *Quotusquisque Philoſophorum invenitur*, non abs re dixit Cicero, *qui ſit ita moratus, ita animo ac vita conſtitutus, ut ratio poſtulat? qui diſciplinam ſuam, non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet? qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis ſuis pareat? Videre licet alios tanta levitate & jactatione, ut fuerit non didiciſſe melius: alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos, multos libidinum ſervos: ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. Quod quidem mihi videtur eſſe turpiſſimum. Ut enim, ſi grammaticum ſe profeſſus quiſpiam, barbare loquatur, aut ſi abſurde canat, qui ſe haberi velit muſicum, hoc turpior ſit, quod in eo ipſo peccet, cujus profitetur ſcientiam: ſic Philoſophus in ratione vitæ peccans, hoc turpior eſt, quod in officio, cujus magiſter eſſe vult, labitur, artemque vitæ profeſſus, delinquit in vita.* Tametſi vero literarum utilitati nihil decedat hoc diſſidio, quod periniquum habeatur, in artem ipſam culpam artificis diffundere; Literatorum tamen felicitati, honeſtorum atque turpium diſcrimini, pietati, Chriſtianæque charitati quin plurimum detrimenti hoc malum adferat, dubium plane erit nemini. Cum enim παραδείγματα, ex ſententia Platonis, ὅμηροι τῶν λόγων ſint, eoque vita mortalium exemplis maxime regatur, efficitur morum iſta, præceptorumque diſcordia, ut non doctrina tantum literatorum fide ſua, & qua pollere debebat, autoritate excidat, ſed ut

morum quoque pravitas radices tanto altiores agat, majusque indies in illiteratorum animis acquirat robur.

Huic malorum ſane non minimo quæſivit remedium, adhibuitque Reverendus Autor non ſpernendum, numero diverſis Scriptis diverſoque tempore jam editis, quorum unum de *Vitiis*, alterum de *Vita & moribus*, tertium de *Converſione Literatorum*: vel, ſi mavis, iſtud *Felix Lit. ex infelicium periculis*, illud *Infelix Lit. miſeriis ſuis cum poſteriore ereptus*, hoc *Literatus feliciſſimus ſacra metanœa proſelytus* inſcribitur. Et duo priores quidem libri latentis quaſi conditionem morbi, ejusve depellendi rationem, Lectoris animo objiciunt. Siquidem eorum *primum* in exponendis vitiis, queis laborare literatorum animos quandoque videas; ut ſunt, impietas, faſtus, inanis gloriæ ſtudium, æmulatio, contentio, maledicentia, ambitio, avaritia, curioſitas noxia; nec non in fatis ſingulorum, ſordibus hiſce contaminatorum recenſendis, eo conſilio occupavit Vir Clariſſimus, ut quæ aliis exitio fuerunt, enixo nos vitemus ſtudio, & rectius ubique ſapiamus tot infelicium periculis & caſibus edocti, nec in nobis eruditæ doctrinæ ſtudium, a pietatis unquam, & virtutis veræ cultu, divelli patiamur.

Secundus præcedenti ſuccenturiatus, idem inſtitutum urget aliquanto copioſius. Nam ut tanto rectius intelligatur argumentum, de quo nunc agitur, neve in progreſſu vagari & errare cogatur oratio, veram initio infelicitatis pariter, ac felicitatis, quam literariam dixit, indolem: mox literatum vitioſum, tanquam gentis, mentis, & artis ſuæ infamatorem ſiſtit: virtuoſi contra, vitæque Chriſtiano dignæ ideam, ex Jo. Ludovici Vivis *de Vita & moribus viri eruditi* Oratione repetitam & expreſſam. Hinc eruditorum hominum, a vanitate ad pietatis ſtudia converſorum, exempla producuntur: oſtenſaque per anguſta ad auguſta quæ ducit, via, ſanitatis tuendæ, componendi animi, vitæque hujus beneficio extendendæ ratio proponitur. Tum literatum introducit φίλαυτον, gemina potiſſimum labe notabilem, ſententiæ puta male receptæ defenſione, & captatione novitatum. Porro de intima & perpetua divini Spiritus cum piis doctoribus conſociatione: de graviſſimis, quibus hi proponuntur tentationum telis: ut & de literatis, quorum virtus maxime exeruit ſplendorem ſuum malis exercita, ubi diſſeruiſſet, peculiari commonefactione viam nobis præit, qua cum eruditione copulari virtus, & vita ac con-

ac converſatio literatorum mundana, in ſpiritualem commutari queat.

Decima quinta, & quæ ſequuntur Commonefactiones, reſpiciunt commentationum ſeriem, in primo opere ſervatam, earumve ſupplementa & declarationes uberiores exhibent. Nova quippe cura adhibita, memorantur Atheiſmi apud quosdam nimiopere regnantis exempla: ſuperborum evincitur calamitas, humilium vero doctorum gloria. Alibi, quam miſere quidam per fatuos umbratilis gloriæ igniculos: nonnulli per famæ aucupium decipiantur, oſtendit. Ad ſanandum ſcribendi cacoethes ubi ſtylum vertit, librariæ infelicitatis originem primo expendit loco, idque ex novis præcipue Thomaſii (quem feliciſſimis ævi hujus literatis annumerare non dubitat) ad tractatum *de Plagio Literario* acceſſionibus. Livoris & invidiæ imaginem delineans, & patriæ novercantis genium expreſſit, terſumque invidiæ Eccleſiaſticæ ſpeculum, e quinque priſci ævi doctorum, Tertulliani, Baſilii, Nazianzeni, Hieronymi, & Chryſoſtomi, fatis denuo exſtruxit. Mordacitatem ſtyli & caninam facundiam, in Buchanano, Bodino, Taſſano, Villano, Gaza, Poggio, Ferrerio, aliisque notandam ſic perſequitur, ut probata hujus delicti gravitate, non maledicorum tantum Scriptorum pœnas recenſeat, ſed & arma expediat, quibus bona fide Chriſtiano adverſus hunc maledicentiæ morſum ſit pugnandum: quove patientiæ lorica iſto in genere cunctis eſſet commendatior, Juſti Lipſii Orationem *de Calumnia* annectere placuit. Ambitioſos, philotimosque Clericos quantæ maneant miſeriæ, exemplo probat Apollinaris, Photii, Joaſaphi, Genebrardi, Plantavitii. Inde, quantum mali & choro, & foro; & Sacrariis, & Lyceis Chriſtianorum invexerit amor nummi, & qua ratione ex literario non minus agro, quam eccleſiaſtico, radix illa evellenda ſit, docetur. Tandem & literati male curioſi ac polypragmonis facies ſic ſatis deformis exprimitur, ex quibusdam noxiæ curioſitatis documentis, in Apulejo, Thoma Eraſto, Johanne Sturmio, Iſaaco Peyrerio, & Hugone Grotio reſiduis.

Præterea commonſtrat præcipitia, in quæ non paucos inexplebili ſciendi, & cuncta perveſtigandi ardore abreptos cernimus, eave ratione ingeniorum æſtum temperatum voluit. Commendat nihilominus laborioſam & indefeſſam ſedulitatem, luculentis Caſau-

Digitized by Google

obni, Voſſii, Seldeni & Bocharti exemplis eam ad rem accommodatis. Deſultoriam ingeniorum levitatem crebramque mutationem inſtituti, ſub Genii errantis: propenſionem vero in meliora & ſanctiora ſtudia, ſub fidi Achatæ, nomine atque ſymbolo deſcriptam habes commonefactione prima & triceſima. In Jureconſultorum quoque & Medicorum felicitate aſſerenda ſic verſatur Autor, ut eam non aliunde, quam ex virtutis & pietatis ſtudio metiendam eſſe, peculiari probet commonefactione. Colophonem operi quæ imponit meditatio, unde Concionatoris felicitatem æſtimare deceat, definit, agitque de arte fructuoſe in ſacris fidelium conventibus dicendi, nec non de genio, prudentia,& dotibus priſcorum Homiletarum diſtinctius. Hæc utcunque ſumma eorum eſt, quæ medio hujus argumenti volumine nobis proponuntur.

Poſtremum quod ſub *Literati Feliciſſimi* nomine, *Inſtitutionem Literatorum ad pœnitentiam ſeriam* promittit, cujusque titulum expreſſimus, viginti ſectionibus abſolvitur. A divina enim Literatorum ad agendam pœnitentiam vocatione exorſus, vitæ conſiderare brevitatem jubet, in eorum maxime exemplis, qui in ipſo ætatis ſuæ flore perhibentur extincti. Animorum dein curationi admovens manum, medicinæ vicem nequaquam præſtare poſſe probat pœnitentiam, a Gentilium forte laudatam ſcriptoribus, multo minus Phariſaico-Judaicam, aut aliam hypocriticam. Cumque de nævo emendando gemino, inſincera ſcilicet, & nimis ſera, vel de die in diem protruſa reſipiſcentia lectorem monuiſſet, genuinam explicat metanœæ a literati ordinis Chriſtiano agendæ indolem, exhibita ſimul literati pœnitentis & compuncti imagine, ac ſalutari receſſu eidem commendato. Memoriam porro quorundam mire, feliciter, & ſubito converſorum ex veteri partim, partim ex recentiori ævo repetit, eorundem veſtigia nos premere, conſcientiam omnem ſedulo excutere, imam cordis abyſſum explorare, non elevare admiſſa, ſed fateri docet, ac de iis dolere ſerio. Tum neceſſitas fidei, & vivum ejus exercitium commendatur pœnitenti; moribus item pravis emendandis indefeſſam dare operam, interiorem domum repurgare, nec quicquam fugere ſollicitius, quam relapſum pernicioſum, quod multo gravius ægrotant, qui cum levati morbo videntur, in eum de integro inciderunt. Quove major indies adhibeatur cura, pro cuſtodienda vitæ ac morum

morum integritate, ſubjunguntur triſtes admodum ex relapſu ruinæ, præter Judam προδότην, in Novato, Lucifero Calaritano, Juliano transfuga, Theodoro Mopſueſteno, Pelagio, Lambetio, Ruffino Aquileenſi, aliiſque memorabiles. Inde relapſuum, qui doctis adeo exitio ſint, cauſſas perſequitur, easque inter abjectionem intimioris cum Deo familiaritatis, ingratitudinem pro divinis beneficiis, torporem, teporemque deteſtabilem, tumorem, animi elationem, ſecuritatem non eſſe minimas contendit.

Rurſus, quæ felicitati non niſi inſidias ſtruunt, voluptates refrænare: coercere perturbationes, motus animi, more Chriſtianum hominem decente, compeſcere, abnegare, omnique reditu excludere: conſcientiam tueri rectam & illæſam: fidam concordiæ navare operam: cunctas peccandi occaſiones & pravum conſortium vitare tanquam ſcopulos, conſuetudines noxias proſcribere, culpis, licet videantur minimæ, locum non relinquere, animoque adeo in ſtudio virtutis atque pietatis undique eſſe obfirmato, inter ſumme ducit neceſſaria. Quo ipſo ſacræ metanœas ſtudio, nec unquam interrumpendo exercitio, effectum denique concludit iri, ut non per omnem modo vitam Literatus exiſtat feliciſſimus, ſed ut tutus & erectus adverſus mortis diſcrimina, momento quovis impendentia, Εὐθανασίαν tempore ſuo exoptatiſſimam conſequatur.

Atque hæc fere ſunt eorum capita, quæ tertio etiam hujus inſtituti volumine continentur. Propter vicinitatem argumenti adduntur: Autoris *Pius Hominis Literati Seceſſus*, iterata editione luci redditus, cum D. Speneri de eo ad Autorem Epiſtola: Selecta nonnulla, Cypriani, Tertulliani, Auguſtini, Baſilii, Chryſoſtomi, Ephræm Syri, Cypriani Magi, Fulgentii, Iſidori, Alchvvini, Bernhardi, Rusbrochii, de converſione ad Deum monumenta, cum Autoris præfaminibus: coronidis item loco, pœnitentialia aliquot Scriptorum Eccleſiaſticorum meletemata: quorum agmen fere claudit Enchiridium Epicteti, a Nilo Conſtantinopolitano reformatum, ſublatisque ethniciſmis, ad hominis pie docti uſus accommodatum. Ex quo ipſo non minus, quam e triplici hoc opere Autoris hieroſophico, ſatis intelligitur, quam pulchrum, quamque fructuoſum ſit, ingenuas literas, lectionem variam, omni ævo geſtarum rerum notitiam, in uſum pietatis ſcite ac ſtudioſe convertiſſe, ſpoliiſque adeo Ægyptiis, quod in Cypriano Eraſmus cum Auguſtino laudat, templum Domini locupletaſſe.

Digitized by Google

JOH. EICHELII, JCTI ET ANTECESſoris primarii in Academia Julia, Commentarius in Tit. Digeſt. de diverſis Regulis Juris antiqui. Editio ſecunda.

Helmſtadii, ſumptibus Georg. Wolffg. Hammii, 1684 in 4.

TAmetſi ingens eorum ſit numerus, qui famoſum hunc Pandectarum titulum, ordine quidem ultimum, dignitate tamen inter primos merito collocandum, explicare ſunt aggreſſi: paucos nihilominus in iſto agmine reperies, qui accuratione & interpretandi dexteritate Nobiliſſimum hujus commentarii Autorem æquarint; qui ſuperarit, facile neminem. Videlicet non id tantum egit ille, ut genuinum cujusvis regulæ ſenſum, allatis in medium ex reliquo legum ſyſtemate exemplis, dilucide exponeret: ſed & eo cumprimis incubuit, ut ex rationibus earundem ſollicite indagatis illarum demonſtraret certitudinem, uſumque oſtenderet, quem in interpretandis Romanis legibus habere poſſint. Rationes vero iſtas ex ipſiſſimis Juris naturæ partim, partim civilis prudentiæ, ſecundum Ariſtotelis maxime placita, principiis, Romana etiam quandoque antiquitate, eruere atque deducere nullibi non ſategit. Cumque videret inſuper, tumultuarium iſtum ordinem, quo in Pandectis hæ regulæ proponuntur, non parum obſtare fini, quem in iis colligendis compilatores intendiſſe videntur, ut nempe per recapitulationem ejusmodi materiarum juris, memoriæ diſcentium conſuleretur; hinc alia eas methodo ordinandas judicavit. Eam vero novam excogitare maluit, quam ab aliis, ut Bermano, Mopha, Ryſwichio, Ramo aliisve tentatam imitari, eo quod vias a ſingulis horum initas adhuc incommodi quid fovere deprehenderet. Talem itaque in diſponenda regularum ſerie rationem commentus eſt, quam & diſciplinæ practicæ, qualis hæc eſt, congruam, & ſimul memoriæ proficuam putaret. Univerſas nempe regulas ad pauca quædam, ſed ſumma materiarum capita revocat: hæc ipſa vero tali ordine collocat, ut connexio, quam ſtudioſe ubivis pro juvanda diſcentium memoria oſtendit, ex ipſa do-

ctrinæ

ctrinæ politicæ natura quodammodo fluxiſſe videatur. Cæterum ex iis, quæ ſupra de Autoris noſtri propoſito diximus, jam quadantenus liquet, Commentarium hunc non in tyronum adeo gratiam conſcriptum eſſe, quibus quidem alioqui tituli hujus lectio quam maxime commendari conſuevit: ſed ad eorum inprimis uſum ſpectare, qui jamjam ad jura aliis exponenda manum admovent, ipſoque interpretum munere funguntur: ad hos enim Regulas has Juris potiſſimum & primario pertinere, Autori omnino perſuaſum eſt.

COMETES ANNO 1684 MENSE JUNIO Julioque Romæ obſervatus.

Cœleſte hoc Phænomenon, Clariſſimo Franciſco Blanchino *ſuperiore anno Romæ obſervatum, quanquam novitatis exuiſſe gratiam cenſeri queat, tanto ab ejusdem natalibus evoluto tempore; publicare tamen neutiquam dubitavimus, ne ejus notitia Tranſalpinis periret: cum de eo, quod nos ſciamus, nihil hucuſque ſit proditum, idemque adeo fortaſſe, quod mirum, a nemine ſub cœlo borealiori obſervatum. Cujus quidem non ipſum cœlum ubique in culpa fuiſſe, ſed quod curioſi cœleſtium ſpectaculorum ſcrutatores, alio oculorum quam ubi ſidus hoc exarſit, per id tempus, aciem intendiſſent, fidem nobis facit, tum ſiccisſima illa, Junio Julioque menſe, aeris per univerſam Germaniam, forte & conterminas provincias temperies, tum Eclipſis Solis, Cometæ ſynchrona, pluribus in locis obſervata. Nos ergo quod propriis uſurpare negatum fuit oculis, gratisſima ab aliis mente accipimus, parique nobiſcum in ſorte conſtitutis cæteris, quod e re omnium eſt ſcire, non invidemus, indeque hiſtoriam prodigii hujus cœleſtis, a diligentisſimo obſervatore conſignatam delineatamque, prout a Clarisſimo Viro* Emanuele a Schelſtraten, *Bibliothecario Vaticano celeberrimo, quam humanisſime, literis die 17 Martii 1685 Romæ datis, ſubmiſſa eſt, exhibemus:*

Die 30 Junii (*ſtylo novo*) Cometa primum mihi viſus eſt, in gr. 9 cum aliquibus minutis ♌ latitudo Borealis ejusdem fuit graduum

graduum octo & aliquot minutorum, quæ nondum ſatis certo determinare potui ex obſervationibus. Gradus tamen tam longitudinis quam latitudinis extra aleam dubitationis eſt, ut ſequitur.

TAB. VI.

Dies Julii	Long.Com. o ♎	/	Lat.Com. o. Bor.	/	Dies Julii	Long.Com. o ♎	/	Lat.Com. o Bor.	/
1	11.	18	13.	12	10	24	42	39.	40
2	13.	16	17.	57	11	25.	44	40.	49
3	14.	58	22.	12	12	26.	38	41.	58
4	16.	45	25.	40	13	27	23	43.	5
5	18.	30	28.	50	14	28.	31	44.	9
6	19.	50	31.	34	15	29	49	45.	12
7	21.	7	33.	54	16	0. ♏	58	46	20
8	22.	20	36.	6	17	2.	8	46.	40
9	23.	32	38.	0	18	2.	48	47.	20
					19	3.	40	47.	50


Quatuor dierum obſervationes *(nimirum 14, 15, 16, 17.)* meliori indigent calculo; nam aliquis fortaſſe minutorum error irrepſit. Alias etiam nonnullas habeo, nempe diei 18 & 19, *(harum longitudinem & latitudinem, ex Ephemeride delineationi transmiſſæ inſerta, Tabulæ adjecimus)* quæ cum nudo oculo habitæ ſint, abluderent fortaſſe pluribus minutis, ſi eas nunc afferrem. Poſtremis hiſce noctibus cum jam ſeneſcente Luna ſtellarum etiam minorum fulgor ſe proderet, Cometam quoque languentem proſpexi prope lemniſcos Coronæ.

Obſervatio diei primæ Julii accuratiſſima eſt; Cometa enim in teleſcopio apparebat una cum ſtella Virginis, quæ Bayero inſcribitur σ, & audit *ſub cingulo ſeptentrionalis partis prima.*

Obſervationes ſequentes usque ad diem quintam ſatis certæ haberi poſſunt. Omnium tamen certiſſima eſt obſervatio diei ſextæ, quia die Arcturus in tubo optico ſimul cum Cometa inſpiciebatur. Die pariter 14 Cometa & ſtella χ in collorobo Bootis ſeu venabulo ſubter humerum uno intuitu detegebantur. Aliæ obſervationes etiam ſatis accuratæ ſunt.

Erratum.

In Actis anni 1684, pag. 459, lin. 31. pro *Veneris*, lege *Veneta*.



Digitized by Google

TAB. VI.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Maji Anno M. DC. LXXXV.

LA MINORITE DE S. LOUIS, AVEC l' hiſtoire de Louis XI, & Henri II, Par le Sieur de Varillas.

id eſt

Minorennitas Ludovici Sancti, adjuncta Hiſtoria Ludovici XI & Henrici II, autore Varillaſio. Hagæ, 1685 in 12.

NOvam nobis Actorum materiam præbet bis jam memoratus Scriptor, dum partem quandam hiſtoriæ Regum, quos nominat, ſolita cum induſtria elaboratam exhibet, cauſas haud dubie (ſi modo hæc conſcio ipſo & volente prodiit) habens, cur integram non ediderit. Agit autem prima operis parte, de geſtis anno 1226. & ſequentibus tribus, a *Blanca*, Alfonſi Caſtellæ regis filia, quæ *Ludovici VIII* Galliæ regis uxor fuerat, eoque defuncto *Ludovici IX* filii tutelam adminiſtravit. Huic præter naturæ dotes, magnam ſapientiæ laudem, imo & pudicitiæ tribuit; licet hoc nomine ab aliis ſcriptoribus ſugilletur, nec ſpeciem labis, ut ipſe autor diſſimulare noluit, vitaverit, dum magnates quosdam pulchritudine ſua ineſcatos, deſperare de amore ſuo non ſivit, illibatum quamvis pudorem retinens: quod quidem amicitiæ parandæ, vel firmandæ factionis artificium periculoſum eſt. Hoc tamen *Comitem Campaniæ*, potentem admodum ea tempeſtate Principem, a conjuratorum adverſus ſe procerum ſocietate abſtractum, in exitium tandem impulit. Teneri vero affectus, quo filium proſecuta eſt, ſpecimen memoratur, quod tanta cum æmulatione lacte ſuo illum nutriverit, ut cum ali-

Digitized by Google

quando, ſe ægrotante, illuſtris matrona regio puero, famem fletu teſtanti mammam porrexiſſet, ipſa immiſſo faucibus digito ejicere alienam alimoniam illum coegerit. Porro non minus politicæ prudentiæ, quam muliebris aſtutiæ exemplum præbuit, conjuratorum, quam diximus, coitionem variis vaframentis diſſolvendo, & Anglorum expeditionem, quam illi procuraverant, corrupto primario regis Angli miniſtro bellico, avertendo. Nec minori aſtu & ſucceſſu *Comiti Toloſano* provinciam *Aquitaniam* eripuit, & *Armoricæ* (*Britanniam* vulgo vocant) Ducem ditionibus, quas extra Ducatum habebat, exuit, tum ut hunc Galliæ regno clientelarem, & aliquando, ut poſtmodum accidit, uniendum faceret, adegit.

Secundum fragmentum initia Regni *Ludovici XI*, aut quæ ante id obtentum egit, exponit: ut nempe vivo patre ſumere illud fruſtra tentans, pluribus annis apud *Philippum* Burgundiæ ducem exulaverit, ſimultatis ſeminibus cum *Carolo* ejus filio eo tempore jactis, quæ bellorum poſtea cauſam dederunt. In ſolium demum nonniſi annos 38. natus aſcendit, conſecratus ut fieri ſolet, in Rhemorum urbe anno 1461. Quatuor ibi regum exterorum legati adfuiſſe referuntur, *Perſarum*, *Armeniorum*, *Georgianorum* & *Curdorum*, ſocietatem adverſus Turcos orantium. Caput legationis erat monachus quidam Franciſcanus, *Ludovicus* nomine, impoſtor inſignis, qui conjunctionem orientalium Chriſtianorum cum Romano Pontifice prætexens, ſe ipſum illarum partium Patriarcham factione quorundam adjutus conſtituit, Pontificem vero & Reges variis modis defraudavit. In regiæ inaugurationis ſolennitate *Philippus*, quem nominavimus, *Burgundus*, orationem incomtam quidem, ſed maſcula cum libertate ad Regem habuit, amorem ſubditorum & clementiæ laudem ei commendans, ut ſi obſecundare prudentiſſimi Principis monitis Rex voluiſſet, miſerias poſtea ſecutas, Autore ita judicante, non difficulter evaſurus fuiſſet. Inter prima regni facinora fuit abolitio *Sanctionis pragmaticæ*, quam vocant, magno labore a Rege patre, pro libertate Eccleſiæ Gallicanæ, adverſus Aulæ Pontificiæ artes obtentæ. Prolixe deſcribitur, qua calliditate *Johannes* quidam *Joffredus*, humili in Sequanis loco natus, ſed ſub Philippo Burgundo ad intimiora conſilia & *Atrebatenſem* Epiſcopatum evectus, negotium difficillimum, non ut Regi aut regno, ſed ut ſuæ ambitioni, qua purpuram Cardinalitiam & ipſam Pontifi-

Digitized by Google

Pontificatus dignitatem cupiebat, ſatisfaceret, ad exitum perduxerit, deluſus tandem iisdem, quibus utebatur, artibus, & ſperato præmio magna ex parte excidens. Magnæ inde ad Turcicum bellum præparationes memorantur, cui Ludovicus Rex cum ſeptuaginta millium exercitu, inſtigante Pontifice nomen dederat, nullo effectu. Subortæ enim cum Anglis, ex quorum hiſtoria quædam non vulgaria adnectuntur, inimicitiæ, deſtinata corruperunt.

Sequuntur, quæ maximam opuſculi hujus partem conſtituunt, *Henrici Secundi* geſta ab anno 1547 ad annum 1554, in quatuor libros diſtributa. *Primo* memorabilis deſcriptio ingenii & morum Regiorum præmittitur, ut & familiarium ejus, *Momorantii* Equitum Magiſtri ſeu Conneſtabilis, *Guiſiorum* fratrum, quos Momorantio opponendos concubina Regis in aulam introduxerat, dein *Coliniorum*, quos ſororios filios, ut Guiſiis obſiſterent, Momorantius gratiæ Regis inſinuavit. His *Dampetra*, *Santandreanus*, & inprimis *Caſtagnerius*, is nempe, cujus celebre & funeſtum cum *Chabotio* duellum ab hiſtoricis illius temporis narratur, ſubjunguntur. Narrat poſtea, ut *Annebaldus* maris Præfectus, & *Turnonius* Cardinalis gratia Regis exciderint: ut *Paulus III.* Pontifex miſſo legato, Regis patrocinium pro familia ſua *Farneſiana* impetraverit; qua occaſione cædes *Petri Aloyſii Farneſii* exacte refertur. Adduntur quædam de rebus Angliæ & Scotiæ, utque ex hac *Maria* regia filia in Galliam venerit: deinde de itinere Regis in Subalpinam regionem fruſtra ſuſcepto, cum Genuenſium libertatem *Andreas Auria*, (vulgo Doria) decrepitus licet tunc ſenex, maſcule tueretur. *Libro II.* acta annorum 1549 & duorum ſequentium referuntur: Burdigalenſium ob ſalis vectigal tumultus, rigide a Momorantio punitus: recepta pactis cum Anglorum Rege initis *Bononia*, maritimum in Gallia Belgica oppidum: Regis ad res Italicas applicatio, morte *Pauli III*, & Montani Cardinalis *Julii III* nomine in ſedem Romanam evecti conſiliis, valde mutatas: Cardinalis *Lotharingi* acceſſus ad aulam & Regis favorem, itidem regiæ pellicis artibus procuratus, indeque *Olivarii* Cancellarii & *Lizeti* Præſidis caſus: *Briſſaci* amores ejusque amotio, ſpecie Subalpinæ præfecturæ obvelata. Suſceptus poſthæc in patrocinium *Octavius Farneſius*, bellorum cum *Carolo Cæſare* initia præbuit. Rex ut Cæſari ægre faceret, Concilium Tridentinum averſatus eſt, miſſoque *Jacobo Amioto*, cujus deſcriptio

Digitized by Google

memorabilis inſeritur, proteſtationem famoſiſſimam Concilio interpoſuit. Fœdus inde cum *Mauritio* Saxoniæ Electore, & quæ ſecutæ ſunt, *Henrici* in Mediomatrices & in vicinas regiones expeditiones recenſentur, inter quæ reperiuntur, quibus ex hiſtoria Germanica & Saxonica non pauca opponenda forent, pro defendenda exiſtimatione Principum Germanorum, non parum ab autore læſa. Multi etiam in nominibus hominum errores notari poſſent. *Libro III* ex annorum 1551 & 1552 hiſtoria afferuntur, quæ Rex in Belgii finibus, & in Italia geſſit: occupato ibi *Montemedio*, hic *Sena* urbe. Turcorum claſſis, ex fœdere cum Gallis inito, ad Italiæ oras conſpecta tunc fuit, nullo ſucceſſu, dum Galli quæ promiſerant, præſtare cunctarentur. *Metenſis* inde urbis obſidio, a Carolo Imperatore infeliciter tentata, accurate & non ſine Germanorum dedecore exponitur, & ut *Hesdinum* a Rege captum, ſed a Cæſare receptum ſit, aliaque in Belgio, in Hetruria atque Inſubribus geſta. *Libro IV* altera Turcicæ claſſis expeditio adverſus *Corſicam* inſulam, ſed hæc quoque irrita memoratur, tum *Caroli* Imperatoris cum Anglis contra Gallos fœdus, & *Henrici* in Belgii limitibus ſat proſperi progreſſus. Interim amiſſa fuit *Sena* in Hetruria, & res Gallorum, a *Strozza* exule Florentino perperam aut infeliciter adminiſtratæ, in illis partibus conciderunt. Cæterum in hoc quoque libro ſervavit autor moratæ & politicæ ſcriptionis inſtitutum, ut lectoribus non tam eventus, quam cauſas rerum, & ingenia atque conſilia hominum ob oculos ponat.

DES DECORATIONS FUNEBRES &c. par le R. P. C. F. Meneſtrier de la Compagnie de Jeſus &c.

ſive

C. F. Meneſtrerii S. J. Tractatus de Funerum Exornationibus; in quo luculenter agitur de aulæis, luminibus, mauſoleis, caſtris, quæ vocant, doloris, inſcriptionibus & aliis ornamentis exequialibus, a centum & pluribus annis in honorem Pontificum, Imperatorum, Regum, Reginarum,

rum, Cardinalium, Principum, Prælatorum, Literatorum, aliorumque genere, virtute & dignitate illuſtrium virorum, inventis & factis. Additi ſunt Iconiſmi.

Lutetiæ apud Rupertum de la Caille. 1684. in 8.

INter antiquisſimos & nunc quoque frequentiſſimos, ſive pietatis demonſtrandæ, ſive ingenii & magnificentiæ exercendæ, pecuniæ etiam prodigendæ modos, impenſas in illuſtria funera referri debere, nemini vel levi hiſtoriarum notitia, vel aliqua rerum experientia imbuto ignotum eſſe poteſt. Diuturnus uſus culturam & artem harum ceremoniarum effecit, de qua V. Cl. *Meneſtrerius*, jam ſæpe nobis memoratus, in tractatu hoc commentatus eſt, ita tamen ut obſervationes potius, quam præcepta, ex plurimis quæ affert exemplis colligere, & unicuique, quæ ſequi aut omittere data occaſione velit, liberum relinquere voluerit. Complexus eſt materiam diffuſiſſimam aliquot capitibus, quibus numeri ab ipſo omiſſi, a nobis facilioris methodi cauſa in excerptis his adſcripti ſunt. I. de ornatu funebri generatim agit, antiquitatem ejus & continuatum uſum notans, ita ut ad quingenta exempla intra annos centum quinquaginta comperta ſibi eſſe tradat, quæ in magnatum & illuſtrium virorum exequiis locum habuerint. At neminem tradidiſſe ait, quomodo in decorationibus illis procedendum ſit, quanquam libri habeantur, qui media inveniendi & diſponendi ſuppeditent. Inter eos laudat *Jacobum Gutherium* Advocatum Pariſienſem, ob ſingularem eruditionem Patritii Romani dignitate cohoneſtatum, ex cujus libris tribus *de Jure Manium*, indicem capitum exhibet. Idem præſtat recenſione operis Gallici de funeribus Romanorum, Græcorum, aliarumque nationum, autore *Claudio Guichardo* jam anno 1581 editi, cujus compendium titulo *Libitina* elaboraſſe refert *Franciſcum Pompejum* Soc. Jeſu. Allegat etiam *Colomberii Theſaurum honoris*, ejusque partem de ſepulturis nobilibus, & celebre *P. Aringhæ* opus, *Romam ſubterraneam*. II. catalogum deſcriptionum de illuſtribus funeribus, in variis regionibus Europæ celebratis inſerit, inter quæ pauca quædam ex Germania reperiuntur, pluribus quæ lingua patria deſcripta habemus omiſſis. III. diſtinguit ornatum *conſuetum*, in pannorum tenſione & cereis fere conſiſtentem, & *eminentiorem* atque *illuſtriorem*, ad quem *Picturæ*,

Digitized by Google

Inſcriptiones, *Emblemata*, *Mauſolea*, *Lecti funebres*, *Capellæ ardentes*, & alia, quæ luctui conveniunt, & tamen magnifica & ſplendida ſunt, adhibentur. Nam modeſtiæ & parſimoniæ, quæ vivos deceat, in celebrandis eminentibus virtutibus poſt mortem, non æque locum eſſe, nec eo prætextu ſumptibus parci debere contendit. IV. multa monet de delectu materiæ, ſive de inventione ad ornatum, ejusque fontibus ſive capitibus. Cum vero pleræque exornationes in templis fiant, ad Chriſtianam diſciplinam reſpiciendum eſſe docet, nec ex profanis fabulis & poematibus aſſumenda eſſe ornamentorum argumenta, quanquam extra templa, in collegiis puta Academicis, ſimilibusque locis id fieri poſſit. Cæterum non deeſſe, unde illa hauriantur; Defunctorum nempe nomina, dignitates, ætatem, genus, nationem, virtutes, affectus, alia, ex quibus quanto plura conjungantur, obſervata gravitate, & perſonarum atque locorum ratione, tanto pulchrius & mirabilius futurum, quod exhibetur. Sed ingenio opus eſſe, ut accurata, jucunda, varia & tamen ad unum ſcopum apte collimantia beneque diſpoſita, tum allegoriis & antiquitatis æmulatione expolita repræſententur, utque formæ & ſimulacra magnificum & elegans aliquid habeant, v. g. figuram *templorum*, *pyramidum*, *altarium*, *trophæorum*, *palatiorum*, *cœli & aſtrorum*; ſententiæ denique ex ſacris & aliis autoribus cum judicio depromptæ accedant. V. diſpoſitionem ſive ordinem quod attinet, eum vel *naturalem & neceſſarium* eſſe ait, v. g. ſi geſta defuncti ſive hiſtoriam vitæ ejus exhibere velis, vel *arbitrarium*. Ut autem error evitetur, homine literato & architecto non vulgari, tum operariis peritis utendum eſſe. VI. inventionum fontes ulterius perſequitur, & poſt ſacras literas, unde plurima peti poſſunt, lectioni bonorum autorum, qui de funeribus ſcripſerunt, aut parentationes proſa vel ligata oratione compoſuerunt, incumbendum eſſe monet. VII. partes ornatuum & ceremoniarum indicat, & cum in exequiis illuſtribus eminentioribus *Invitatio*, *Conductus*, *Sacrum Eccleſiaſticum*, *Concentus Muſicus*, *Elogia*, & *Sepultura* denique ipſa requirantur, (de quibus alio libro acturum ſe eſſe ſpem facit,) ad actuum iſtorum diverſitatem exornationes etiam accommodandas eſſe oſtendit. Agit porro de ſtructuris ſive plane novis, ſive intra templa & ædes ſacras erectis. VIII. de *Frontiſpiciis* ſive introitu ſpeciatim; IX. de *ornatu luminum*, cui in templis locus eſt;

X. de

X. de figuris, quales ſunt *effigies, ſtatuæ, ſimulacra* ſive icones virtutum, *picturæ, ſculpturæq;* hiſtoriarum, *emblemata, lemmata, ſymbola, inſignia*; XI. de inſcriptionibus, earumque fontibus ſacris & profanis; XII. de *Mauſoleis, Capellis ardentibus* ſive caſtris doloris, quæ Italis *Catafalci* dicuntur, utque iſta ex veterum Mauſoleis, rogis, cenotaphiis & lectis funebribus inventa & compoſita ſint, pro perſonarum diverſitate, prout in ſacra vel politica dignitate, literis aut armis clari vixerunt; XIII. de ornatu altarium & fornicum templi, debita cum gravitate præſtando; XIV. de epilogis ſive cohortationibus ad abeuntes, poſt peractas exequias directis, quæ capita omnia egregiis exemplis illuſtrantur. In fine promittit ſe de exornatione templorum in ſolennitatibus Eccleſiaſticis tractaturum eſſe alio libro. Notari meretur, quod principio hujus opuſculi Autor catalogum omnium in hoc genere a ſe editorum librorum & tractatuum præmiſit, quorum numerus ad LVII aſcendit, quique omnes præter unum Gallice ſcripti ſunt: Latinus enim eſt quem anno 1663 editum refert, titulo: *Novæ & veteris Eloquentiæ placita ex antiquis & recentioribus Rhetoribus depromta, & nova methodo unum in corpus digeſta.* Ex Gallicis vero in Acta noſtra relati ſunt *Tractatus de Dramatibus Muſicis* anno 1682. p. 226. & anno 1683. *de philoſophia imaginum.* p. 17. & 344. tum *de diverſis nobilitatis generibus* p. 51. & 250. hoc vero anno p. 113 de *Equeſtri nobilitate.* Nam quos in Actis 1683, p. 238, 261 & 412 recenſuimus, in indice iſto non habentur.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ Θεοφίλȣ Ἀντιοχέων Ἐπισκόπȣ πρὸς Αὐτόλυκον Βιϐλία γ.

S. Theophili Epiſcopi Antiocheni ad Autolycum libri tres recogniti & notis illuſtrati.

Oxonii e theatro Sheldoniano 1684 in 12.

THeophili Antiocheni Epiſcopi libros ad Autolycum pro Chriſtiana religione ſcriptos Tiguri A. C. 1546 cum Maximi & Antonii locis communibus *Conradus Clauſerus*, Baſileæ A. C. 1555 in monumentis orthodoxographis *Johannes Heroldus*, Lutetiæ A. C. 1624 in auctario G. L. bibliothecæ Patrum *Fronto Ducæus*, & ibidem A. C.

1636

Digitized by Google

1636 cum Juſtino Martyre, Athenagora, Tatiano, & Hermia *Federicus Morellius* ediderunt. Cum vero inſigne illud opus paſſim mendoſum & hiulcum deprehenderetur, non defuit in Anglia ingeniorum ad promovendam rem literariam natorum feraciſſima, qui ut omnia, quantum fieri poſſet, integritati ſuæ reſtituerentur, nulli operæ pepercit. Is enim manuſcripto codice Bodlejano aliisque ſubſidiis adhibitis menda ſuſtulit, lacunas ſupplevit, verſionem Latinam, ubi Græco textui e regione poſito minus conformis eſſet, immutavit, & adjectis, ubi opus viſum, notis hos Theophili libros, ſacra & profana eruditione inſtructiſſimos & ipſa antiquitate venerandos, denuo typis imprimi curavit. Ad calcem libelli velut in tabella exhibetur temporum ſupputatio, qualem in his libris Theophilus adornavit, qui præ Juſtino & cæteris ejus ævi ſcriptoribus, Chriſtianam religionem adverſus gentilium calumnias tuentibus, hoc peculiare habet, quod gentiliſmi fundamenta chronologicis rationibus evertat.

TWO EXERCITATIONS: THE FIRST ATTEMPting to demonſtrate, that the Jevvs till after the return from the Captivity of Babylon vvere not allovved the publick and promiſcuous uſe of the Canonical Books of the old Teſtament: the Second concerning the true pronunciation of the Tetragrammaton among the Jevvs &c. by John Turner, Fellovv of Chriſts College in Cambridge.

ſive

Joh. Turneri, Socii in Collegio Chriſti, quod Cantabrigiæ eſt, Exercitationes duæ: quarum prima probare nititur, Judæis poſt reditum usque ex captivitate Babylonica non fuiſſe conceſſum uſum publicum ac promiſcuum librorum Canonicorum veteris teſtamenti: altera agit de vera pronunciatione Nominis Tetragrammati inter Judæos &c.

Londini apud Gualt. Kettelby, 1684. in 4.

Quid

QUid duabus hiſce diſſertationibus pertractet Autor, titulus ipſe ſatis loquitur. Et prima quidem oppoſita eſt Rabbinis, perhibentibus hinc inde in ſcriptis ſuis, quemlibet in veteri Judaica eccleſia obſtrictum fuiſſe, exemplar Legis pro captu proprio ſibi deſcribere: quod aſſertum non falſitatis ſolum arguit *Turnerus*, ſed & inſuper evincere allaborat; ne permiſſum quidem ulli ex plebejis tum fuiſſe, proprium legis exemplar ad uſum privatæ lectionis penes ſe habere, inde a Moſis ævo usque ad Eſaiæ tempora, imo diutius adhuc, donec Verſio 70 Interpretum completa pedetentim in communem uſum tranſiret. Initio ergo removet locum *Devt. 11. v. 20.* vulgo hanc in rem allegari ſolitum: ubi ſcilicet Iſraelitæ jubentur verba legis portis ac poſtibus domuum ſuarum inſcribere: quem textum de ſcriptione proprie dicta accipi poſſe negat, nec de tota lege Moſaica ibi ſermonem eſſe exiſtimat. Inde rationes proponit, quibus aſſertum ſuum fulciat. Et *primo* quidem urget parcum iſtis temporibus literarum uſum, apud Judæos æque ac alias gentes, quodque tum vel ex ſola peritia ſcribendi legendique, (Legem inprimis ad ductum traditionis a majoribus acceptæ,) aptus quis judicatus fuerit ſupremis in Republ. dignitatibus gerendis: unde factum exiſtimat, quod non ſono tantum *Sopher* & *Shophet* apud Hebræos multum conveniant, ſed reipſa etiam Scriba pro Judice ſæpius accipiatur, quodque vox ſcribæ in veteri quidem teſtamento ſæpiuſcule, in novo vero ſemper virum ſummæ autoritatis atque dignitatis ſignificet. *Secundo* allegat, magnam legis partem non ad plebem, ſed unice ad ſacerdotes pertinuiſſe: hujus proinde cognitionem non niſi impedimento futuram fuiſſe hominibus ſimplicioribus in percipiendis ac retinendis attentius iis, quæ propius ad eos ſpectarent. *Tertio*, quædam in lege contineri, quorum inveſtigatio non tantum haud proficua fuiſſet plebejis hominibus, ſed etiam tentare eos quodammodo & incitare potuiſſet, natura ſcilicet ſemper in vetitum nitente, ad faciendum periculum eorum, quæ lege ipſis interdicebantur, ſub pœna etiam capitali; qualis v. g. fuit compoſitio unguenti & ſuffimenti ſancti. *Quarto* adducit tam frequentem inter Judæos idololatriam, quodque toties ab hac tanquam epidemica lue liberati, toties nihilominus in eandem reciderint, non obſtantibus minis iſtis atrociſſimis, quibus Deus crimen hoc in verbo ſuo prohibuerat: id quod ne-

quaquam fieri potuiſſe arguit, ſi populus ille tam familiarem Legis habuiſſet cognitionem. Ex quo decidi poſſe ſtatuit, quare toties ante, nunquam vero poſt captivitatem Babylonicam Judæi in idololatriam relapſi fuerint: ſcilicet devia iſta cautius evitari cœpiſſe, poſtquam, reſtituto per Esdram & Nehemiam cultu, jam lex divina tam Judæis, quam ethnicis mediante verſione 70 Interpretum apertius pateret. *Quinto* pro ratione affert Autor, quod *Nehem. 8. v. 2. ſeqq.* populus legatur Esdram rogaſſe, ut librum legis in medium proferret, quodque hic præter lectionem etiam neceſſe habuerit eandem explanare, quodque tanta legis ignorantia populum cepiſſe deprehenſa tum fuerit, ut ne quidem feſtorum inibi ordinatorum recordarentur; id quod fieri non potuiſſet, ſi antea tam frequens apud ipſos legis cognitio viguiſſet, maxime cum multi adhuc inter eos tum reperirentur, qui templum prius ejusque ſtructuram meminerant vidiſſe. *Sexto* ex antiquitate conſtare dicit, myſteria religionis apud omnes fere gentes ſolis Sacerdotibus commiſſa fuiſſe, libroſque, in quibus ea continerentur, hiſce ſolis patuiſſe; eo quod vel omnis literarum uſus apud hierophantas iſtos unice reſideret, aut certe hi charactere a populari ſcriptione omnino diſcrepante ad eas res conſignandas uterentur; id quod in ſpecie de Ammonitis & Ægyptiis, tanquam Palæſtinæ vicinis populis probat. Ut ad horum itaque in divinis ſic omnino cœcutientium ſacra tranſirent Iſraelitæ, fieri potuiſſe negat, ſi ipſi tam planam & familiarem divinæ legis cognitionem penes ſe habuiſſent; idem enim alioqui fuiſſe, ac ſi ſe ex meridiana luce in profundiſſimam noctis caliginem conſulto præcipitaſſent. *Septimo* pro ſe allegat locum ex *Malach. 2. v. 4. & 7.* ubi lex appelletur fœdus cum Levi, non autem cum toto Iſraele: maxime quod addatur, Sacerdotis labia cuſtodire debere ſcientiam, & ex ejus ore legem quærendam eſſe. Quinimo occaſione hujus textus autor in ſequentibus colligit, non plebi tantum, ſed maximæ etiam parti Levitarum denegatam fuiſſe promiſcuam Legis inſpectionem, verum hanc, & ejus quidem non authenticum ſolum, ſed & exempla alia maxime emendata, tanquam pretioſiſſimum depoſitum apud ſolam Aaronis familiam reſediſſe atque cuſtodiri debuiſſe. *Octavo* ait, antiquiſſimis temporibus ſacrum codicem Hebraicum unice ex conſonantibus conſtitiſſe; citat etiam hanc in rem *Iſ. Voſſium*, teſtantem

Digitized by Google

ſtantem ſe inter duo millia, quæ viderit, exemplarium S. Codicis Hebraici, ne unicum quidem reperiſſe exemplum punctis ſeu vocalibus inſtructum, quod antiquitate 600 annos tranſcenderet. Qua hypotheſi ſuppoſita, conſiderare jubet, quam diverſi ſenſus ex iisdem vocibus mediante diverſa punctatione educi queant; adeo, ut ſi cuilibet commiſſum fuiſſet legis exemplar ſibi deſcribere, fieri non potuerit, quin populus iſte, in factiones alioqui nimis proclivis, in tot ſubinde ſectas ſcinderetur, quot poſſibiles in quolibet textu dari potuiſſent modi eundem punctandi. Quibus ita ſtabilitis, fatetur tamen, conſultum non eſſe, ut Bibliorum lectio vulgo nunc quoque interdicatur: cum apud nos non tanta, ut dicto modo apud Judæos olim, ex eorum lectione incommoda metuenda ſint: & ſi quæ adhuc eandem comitentur, ea aut per leges civiles ſatis compeſci queant, aut certe majore inde reſultante utilitate abunde compenſentur. Atque hæc de prima Autoris noſtri diſſertatione dicta ſufficiant.

Sequitur altera, ubi in aliam non minus vulgatam Judæorum traditionem inquirit, qua perhibent nimirum, nomen Dei, quod tetragrammaton vulgo audit, vix absque piaculo juxta genuinas, ex quibus conſtat, literas proferri poſſe, imo veram ejus pronunciationem tantum non in totum intercidiſſe. Et primo quidem exponit, qua origine & occaſione opinio iſta primum invaluerit, cujus duplicem rationem fuiſſe autumat, partim videlicet reverentiam nominis divini, partim ſuperſtitioſam invidiam 70 Interpretum. Illius prioris intuitu ſedulo cautum fuiſſe ait, ne divinum nomen promiſcue & in vulgari ſermone a quolibet adhibitum quodammodo vileſceret; atque hanc ipſam venerationis ſpeciem Judæis cum pleriſque gentibus communem fuiſſe: quo nomine ex Græcis autoribus unum alterumque exemplum allegat jurantium quidem per Deum, ſuppreſſo tamen ejus nomine tantum *μὰ τὸν*, aut *οὐ μὰ τὸν* elliptice dicentium. Alteram rationem quod concernit, a 70 Interpretibus petitam, dicit hos ſollicite cavisse, ne id, quod apud ipſos, uti dictum, tam ſancte habebatur, notitiæ & conſpectui orbis gentilis temere exponeretur; indeq; in verſione ſua nec digrammaton, nec tetragrammaton Dei nomen propriis literis & vocalibus exprimere voluiſſe, (niſi quod nomen *Jah* in voce *ἀλληλούϊα* reliquerint, tanquam ſub compoſitione

 quodam-

Digitized by Google

quodammodo latens,) ſed ubique ejus loco tantum vocem Ἀδωναὶ aut Κύριος ſubſtituiſſe: quam ipſam putat eſſe rationem, quare Rabbini poſtea ad punctationem nominis tetragrammati non niſi vocales ex voce *Adonai* mutuo acceptas adhibere fuerint ſoliti: licet hi alioqui 70 interpretibus nil quicquam debere, ſed longe iis ſapientiores videri velint. Hoc ergo iſtorum interpretum inſtitutum in cauſa fuiſſe ait, quod nomen Dei, (ut pote quod per religioſam illam ab eo proferendo abſtinentiam jam quodammodo in animis hominum obliteratum fuerat,) ſequentibus temporibus penitus oblivioni ſit traditum. Non aliam proinde de nomine iſto notitiam fere ſupereſſe ait, quam quæ a ſolertioribus ex nonnullis antiquitatis reliquiis eruatur: quarum cum fere incurioſi ſoleant eſſe Rabbini, non mirum eſſe, quod veram ejus pronunciationem omnino intercidiſſe perhibeant, aut certe hanc ſuam ignorantiam prætextu reverentiæ obvelent. His præmiſſis jam ſolicitus eſt Autor, quodnam proprie fuerit nomen illud tetragrammaton, quod myſterii inſtar tacendum nunquam non Judæi crediderint. Qua in re tametſi antiquitatum Judaicarum ſcriptorem Joſephum penitus cœcutiiſſe ex eo colligit, quod is alicubi ſcribat, nomen illud ἐκ τεσσάρων φωνηέντων, ſeu ex quatuor vocalibus componi: confidit nihilominus alio ex ejus loco argumentum hujus rei ſatis firmum capi poſſe. Videlicet Joſephus *Lib.* 2. ubi de Moſis vocatione & ad Pharaonem ablegatione agit, poſtquam expoſuiſſet, Deum a Moſe rogatum, ut nomen ipſi ſuum ederet, ad regem efficacius convincendum, hæc verba ſubjicit: καὶ ὁ Θεὸς αὐτῷ σημαίνει τὴν ἑαυτοῦ προσηγορίαν, οὐ πρότερον εἰς ἀνθρώπους παρελθοῦσαν, περὶ ἧς οὔ μοι θέμις εἰπεῖν. Ex quo loco Autor noſter argui evidenter poſſe exiſtimat, nomen illud Dei tetragrammaton, cui ab antiquo Judæi tantam venerationem detulere, non aliud eſſe, quam *Ehjeh*; id enim a Deo tum temporis Moſi revelatum in Scriptura legi. Quod ut ulterius confirmet, ex Græca antiquitate patere ait, ſummum numen vocari ἰάω, idq; cum iſto *Ehjeh* plane pleneque convenire. Scilicet per levem hodiernæ punctationis variationem, mutato *ſegol* in *holem* fieri *Ehjoh*, quod Græcis literis expreſſum ſit ἀΐω, ceſſante ob genium linguæ media adſpiratione; ex ἀΐω vero euphoniæ gratia tranſpoſitis literis factum eſſe ἰάω. Iſtam autem vocis punctationem per *holem* antiquiorem etiam eſſe, colligere audet tum ex Punica ſalutandi formula

Avo, in Plauti Pœnulo hinc inde obvia, quam ob linguæ Punicæ cum Hebraica affinitatem exinde deducere non dubitat: tum etiam ex veterum more, quo ſternutamentum, tanquam rem divini quid habentem, venerati leguntur; eum enim ritum non alia ratione niti conjicit, quam quod ſternutans, licet præter intentionem, ſono exprimere ſoleat vocem *Ebjoh*. Hoc ergo proprie eſſe nomen illud Dei κατ᾽ ἐξοχὴν tetragrammaton dictum, quodque tanta cum cura ab antiquis Judæis celatum fuerit, exiſtimat: tametſi non diffiteatur, alteram illam & communem opinionem, quæ nomen hoc dicit eſſe *Jehvoh*, (hanc enim veram vocis punctationem atque pronunciationem eſſe ſtatuit,) jam tum Hieronymi ævo viguiſſe. Quicquid ſit, non multum inter *ehjoh* & *jehvoh* intereſſe autumat, ſed idem utrumque pondus habere, utpote ab eodem etiam fonte deſcendens, ab *havah* nempe ſeu *hajah*, cujus quidem prima Futuri ſit *ehjoh*, tertia vero perſona ejuſdem temporis *jehvoh:* nec aliam proinde inter utrumque differentiam eſſe, quam quod Dei de ſeipſo loquentis nomen proprie ſit *ehjoh*, hominum vero reſpectu de ipſo loquentium *jehvoh:* cæterum tam hoc quam illud primario quidem Dei exiſtentiam ſignare, quæ tamen implicite una ſummam ejus potentiam involvat. Verum a duobus hiſce Dei nominibus tetragrammatis nequaquam differre tertium illud contractius & digrammaton *Jah*, ſed ejuſdem cum illis virtutis atque ponderis habendum, æque etiam ac illa incommunicabile: eſſe ſcilicet *Jah* Imperativum modum ab eodem *hajah*, & idem ſignificare ac *exiſtat;* quæ ſit quaſi *vox per gratulationem agnoſcentis & adorantis exiſtentiam Dei*. Quemadmodum autem ſupra dixerat, cum *ehjoh* exacte convenire Græcum ἰάω, ita ad *jehvoh* refert ἰεύω, quod ſacrum nomen Philo Byblius citet ex Phœniciis monumentis *Sanchoniathonis*, qui illud a Jerombaale ſeu Gideone accepiſſe dicatur. Atque de hac voce ἰεύω intelligendum credit, quod ſuperius ex Joſepho allegavit, nomen Dei ex quatuor vocalibus conſiſtere. Nec alio referendum ſtatuit, quod in quibuſdam Græcorum monumentis nominis divini heptagrammati, & quidem ex ſeptem vocalibus compoſiti, fiat mentio; id enim non aliud eſſe poſſe, quam ΙΕΤΩΙΑΩ, duabus ſcilicet diſtinctis vocibus per ignorantiam Græcorum in unam conflatis. De cætero quod nomen Dei tetragrammaton, ſive de *Jehvoh*, ſive *Ehjoh* illud capias, penitus ethnicis abſconditum fuerit, id

quidem futilibus Rabbinorum nugis unice accenſendum eſſe, Autor cum Seldeno exiſtimat. Nam quod primum attinet, illud *Jeſaiæ 36.* aliquoties a Rabſake Aſſyrio prolatum legi, adeoque ei incognitum eſſe non potuiſſe: alterum vero citius fere gentilibus quam Judæis ipſis innotuiſſe, dum Deus *Exod. 3.* id expreſſe eum in finem Moſi revelaſſe perhibetur, ut id Pharaoni nunciaret. Ex hac ipſa tamen gentilium notitia inſcite a quibusdam colligi ait, Pythagoræorum Tetractyn, quam tam reverenter habuerunt, & per quam jurare etiam ſoliti leguntur, eſſe unum idemque cum nomine tetragrammato, quod a Judæis ipſi acceperint. Videlicet quaternarium numerum, quo tamen tetractyos vox maxime collimet, a Judæis nuſpiam pro ſacro aut myſtico reputatum deprehendi, ſed potius ſeptenarium, reſpectu nempe habito ad eum, qui ſex diebus mundum condidit & ſeptimo quievit. Aliam proinde viam demonſtrat Autor tetractyn iſtam explicandi, deſumptam puta a methodo Pythagoræorum myſtica, qua dogmata ſua fere per numeros certos indicare & explanare fuerint ſoliti. Delabitur hac occaſione ad alias Pythagoræ doctrinas, quarum pleraſque eo directas oſtendit, ut hominibus perſuaderet, ſibi divinitatis aliquid ineſſe: imprimis vero edocet, quo ſenſu capienda ſint, quæ de *aureo ejus femore* apud Lucianum, Laërtium, Ælianum, Porphyrium aliosque leguntur: ubi ſimul excurrit ad indagandam rationem ritus antiqui apud orientales, quo juraturi manum femori imponere fuerint conſueti: cujus rei hodienum apud Turcas veſtigia nonnulla ſupereſſe, ex Busbequio demonſtrat. Cæterum, quemadmodum ex his, quæ hactenus diximus, jam quodammodo apparet, Autorem in hac diſſertatione multum indulſiſſe conjecturis ſuis criticis: ita ſpeciatim iis paſſim utitur in origine variorum nominum antiquitatis tam Græcæ, quam Latinæ, ex Hebraicis fontibus eruenda. Sic v. g. nomina ζὰν, ζεὺς, ἰάκχος, *Janus*, a nomine Dei *Jah* deducit, uti *Juba* a *Jehvoh*: ſimiliter *Apollo* ipſi idem eſt cum *Ab beljon, pater excelſus*; *Priapus* cum *Pri Ab, pater fructuum*; *Zabrathus* cum *Jah Berith*, *Deus fœderis*; *Abibalus* cum *El Abib*, *Deus ſpicarum*; *Zamolxis* cum *Jah Moloc*, *Deus Rex*; ut alia complura hujus generis taceamus: in quibus num acu ſemper rem tetigerit, apud alios eſto judicium.

THE-

THE HISTORY OF THE OLD TESTAMENT Methodiz'd; to wich is annex'd a ſhort Hiſtory of the Jewiſh Affairs from the end of the old Teſtament to the Birth of our Saviour, by Samuel Cradock, B. D.

ſive,

Samuelis Cradocci Hiſtoria Veteris Teſtamenti methodice digeſta; cui ſubnectitur brevis Hiſtoria rerum Judaicarum a fine teſtamenti veteris usque ad nativitatem noſtri Salvatoris.

Londini, apud Thom. Simmons, 1683. in fol.

CUm non parum interſit in conſignandis æque ac memoria tenendis quibuslibet rebus geſtis, exactam temporum rationem habere, ductumque Chronologiæ non ſecus ac filum Ariadnæum ſequi: hinc Autor noſter, poſtquam veteris Teſtamenti hiſtoriam curatius concinnatam exhibere ſibi propoſuerat, in id maxime incubuit, ut genuinam annorũ ſeriem, tanquam in libris biblicis multoties poſthabitam, quantum pote reſtitueret, ac lectori ante oculos poneret. Quæ res ut eo felicius procederet, placuit ipſi totum opus in ſeptem capita ſeu totidem mundi ætates diſpeſcere, ſingulis deinde rurſus in plurimas ſectiones ſubdiviſis. Ac *prima* quidem ætas annorum 1656 a creatione mundi usque ad diluvium tendit; *ſecunda* annorum 422 in promiſſione divina Abrahamo Ure Chaldæorum facta terminatur; *tertia* annis 430 conſtans porrigitur usque ad egreſſum Iſraelis ex Ægypto; *quarta* annorum 480 finit in fundatione templi Salomonæi, uti *quinta* annorum 420 in ejusdem deſtructione & Judæ captivitate; *ſexta* non niſi 70 annis in iſta deportatione peractis abſolvitur, ac *ſeptima* tandem annos 490, adeoque 70 ſeptimanas a Daniele prædictas complexa, currit a liberatione per Cyrum facta usque ad mortem Chriſti. Utque in tenenda hac temporum ſerie Lectoris memoriæ melius ſuccurreretur, non index tantum ſingularum ſectionum præmittitur;

Digitized by Google

mittitur; ſed & inſuper adjicitur tabella chronologica, hiſtoriæ totius in ſeptem ætates diſtinctæ ſynopſin exhibens. Quum vero Autor videret, Hiſtoriam Veteris Teſtamenti ad ſeptimæ ſeu poſtremæ periodi enarrationem, non niſi notitiam ſuppeditare 99 annorum, dum ſc. in libro Nehemiæ finit, annumque adeo 32 Artaxerxis Longimani non egreditur; a quo tamen usque ad mortem Salvatoris integri 358 anni reſtant: hinc ne hiulcum hic maneret hiſtoriæ filum, conſultum judicavit, ſeriem rerum Judaicarum eousque breviter ſupplere, & aliunde ex optimis tamen autoribus contexere, atque hiſtoriæ illi appendicis loco ſubjicere. Quo in negotio id maxime egiſſe ſe profitetur, ut primo quidem commemoraret, quinam in Perſia reges ab Artaxerxe iſto usque ad Alexandrum M. tertiæ Monarchiæ fundatorem imperarint; deinde, in quot regna poſthac imperium Alexandri dilapſum fuerit, & quinam in ſingulis rerum ſint potiti, ac denique quot & quos Judæi ſummos Sacerdotes habuerint poſt reditum ex captivitate Babylonica. Et hac occaſione ſimul inſerit hiſtoriam Maccabæorum, docetque quomodo tandem horum potentia ab Herode, a Romanis rege conſtituto, abſorpta quaſi fuerit; in cujus regni annum 35 juxta Autoris computationem, nativitas Chriſti incidit. Non eſt vero, cur quis ex iis, quæ antea attulimus, colligat, in præſenti noſtra hiſtoria Veteris Teſtamenti Chronologiæ unice rationem eſſe habitam. Quin potius primarius Autoris ſcopus fuiſſe videtur, ipſum textum librorum biblicorum, (quem ſcilicet ubivis, quantum commode licuit, κατὰ πόδα ſecutus eſt,) hac occaſione explanare atque dilucidiorem reddere. Videlicet in toto hoc opere, per commodam & absque coactione decurrentem paraphraſin, dubia tollere obvia in ſacris literis, duriuſcula emollire, contrarietates conciliare, ritus quoque Judaicos, ſicut res tulit, exponere allaboravit; idque adjectis etiam, ubi nuda paraphraſis haud commode ſufficere viſa fuit, ſuccinctis in margine annotationibus. Tametſi vero in hiſtoricis tantum Scripturæ libris proponendis proprie occupatus fuerit; non tamen eapropter metricos atque propheticos omnino neglexit: ſed eorum quoque, ubi de Autoribus mentionem injicere temporum ſeries exegit, brevem analyſin ac ſciagraphiam inſimul addere proficuum exiſtimavit. Ut adeo jure dici queat, in toto Scripturæ volumine dilucidando Autorem deſudaſſe; maxime cum *Hiſtoria* etiam *Salvatoris & Apoſtolo-*

Digitized by Google

ſtolorum, *Paraphraſtos* item *omnium Epiſtolarum Apoſtolicarum*, utriusque a ſe antehac in lucem editæ mentionem in præfatione hujus operis fecerit.

JACOBI GRONOVII RESPONSIO AD CAVILLAtiones Raphaelis Fabretti.

Lugduni Batavorum, apud Jordanum Luchtmans 1685 in 8.

QUi jamdudum doctiſſimus Italiæ Abbas celebratur, *Raphael Fabrettus*, diſſertationes aliquot de *Aquaductibus* Romæ edidit. In tertia harum, poſtquam Algentianam aquam ductui illi ad viam Tuſculanam, quia Algidum rectiſſime reſpicit, applicari poſſe oſtenderat, occaſione arrepta *Jacobum Gronovium*, celeberrimum hodie Academiæ Lugduno-Batavæ Profeſſorem, refellit, quod locum Livii in libro XXVI ſe emendare jactans, *Pedum* pro *Algido* repoſuerit. Quo loco tria in eo notat: (1.) quod *Algidum* pro oppido ad radices ſui montis in via Latina jacente accipiat, cum tamen Livius in locis a Gronovio allegatis non de ipſo Algidi oppido intelligendus ſit, ſed de monte aut dorſo ejusdem non modicam extenſionem habente. (2.) quod ex Strabonis ſententia inter Albanum hinc montem, & Tuſculi inde atque Algidi juga, vallem illam profundam, (utor verbis Fabrettinis,) & per plura paſſuum millia protenſam, aperiri inficietur,& gigantea machinatione vallem claudat, & continente tractu ab urbe Tuſculo ad Albanum montem aggerem ſtupendum, ut minus, XXV ſtadiorum ducat. (3) quod locum illum Strabonis lib. V de derivatione viæ Latinæ: *Incipit via Latina ab Appia, ad ſiniſtram ab ea prope Romam deflectens, ac ſuper Tuſculanum montem tranſit inter Tuſculanum oppidum, & montem Albanum*, ut ad ſuam theſin accommodet, de tranſcenſu verticis Tuſculani interpretetur, cum tamen de ſublimi ad latera collis Tuſculani viæ Latinæ conſcenſione exponi debeat.

Gronovius autem modo laudatus, cum errorum illorum præter meritum ſe redargui a Fabretto intelligeret, non reddere reſponſi quidpiam ad incuſationes ejus, vel, ut ipſe vocat, cavillationes non potuit. Et primum quidem negat, ſe locum illum Livii cum jactantia quadam emendaſſe, cum hæc tantummodo ſcripſerit: *nihil video obſtare, quo minus & controverſiam omnem minutum iri, & a Livio ſcriptum fuiſſe*

opinarer; qua occaſione & patrem ſuum, doctisſimum virum, Joannem Fridericum Gronovium, a jactantiæ vitio, cujus eum inſimulaverat Johannes Doujatius, qui Livium in Sereniſſimi Delphini uſum edidit, vindicat. Deinde non pro *Algido Pedum* ſe repoſuiſſe ait, ſed in literis vulgatis τῶ *Algido* deliberandum ſtatuiſſe, an non lateret *ab Pedo*. In his enim omnino eſſe aliquid ſimilitudinis.

Non falſum autem tantummodo eſſe, quod ullibi prodiderit, in omnibus illis Livii locis *Algidum* ſtricte, ut Fabrettus velit, pro oppidulo montis accipiendum; ſed, ſi maxime etiam id prodiderit, loca a ſe allegata melius de oppido intelligi, quam de monte aut dorſo ejusdem, quod & locis illis denuo allatis declarat. Negat autem iterum, ſe unquam & ullibi profeſſum, ſe in Livii locis illis *Algidum* accipere de oppido; quin potius exiſtimaſſe ſe ſemper, quoties de Romanorum caſtris in Algido poſitis memoratur, nunquam illic oppidum ipſum intelligi oportere, niſi agatur de eo jam expugnato; Fabrettum autem in expoſitione hiſtoriæ Livianæ de caſtris Romanorum in Algido non ter falli, ſed quoties de eo Livius agat: imo falſam quoque ejus eſſe opinionem, montes Præneſte & Orientem æſtivum verſus ab antiquis comprehenſos ſub vocabulo Algidi: omnino enim Præneſtinos fuiſſe appellatos Livio, III, 8. Denique extra oppidum Algidum fuiſſe editum aliquod vel aptisſimum caſtris, vel quod hoſtes Romanorum conſueverint plerumque occupare; id quod probat ex Livii III, 60. *Amœna* vero *Algida*, quæ Silius deprædicet, non fuiſſe per omnes Algidi vertices, uti Fabrettus arbitratur, ſed prope ipſum Algidum oppidum; Silium præterea non implere hiſtoriæ ſinceritatem, ſed uti in omnibus, ita hac quoque in parte licentiæ poeticæ ſuæ relinquendum.

Secundum accuſationis Fabrettinæ caput erat, quod locum Strabonis non recte explicuiſſet Gronovius, & negaſſet, inter Albanum montem & Tuſculi Algidique juga vallem illam profundam aperiri. Sed Gronovius id negatum a ſe inficiatur; de progreſſu vero viæ Latinæ agentem cum Phil. Cluverio ſe dixiſſe ait, non poſſe nec debere agnoſci ullam vallem, per quam ea via inter Tuſculum vel Tuſculanos montes & Albanos duxerit; & hinc citaviſſe verba Strabonis, in quibus vallis ejus ne minima quidem mentio occurrat; ex aliis deinde citatis ex eodem ſcriptore verbis collegiſſe, illud jugum, in quo vetus fuit Tuſcu-

Tuſculum, continente tractu procurrere ab ea urbe proxime ad Albanum montem, & tunc perſpicue addidiſſe: *Ubi ſi qua humilitas diſtinxerit Tuſculanum & Albanum montes, profecto per eam via Latina non tranſiit.* Itaque non negaviſſe, vallem ibi eſſe, ſed ſollicitum fuiſſe, an via Latina per illa depreſſa inter hos montes duxerit; eo quod a Strabone, qui & integram illam viderit, & accurate deſcripſerit, longe aliud quid edoctus fuerit. Atque hic locum Strabonis prolixe excutit Gronovius, nec Fabrettum tantum, ſed & Xylandrum, quem ille ſecutus, male Strabonem explicaſſe docet. Oſtendit deinde, per αὐλῶνα τὸν κατὰ Ἄλγιδον non intelligi vallem Albanam a Livio ſemel nominatam, ut Fabrettus velit, ſed quæ media eſt inter duos tractus montanos, quorum in altero eſt Tibur ac Præneſte, in altero Tuſculum; de cætero non inficiari ſe, vallem inter Tuſculum & Albanum montem aperiri, multo minus poſt eam gigantea machinatione clauſam, continente tractu ab urbe Tuſculo ad Albanum montem aggerem ſtupendum, ut minus, XXV ſtadiorum ducere; ut & Phil. Cluverium refutet, qui Tuſculanum Ciceronis, & Crabram aquam in valle Albana perperam poſuerit.

Tertium accuſationis caput abſolvitur his verbis in Indice: *Jacobi Gronovii errores de via Latina ductu.* Item: *Latina via Tuſculum non tranſcendebat cum Gronovio.* Verum reponit Gronovius, nunquam probaturum Fabrettum, ſe de ipſo ſummo, quicunque eſſe poteſt, Tuſculani verticis tranſcenſu quidquam dixiſſe; ſed viam Latinam ſuper vel trans jugum montis Tuſculani ſupergreſſam, hoc eſt per, vel ſuper, vel trans aliquam partem eorum montium, qui Tuſculani vocabantur, fuiſſe ductam. Neque enim a Livio & Seneca per *juga* ſummos montium vertices intelligi; Strabonem etiam dixiſſe non ὑπὲρ ſed διὰ τοῦ Τουσκλανοῦ ὄρους, ut innueret, nec in ſummo colle, nec in infima radice viam illam fuiſſe actam, at in monte tamen, ſcilicet medio.

Hæc poſtquam ad objectiones tres Fabretti repoſuiſſet, cur in loco illo Livii, pro *inde Algido*, legerit *inde ab Pedo*, rationes ſuas exponit Gronovius. *Prima* eſt, quod Hannibal Romam feſtinans, Latina via per Fruſinatem, Ferentinum aliosque agros a Livio nominatim poſitos fuerit uſus, eumque adeo credibile ſit ex Lavicano non ad Algidum, utpote ambagioſa, ſed recta via in Tuſculanum agrum deveniſſe. *Se-*

cunda, quod Livius nunquam loqui ita ſoleat,niſi addita præpoſitione. Sic enim ille alibi: *a Piraeo*, *ab Dio*, *ab Ægina*, *ab Anabura*,& nusquam aliter. Addit,quod cum toties Algidi in Livio occurrat mentio,nunquam ea exhibeatur ſine prævia præpoſitione; quod vel exempla a Cluverio collecta doceant. Vero itaque ſimile non eſſe, auctorem, qui adeo ſemper ſibi conſtet, uno hoc loco ab ſeſe diſceſſiſſe. *Algido* præterea apud Livium notare non poſſe *per Algidum* vel per *Algidi montes*, quia per eos Tuſculum venire non poterat, niſi ab Præneſte veniens, cum a Lavico progreſſi recta ſtatim ab Lavicano agro ad Tuſculanos agros aut colles incurrant. *Tertia*, quod auctores nonnulli, Livius nempe,Dionyſius,& Plutarchus, in hiſtoria captorum a C.Marcio oppidorum, Lavicum & Pedum jungant, ſic ut ſemper Lavicum præcedat, & Pedum ſequatur tanquam inde non procul. Statuit igitur, Hannibalem non per Algidi montes, quæ via ordinaria non ſit,ſed potius per vallem inter Præneſtinos ac Tuſculanos montes Straboni deſcriptam, vel per hos ipſos Tuſculanos, ut potuerit, utque alii fecerint, Tuſculum adiiſſe vel *ab Pedo Tuſculum petiiſſe*.

PANTHEUM MYTHICUM, ſeu Fabuloſa Deorum Hiſtoria, auctore P. Franciſco Pomey, Societatis JEſu.

Venetiis apud Andream Poletum, 1683 in 12.

OPus paravit hic Autor, quod *Epitomen Eruditionis* inſcribere induxit animum, acturus quippe in I ejus volumine *de Diis*, in II *de Sacerdotiis & Sacrificiis*, in III *de Comitiis & Magiſtratibus*, in IV *de Nuptiarum ritibus*, in V *de Re bellica*, in VI *de Ludis & ſpectaculis*, in VII *de Menſis & Epulis*, in IIX *de Re veſtiaria*, in IX *de variis urbanæ vitæ officiis*, & in X *de Funeribus & Sepulcbris*. Et quia Romanæ res ſeculorum omnium memoria ſunt illuſtriſſimæ, idcirco *Palaophilum*, hoc eſt, antiquitatis ſtudioſum, in ipſam Romam tanquam hoſpitem inducit, per celeberrima quæque loca a *Myſtagogo* deducendum atque informandum. In hoc primo operis volumine,quod de Diis eſt,jamque Lugduni a. 1659 prodiit, Palæophilum Myſtagogus ducit in *Pantheum Mythicum*,& quoniam qui liberalium diſciplinarum peritus audire vult

vult, in Deorum Dearumque ignoratione verſari ſine dedecore non poteſt, ea omnia, quæ ad Deorum Dearumque notitiam pertinent, plane ac plene edocet.

In acceſſu ad Pantheum, Idololatriæ origo exponitur. In ingreſſu Dii in varias claſſes dividuntur, in *Majorum* puta *gentium*, *Minorum gentium*, ac *Minutorum* ſeu *Veſcorum*, quibus & *Novenſiles* adjunguntur. In Panthei vero inſpectione tres illæ Deorum claſſes in ſenas diſtribuuntur, diverſis Panthei partibus appictas. Nam I *Cœleſtes Dii ac Deæ* in fornice templi exhibentur. II *Terreſtres* in dextro pariete. III *Marini* ac *Fluviales* in ſiniſtro. IV *Inferi* in inferiori regione juxta pavimentum. V *Minuti* ſeu *Semones* ac *Miſcellanei* a fronte. VI *Adſcriptitii* vero ſeu *Indigetes* a tergo. In parte ergo prima repræſentantur *Dii cœleſtes*; Jupiter videlicet, Apollo, Mars, Mercurius, Bacchus; & *Deæ cœleſtes*, Juno, Veſta, Minerva ſeu Pallas, Venus, Latona, Bellona; colloquioque inter Palæophilum & Myſtagogum inſtituto, a Deorum & Dearum Rege, hoc eſt, Jove initium ſumitur. Jovis deſcribuntur imago, genus, facinora, nomina, & quid Jovis nomine phyſice ac moraliter ſit ſignificatum; eademqne methodus & in deſcriptione Apollinis cæterorumque Deorum ac Dearum obſervatur, ita quidem, ut & feſta in honorem illorum illarumque inſtituta memorentur. In parte II exhibentur tum *Dii Terreſtres:* Saturnus, Janus, Vulcanus, Æolus, Momus; & Deæ: Veſta, Cybele, Ceres, Muſæ, Themis; tum *Sylveſtres:* Pan, Sylvanus, Fauni, Satyri, Silenus, Priapus, Ariſtæus, Terminus; & Deæ: Diana, Pales, Flora, Feronia, Pomona & Nymphæ, quarum aliæ terreſtres, aliæ marinæ, ut & minutiora ruris numina recenſentur: Ruſina, Collina, Vallonia, Hippona, Bubona, Seja, Segetia, Runcina, Occator, Sator & Sarritor, Robigus, Stercutius, Proſerpina, Nodoſus, Voluſia, Patelina, Lacturca, Matuta, Hoſtilina, Tutelina, Pilumnus, Mellona, Fornax. In parte III *Dii marini*, Neptunus (cujus uxores ſunt Amphitrite, Salacia & Venilia) Triton, Oceanus, Nereus, Palæmon, Glaucus & Canopus; ubi & de monſtris marinis, Sirenibus, Scylla & Charybdi agitur. In parte IV. *Dii Inferi*, & quidem poſt Charontem Pluto, Plutus, Proſerpina, Parcæ, Furiæ, Nox, Mors, Somnus, Morpheus, nec non Inferorum Judices, Minos, Æacus & Rhadamantus, cum damnatis famoſisſimis Gigantibus & Titanibus,

ut & monſtris Tartareis: Centauris, Gerione, Harpyis, Gorgonibus, Lamiis, Chimæra, Sphinge &c. In parte V *Dii minores*, Penates, Lares, Genii, item Dii nuptiales, Jugatinus, Domiducus, Maturna, Virginenſis, Cinxia, Priapus ſeu Mutinus, Pertunda ſeu Partunda, Viriplaca, Matuta, Mena ac Februa; nec non Dii præſides prægnantium, Pilumnus, Intercidona, & Deverra; item parturientium, Juno Lucina, Diana, Egeria, Proſa vel Prorſa & Poſtverta, Manageneta, Latona, & Nixi Dii; & naſcentium, Janus, Opis, Naſcio, Cunia, Carmenta, Vagitanus, Levana, Rumina, Potina, Educa, Oſſilago, Carna, Nundina, Statilinus, Fabulinus, Paventia; adultorum etiam, Juventus ſeu Juventas, Agenoria, Strenua, Stimula, Horta, Quies, Murcia, Adeona & Abeona, Vibilia, Vacuna, Feſſonia, Meditrina, Vitula, Volupia, Orbana, Pellonia, Numeria, Camœna, Sentia, Angerona, Hæres Martea, Stata, Laverna, Averruncus Deus, Conſus, Catius, Volumnus & Volumna, Honorius, Ajus Locutius, Pœna & Beneficium; & denique Dii funerum, quorum princeps eſt Libitina; ſed de his Autor peculiari aget volumine. In parte VI *Dei Indigetes & adſcriptitii*, qui & Semidei ac Heroes appellantur: quales ſunt Hercules, Jaſon, Theſeus, Caſtor & Pollux, Perſeus, Æſculapius, Prometheus, Atlas, Orpheus & Amphion, Achilles, Ulyſſes, Orion, Oſiris, Apis & Serapis. Additur appendix de *Deabus Deorum effectricibus*. Et primum quidem ſiſtuntur *Virtutes Deæ* ſeu *bona Numina*, Virtus & Honor, Fides, Spes, Juſtitia, Pietas, Miſericordia, Clementia, Pudicitia, Veritas, Mens, Concordia, Pax, Salus, Libertas, Riſus, & Bonus Deus; deinde *vitia ſeu mala Numina*, Invidia, Contumelia & Impudentia, Calumnia, Fraus, Diſcordia, Furor, Fama, Fortuna, Febris, Silentium, vel Silentii Deæ Angerona & Tacita, & Deus Harpocrates. Et hic quoque ſilet Autor, ſic tamen, ut indicem rerum & verborum huic volumini primo ſubjiciat. Num vero reliqua operis utiliſſimi volumina lucem jam adſpexerint, vel adſpectura ſint, nobis quidem non conſtat.

PANTHEON ANTIQUORUM

Exhibens imagines Deorum, qui ab antiquis colebantur; olim a Vincentio Chartario Rhegienſi ex variis autoribus in unum collectum, atque Italica lingua expoſitum, nunc Lati-

Latino ſermone ab Antonio Verderio, Domino Vallisprivatæ &c. expreſſum, inque meliorem ordinem digeſtum.

Rotenburgi ad Tubarim, apud Noam de Milenau, Anno 1683, in 8.

P*Antheo Mythico* a *Franciſco Pomey*, Jeſuita non incelebri, evulgato, modoque recenſito, commodum hoc *Pantheon Antiquorum*, propter geminum plane argumentum ſubjungimus. Fabrefecit hoc primum *Vincentius Chartharius* Rhegienſis, Vir in illuſtranda antiquitate valde induſtrius, & ante ſeculum, quodque excurrit, non ſine maximo literati orbis applauſu publicavit. Nam in eo infinitorum propemodum Deorum, qui ab antiquis colebantur, imagines multiplices ex veterum ſcriptis, lapidibus ac antiquis numismatibus, in unum quaſi corpus redegit; utque id operis lectoribus tanto magis prodeſſet, ipſarum imaginum rationem explicationemque, vel ab eisdem auctoribus traditam, vel a ſe excogitatam adjunxit. Cum vero liber Italico ſermone ſcriptus cupidiſſime ab eruditis omnibus eſſet exceptus, eo quod non plurimum tantum facere ad antiquorum ſcripta, præcipue poetarum intelligenda videretur, ſed & præclara pictoribus ac poetis recentibus, omnibusque univerſim, qui de uno aliquo genere ſcribendum ſuſcepiſſent, argumenta ſuppeditaret; incredibili præterea oblectatione quadam cum eruditione conjuncta animos mirum in modum perfunderet; *Antonius Verderius*, ut opera ſua nationes omnes tantæ utilitatis fierent participes, hunc librum in Latinum ſermonem convertit, Lugdunique Gallorum A. 1581. in 4 editum, viro illuſtri *Henrico Memmio* Domino de Roiſſy &c. Chriſtianisſimi Regis Conſiliario intimo dedicavit. Librum autem non tanquam interpres convertit, verbum de verbo exprimens, ſed mutatis aut inductis quibusdam, prout decere videbatur, ſenſum reddendum, non verba appendenda curavit, præcipue cum aliud *Chartarius* in Italico ſermone, aliud *Verderius* in Latino ſpectaverit. Ab anno illo 1581 usque ad A. 1683, non alia, quod nos quidem ſciamus, libri utiliſſimi pariter atque jucundiſſimi editio intermedia in publico comparuit,

ruit. Nam anno demum, quem diximus, 1683 Rotenburgi ad Tubarim, ſed abſque ulla dedicatione & præfatione ad Lectorem, fuit recuſus. In hoc primum LXXXVIII diverſæ Deorum Dearumque imagines æri inciſæ exhibentur; deinde imaginum præmiſſarum prolixa atque erudita *Vincentii Chartarii* ab *Antonio Verderio* in Latinam linguam tranſlata ſubſequitur declaratio, & denique variarum imaginum, quæ toto libro repræſentantur, compendium juxta ordinem, quo deſcriptæ ſunt, ſubnectitur. In præfamine declarationis jam dictæ Autor, æque ac *Fr. Pomey*, de idololatriæ natalibus agit, ſed longe uberius illo ac diſertius, & maxime quidem de ſtatuarum in honorem Deorum effingi erigique ſolitarum origine. Dicit autem Ægyptios primos, uti templa & altaria, ita & ſtatuas Diis dedicaſſe, huncque poſtea morem ab Ægyptiis ad Græcos, a Græcis ad Romanos tranſiiſſe. Exponit etiam in eodem præloquio, cur Deorum effigies ad humana utplurimum corpora ſint efficta; cur item Dii variis modis ſint fabrefacti, & quæ materia ſimulacrorum id genus dedicatorum extiterit. In Declaratione ipſa Dii Deæque antiquorum hoc ordine recenſentur, cumque imaginibus ſuis, poſt præmiſſas Æternitatis imagines, explicantur: Saturnus, Janus, Apollo, Diana, Jupiter, Juno, Magna Mater, Neptunus, Pluto, Mercurius, Minerva, Bacchus, Lares, Fortuna, Cupido, Venus & Gratiæ. Nec ſimulacra tantum, ſed & ritus ac ceremoniæ, imo veterum Religio tantum non omnis ab Autore elucidatur. Et ne imperfectionis forte incuſari hic liber poſſit, cum longe major Deorum Dearumque gentilium, uti vel ex ſolo *Pomey* patet, ſit numerus, de reliquis quoque veluti per epiſodia, ſed perquam commode ac convenienter agit, v. c. in Apolline de Muſis, Juventa, Æſculapio, Hygea vel Salute & Aurora; in Diana de Lucina, Hecate, Natura & Iſide; in Jove de Pane, Fauno, Sylvano & Satyris, & de Deo Fidio; in Junone de Dea Syria, Iride, Dioſcuris ſeu Caſtore & Polluce, & de Diis nuptialibus; in Magna Matre de Diis naſcentium, de Veſta, Hera, Cerere & Bona Dea; in Neptuno de Glauco, Tritonibus, Sirenibus, Scylla, Thetide, Oceano, Eurynome, de Ventis item Borea, Auſtro, Euro, Zephyro & Flora; de fluviis Tiberi, Pado, Acheloo & Nilo, ut & de Vertumno; in Plutone de Minoe, Eurynomo, Pluto divitiarum Deo, Proſerpina, Furiis, Strigibus, Sphinge, Parcis & Charonte. In Mercurio de Pace, Concordia

Digitized by Google

dia & Fide, de Somno, Nocte & Morte, uti & de Hercule. In Minerva, de Bellona, Veritate, Opinione, Virtute, Honore, Voluptate, Angerona, Harpocrate vel Sigalione, Terrore, Pavore, Gorgonibus, Vulcano, Marte, Fama, Furore, Diſcordia & Victoria. In Baccho, de Como, Typhone, Horto & Priapo. In Laribus, de Soſipeli & Genio. In Fortuna, de Nemeſi, Juſtitia, Calumnia, Invidia, Momo, Fraude, Occaſione, Favore, Felicitate. In Cupidine, de Amoribus & Ate ſeu Calamitate; in Venere de Horis, quibus & Gratiæ mox ſubjunguntur. Nimirum ſicuti pictores tabulas omnimodis ornamentis, quæ intuentium oculos oblectare queant, conveſtiunt: ita & Autor adumbratas a ſe imagines omni pigmentorum genere diſtinxit, ut tanto majori legentium animos voluptate perfunderet. Interdum enim nomen aliquod enucleat, aliquando fabulam vel ritum ac ceremoniam interſerit, eamque vel longa interpretatione declarat, vel leviter perſtringit: nec intermittit aliquid ad Hiſtoriam pertinens attingere; omnia vero ita præſtare ſatagit, ut ſingula congruo ponat loco, lectoresque ex continua varietate oblectationem quoque continuam ſine faſtidio omni percipiant.

Optandum autem omnino, ut Rotenburgenſis hæc editio Lugdunenſi illi in omnibus fuiſſet conformata. Nam hæc vel monſtro ſimilis, ſi cum illa conferatur, videri poteſt. Nam primum in illa imagines Deorum ſuis ubique locis percommode ſunt inſertæ; in hac imagines omnes numero LXXXVIII ſine paginarum, in quibus eæ explicentur, annotatione præmittuntur: & quamvis *Verderius* ſub finem monuiſſet, Barbatam Venerem, quæ ex errore quodam ultimo loco fuerat poſita, ad locum ſuum referendam, eadem tamen & ultimo loco in hac editione ſiſtitur. Deinde in Lugdunenſi editione elegantiſſimi poetarum verſus, iique ſatis interdum prolixi, ad illuſtrandas Deorum imagines gemmarum inſtar hinc inde ſunt intertexti; in hac verſus obſtupeſcenda quadam audacia, addo & ἀφροσύνῃ τῆς διανοίας omiſſi ſunt omnes, diſcurſusque adeo doctiſſimi miſerandum in modum luxati ac mutilati. Denique Lugdunenſis illa non correctiſſima tantum eſt, ac typis elegantiſſimis exſcripta, ſed duplici etiam indice, altero imaginum, altero rerum atque verborum, quæ toto libro continentur, exornata; hæc autem mendis ſcatet quamplurimis, & indice rerum ac verborum neceſſario deſtituta eſt: ut ta-

Digitized by Google

ceamus imagines æri non tam ſcite, ut in illa editione ligno, inciſas. Sed defectus hoſce emendatior fortaſſis editio, quam liber tum ob variam eruditionem, tum ob genus dicendi non impolitum omnino promeretur, aliquando penſabit.

TRAITE' HISTORIQUE DE L' ETABLISSEMENT & des Prerogatives de l' Egliſe de Rome & de ſes Evêques. Par Monſieur Maimbourg.

i. e.

Tractatus hiſtoricus de Inſtitutione & Prærogativis Eccleſiæ Romanæ ejusque Epiſcoporum, Lud. Maimburgii.

Juxta exemplar Pariſienſe, 1685 in 8.

Autorem, ut apparet, vita citius, quam ſcribendi ardor & ſedulitas deſeret. Nam ſenio licet, ut ipſe fatetur, gravis, Tractatum hunc elaboravit, ſcopique tenax, Regis ſui zelum, in reducendis ad Eccleſiam Romano-Catholicam Reformatis, laudibus proſequens, argumentum ſumſit a Decreto Cleri Gallicani, & Edicto Regio, de Pontificia poteſtate anno 1682 promulgato. Eo enim ait doctrinam in Gallia ſtabilitam fuiſſe, qua Proteſtantibus maximum obſtaculum redeundi ad Romanam Eccleſiam ademtum fuerit; perſuaſis hucusque, Pontificiam autoritatem ſuper Eccleſiam univerſalem, ipſosque Reges & Principes evehi: quo errore ſublato promtiorem fore eorum, qui adhuc cunctantur, converſionem, & ipſi Romano Præſulatui majus beneficium exhiberi arbitratur, quam obtentis olim tot provinciis a Regibus Galliæ perceperit; regnum enim Chriſti non eſſe de hoc mundo. Oſtenſurus autem, ut profitetur, hiſtorice, & absque argumentatione & diſputandi ſubtilitate, antiquitatis fide niti Decreta Cleri & Regia, ita progreditur, ut prioribus libri capitibus quinque exponat, quodnam jus, quamque prærogativam habeant Epiſcopi ſeu Pontifices Romani, ex inſtitutione Chriſti, & conſenſu antiquitatis; utque hanc poteſtatem adverſus pro-

Digitized by Google

Proteſtantium, Calvini inprimis objectiones, oppoſitis Scripturæ & Patrum teſtimoniis tanquam legitimam tueatur. Sequitur in hoc veſtigia aliorum ſuæ profeſſionis, Gallicorum tamen theologorum maxime, qui unam eccleſiæ cathedram Romæ agnoſcunt, ſed ita, ut omnes Chriſtiani orbis epiſcopi, ob communionem cum doctrina & ſucceſſore Petri apoſtoli, partem ejus ad muneris ſui adminiſtrationem *divino jure* teneant, (quemadmodum in cathedra Moſis omnes olim ſedere dicebantur ſcribæ & doctores legis) ſalva ſcilicet capitis prærogativa, qua Romanus epiſcopus præditus eſſe ſtatuitur vi verborum Chriſti: *Tu es Petrus*. Prærogativam autem Pontificis ex verbis Concilii Florentini anno 1439 (in quo Græci cum Latinis conciliati pro tempore fuerunt,) *in primatu & jurisdictione univerſali* ita aſſerit, ut ſit *S. Petri ſucceſſor, verus Chriſti vicarius, caput totius eccleſiæ, pater & doctor omnium Chriſtianorum; poteſtatem à Chriſto ex perſona Petri habens, nutriendi, regendi & gubernandi eccleſiam univerſalem ad eum modum, qui & in actis conciliorum & in ſacris canonibus continetur.* Hanc enim clauſulam ex Græco concilii textu adverſus pravam, ut ait, *Abrahami Cretenſis* verſionem firmat, qua forma gubernationis præſcribatur; cum ex Latinæ translationis verbis: *quemadmodum etiam in Actis Conciliorum & S. Canonibus continetur*, non forma & norma regiminis, ſed id tantum innui videatur, primatum Pontificis in his ſtabilitum eſſe. Ex primatu vero ſequi ſtatuit, ut Pontifex jus habeat *reſpondendi de controverſiis fidei, & de moribus ac diſciplina fidelium, convocandi concilia, iisque per ſe aut per legatos præſidendi*, (licet aliquando id negligi poſſit, neglectumque ſit,) *Jus etiam recipiendi appellationes ab omnibus Epiſcopis, & dijudicandi cauſas majores Patriarcharum & Metropolitanorum:* quod *Agapeti* Papæ actione maxime probari poſſe putat, qui *Anthymium* Patriarcham C. P. depoſuit, *Menna* ſubſtituto; idque eo tempore, cum Roma in Gothorum poteſtatem jam delata, nec ulla externa potentia Pontifex ſubnixus eſſet. Reprehendit, quæ *Calvinus* in recenſenda hac hiſtoria, & in aliis, præſertim quando Petrum Romæ fuiſſe negavit, antiquitatis imperitia, ut ait, vel maligno propoſito erraverit, illique *Davidem Blondellum*, Doctorem Reformatum, ob eruditionem & modeſtiam longe præfert.

 Ita

Ita adſtructis, quæ Pontifici concedenda eſſe arbitratur, & rejectis ſatis acerbe Proteſtantibus, ad quæſtiones inter Romano-Catholicos controverſas accedit, easque ad quatuor capita reducit; acturus hiſtorice, & allatis antiquitatis teſtimoniis, (1) *de infallibilitate Pontificum.* (2) *de ſuperioritate ſupra eos conciliorum.* (3) *de adminiſtratione eorum ad Canones reſtricta.* (4) *De poteſtate in Imperia & regna temporali, ſive directa, ſive indirecta.* Quæſtionem de infallibilitate *cap. VI* ita format, ut diſputatione carere dicat, an Papa errare poſſit, *ut doctor particularis*, id enim a nemine negari; nec minus certum eſſe inter Catholicos, non poſſe errare, ſi tanquam caput Eccleſiæ concilio univerſali præſidens decernat; ſed hoc quæri: an falli poſſit, & ideo a concilio generali corrigi, ſi ex cathedra, adhibitis etiam Cardinalibus ſuffraganeis, Theologis, imo poſt preces & proceſſiones, matura deliberatione habita, aliquid conſtituit, & pro lege populis Chriſtianis, officii ſui jure proponit. Hoc negari tradit a majori Doctorum ultramontanorum, i. e. Italorum parte, & ſententiæ negativæ defenſores primarios fuiſſe Cardinales celeberrimos *Cajetanum, Baronium, Bellarminum:* affirmari vero ab infinito aliorum Doctorum numero, inter quos nominat veteres Doctores *Gerſonem*, *Majorem*, *Almainum*, & *Facultatem Pariſienſem* tantopere a Pontificibus laudatam, dein ex Hiſpanis *Navarrum*, *Victoriam*, *Celajam*, inſuper *Dionyſium Carthuſianum*, *Alfonſum Toſtatum*, *Thomam Illyricum*, Cardinales etiam *Cuſanum*, *Camaracenſem*, *Florentinum*, Epiſcoporum Gallicorum ſynodum, *Pium II* antequam Pontifex factus eſſet, *Adrianum Sextum* etiam poſt Pontificatum; præter plurimos in Gallia, Germania, Polonia, Belgio, qui primatum ſtrenue defendant, at infallibilitatem negent. Poſt hæc *cap. VII* rem ab ovo, ut dicitur orſus, Petri Apoſtoli lapſum a Paulo *Gal. II* notatum refert, & cum Auguſtino, Ambroſio, Cypriano, & Pelagio II Papa, adverſus excuſationes tum Hieronymi, tum maxime Baronii, ita explicat, ut omnino erraſſe Petrum & infallibilitate caruiſſe evincat; ſed rem accidiſſe notat ante Concilium Hieroſolymitanum, etiam in hoc a Baronio diſſentiens, qui Petri defenſor majori eum culpa oneraverit, ſi poſt Concilii decreta peccaſſet. Dictum vero quod contra urgent: *Rogavi pro Te Petre*, vel ad qualitatem Pontificis cum adjunctis ſibi Epiſcopis decidentis, vel ad perſonam Petri

ex

Digitized by Google

ex abnegationis peccato Chriſti precibus converſi reſtringit. *C. VIII* ex *Victoris* Papæ, cum Orientalibus & Gallicis Epiſcopis de jejunio & celebratione feſti Paſchalis certantis, hiſtoria argumentatur, Papæ infallibilitatem non agnitam fuiſſe ſeculo ſecundo ab Epiſcopis, decreta ejus recuſantibus, quorum tamen ſucceſſores autoritatem Nicæni Concilii, quod poſt annos plusquam centum Victoris ſententiam approbavit, lubentes fuerint ſecuti. *Cap. IX* idem infert ex hiſtoria *Stephani* Papæ, qui a Cypriano, in repetendo Baptiſmo converſorum ex hæreticis, diſcrepans, apud Africæ, aliarumque provinciarum Præſules nihil effecit, cum tamen iidem conciliorum decreta, Stephani ſententiam confirmantia, non recuſaverint. Cum igitur illis tribus prioribus ſeculis ne recte quidem ſentientes & ſtatuentes Pontifices pro infallibilibus habuerint Eccleſiæ, quanto minus id (ait) feciſſe putandum eſt, cum, ut *cap. X* demonſtrat, *Liberius* Papa manifeſte peccans Arianiſmo patrocinatus eſt, condemnationem Athanaſii approbans; dein (*cap. XI*) cum *Vigilius*, (de quo jam cap. VII, quia ejus lapſus exemplo Petri a Pelagio II excuſatus fuit, egerat,) *in cauſa trium Capitulorum* erraſſet, abſolvens & probans, quæ in quinta Synodo damnata & improbata fuerunt? Nec negari poſſe, (*cap. XII*) *Honorium* Papam nimio concordiæ & quietis amore in Monothelitarum negotio graviter lapſum eſſe, & propterea in Synodo ſexta memoriam ejus anathemate notatam, conſentientibus ſucceſſoribus, Leone II & Adriano II. Fruſtra autem Baronium, Bellarminum, Pighium & alios effugium in corruptis Concilii ſexti actis quærere, quæ anno 1648 *Franc. Combefiſius* Dominicanus, editis *Agathonis* Diaconi *C. P.* ſcriptis ab omni ſuſpicione vindicaverit. Addit & alia adverſus mitigationes lapſus Honoriani, & in ipſo *Breviario Romano* ex veteri editione Veneta anno 1482 *in ſecundo Nocturno d. 28 Jun. feſto Leonis II* expreſſe legi dicit: *Hic* (Leo) *ſuſcepit ſanctam ſextam Synodum, in qua damnati ſunt Cyrus & Sergius, Honorius, Pyrrhus &c.* quanquam poſteriora exemplaria nomen Honorii omiſerint. Conſtare inde dicit, ſeculo octavo & nono de fallibilitate Pontificum non eſſe in Eccleſia dubitatum. *Cap. XIII.* ſequentium Pontificum lapſus recenſet: *Clementis* puta III in *c. laudabilem*, de permittendis nuptiis fœminæ converſæ, ſi maritus in hæreſi perſiſtat, quod revocavit *Innocentius* III, ut ex MS. Cardinalis *Roberti Corzeonis* in collegio Re-

gularium S. Victoris (quod nunc Maimburgio hoſpitium præbet,) extante, luculenter commonſtrat. Sed & Innocentii hujus erratum in decreto de Confeſſionis ſecreto caſu quodam revelando, ex *Cæſarii Ciſtertienſis* relatione eruit, in concilio Lateranenſi poſtmodum correctum. Pergit ad *Bonifacii VIII* inſolentiam, in famoſa illa bulla, *Unam Sanctam*, ſupremam in Reges poteſtatem invadentis, quam in concilio Viennenſi *Clemens* V abolere non detrectaverit. Sic evidens eſſe, ſeculo XIV nihil conſtitiſſe de infallibilitate, nec magis poſtea, cum *Clemens VIII* Sixti V bullam ſupprimeret, qua Bibliorum a ſe editorum errores correctos eſſe falſo jactaverat. Regreditur *cap. XIV* ad *Johannem XXII*, qui in decrepita ætate errorem de animabus fidelium a viſione Dei ante reſurrectionem corporum remotis, Eccleſiæ obtrudere tentaverit, ad retractationem tamen Regia autoritate, ex ſententia Theologorum Pariſienſium compulſus. Fatetur ſe in tractatu *de declinatione Imperii* allaboraſſe, ut Pontificem hunc ea ratione excuſaret, quod error iſte nondum fuiſſet ab Eccleſia condemnatus; agnoſcit autem non deeſſe, quæ contrarium oſtendant. *Cap. XV* ſententiam contra infallibilitatem ex actis Pontificum ſtabilit, qui decreta ſua, v. g. quæ *Leo* M. contra Eutychem, *Leo X* adverſus Lutherum, jam pronunciaverant, concilii univerſalis cognitioni ſubmiſerunt, fruſtra id facturi, ſi ea pro oraculis habenda crediddiſſent. Quod ſi quasdam hæreſes extra concilium valide damnaverint, tribuendum id eſſe conſenſui Eccleſiarum decreta ſponte recipientium. Adducit clariſſima verba Adriani VI *ex Comment. in IV. Sentent.* cum Decanus Lovanienſis eſſet, edito, ſed in Pontificatu ejus, absque omni mutatione, denuo typis vulgato, ubi art. III de miniſt. confirm. ſcripſit: *Certum eſt, quod Pontifex poſſit errare, etiam in iis, quæ tangunt fidem, hæreſin per ſuam determinationem, vel decretalem aſſerendo.* Allegat etiam *Paulum* IV, rigidiſſimum & opinionum ſuarum & autoritatis Pontificialis aſſertorem, in congregatione ob cauſam quandam matrimonialem, Cardinales ita alloquentem: *Non dubito, quin ego & prædeceſſores mei errare aliquando potuerimus, non ſolum in hoc, ſed etiam in plurimis aliis rerum generibus.*

Jam *cap. XVI* de ſupremo conciliorum in Pontifices jure, etſi id ſublata infallibilitate per ſe pateat, differere incipit, quæſtionem ſic proponens: *Num concilium*, (ſive ei præſideat Papa, ſive non præſideat,)

deat,) *in membris ſuis unitum, ſupremam in Papam autoritatem habeat, ut hic decreta Concilii, ſe etiam diſſentiente, approbare teneatur; aut an nulla ſint iſta & irrita, niſi à Papa approbentur?* De affirmando Concilii jure ſummo, ne quæſitum quidem eſſe ait ante concilium Piſanum; ut vero id uberius demonſtret, *cap. XVII* adducto exemplo Hieroſolymitani Concilii, quod ſecutis omnibus regulæ loco eſſe debeat, ſtatuit, Spiritum Sanctum eſſe, qui in Conciliis decidat, cui proinde Pontifices omnino obedire debeant. Ideo veteres Pontifices, v. g. *Sylveſtrum* Concilii Nicæni decreta acceptantem, obſequium teſtatos eſſe, non arrogata ſibi confirmandi poteſtate, neque vocabulum illud eo tempore aliud quam obedientiam & aſſenſum ſignificaſſe, ideoque ab aliis etiam Epiſcopis eodem ſenſu in encyclicis confirmationem petitam, & ab iis præſtitam eſſe, ut exemplis allatis comprobat. *Cap. XVIII Leonis Sancti* factum refert, ſententiæ, quam contra Eutychetem jam tulerat, examen & approbationem a concilio petentis, & impetrata ea lætati. *Vigilii* vero decretum in *cauſa trium capitulorum*, etiam præſente eo & renitente a Concilio ſexto abolitum, *Martini* approbatum fuiſſe. In Donatiſtarum cauſa a *Melchiade* Papa, jam damnata, concilium demum Arelatenſe ſub Conſtantino M. convocatum, ſupremam ſententiam pronunciaſſe. Adſcribit verba Auguſtini: *Ecce putemus illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt* (i. e. Pontificem cum Epiſcopis ſuis) *non bonos judices fuiſſe: reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ univerſalis Concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari, ut, ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur:* neque obſtare, quod alibi in cauſa Pelagii ſcripſerit Auguſtinus: *Reſcripta a ſede Apoſtolica venerunt, cauſa finita eſt*; loqui enim eum de tribunali Pontificio, non excluſo Concilii ſupremo jure, quod poſtea Epheſi congregatum in eadem cauſa ultimam tulit ſententiam. *Cap. XIX* Pontificum ipſorum confeſſiones & teſtimonia congerit, *Syricii* in cauſa Meletiana, convocato jam concilio, pronunciare recuſantis: *Innocentii I* idem judicandi onus, in cauſa Chryſoſtomi defugientis, quod Concilii definitione dignam crederet: *Innocentii III*, Philippi Auguſti deſiderium, ut a conjuge Ingelberga ſepararetur, his verbis declinantis: *Non auderemus in hujuſcemodi caſu de noſtro ſenſu pro te aliquid definire. Si ſuper hoc abſque deliberatione Concilii determinare aliquid tentaremus, præter divinam offen-*

Digitized by Google

offenſam & mundanam infamiam, quam ex eo poſſemus incurrere, forſan ordinis & officii noſtri periculum immineret. Idem antea agnoviſſe in alio negotio *Agapetum* in epiſtola ad *Cæſarium Arelatenſem*, in qua decreti Synodalis autoritatem inviolabiliter a ſe cuſtodiendam eſſe profitetur. Et *Sylveſtrum* II (celeberrimum illum *Gerbertum*) *Sequino Archiepiſcopo Senonenſi* reſcribentem, Eccleſiæ ſive concilii ſupremam autoritatem candide aſſeruiſſe his verbis: *Conſtanter dico, quod ſi ipſe Romanus Epiſcopus in fratrem peccaverit, ſæpiusque admonitus, Eccleſiam non audierit, hic, inquam, Romanus Epiſcopus præcepto DEI eſt habendus ſicut ethnicus & publicanus.*

Cap. XX tertium ex quæſitis aggreditur, ut oſtendat, Pontifices in gubernatione Eccleſiæ ad canonum obſervationem obligari. Allegat *Gelaſium* Epiſcopis Dardaniæ ſcribentem: *Uniuscujusque Synodi conſtitutum, quod univerſalis Eccleſiæ probavit aſſenſus, non aliquam magis exequi ſedem præ cæteris oportet, quam primam.* Addit alia in eundem ſenſum *Celeſtini I*, *Leonis Sancti*, *Simplicii*, *Martini Sancti*, *Gregorii Magni*, Imperatrici caput vel aliam partem corporis D. Petri roganti, ſtatutorum, quæ infringi a nulla Eccleſia poſſint, robur opponentis. Taxat hac occaſione Maimburgius eos, qui brachium *Franc. Xaverii* Goa Romam miſerunt, ob violatas, ut arbitratur, leges, morte intra annum ſecuta a DEO punitos: brachium etiam, quod recens & incorruptum a corpore pariter integro avulſum fuerit, Romæ exaruiſſe, & Goam urbem in multas incidiſſe miſerias. Subjungit ex hiſtoria concilii Florentini, quæ partim ſupra tetigimus, & ut *Eugenius* Papa, in bulla Concilii, Græcorum monitu tantum *Epiſcopi* nomen præſcripſerit, & Imperatoris ac Patriarcharum conſenſum allegaverit. Jus vero diſpenſandi contra canones, a Pontificibus non niſi caſibus, quos ipſi canones præſcribunt, urgente neceſſitate & utilitate maxima, exercendum eſſe vult; alias non foret *fidelis diſpenſatio*, *ſed crudeliſſima diſſipatio*, quæ Bernardi verba ad Eugenium allegat, ut & reſponſum Cardinalium & Theologorum, a *Paulo III* anno 1536 de reformatione Eccleſiæ in conſilium adhibitorum, ubi ſcribunt: *Principium malorum inde fuiſſe, quod nonnulli Pontifices coacervaverunt ſibi Magiſtros, & prurientes auribus, ut eorum ſtudio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id, quod liberet. Pontificem eſſe Dominum beneficiorum*

ciorum

ciorum omnium. Ita quod voluntas Pontificis, qualiscunque ea fuerit, ſit regula, qua ejus operationes & actiones dirigantur. Appellationum inde ad concilia uſum, adverſus iniqua Pontificum decreta, & in Gallia & in Germania obtinuiſſe memorat, ſed promtius eſſe remedium in Gallia a provocatione ad Parlamentum, in quo Rex canonum protector judicet, & ne illi violentur, curam gerat; in quo putat maximam Eccleſiæ Gallicanæ libertatem conſiſtere. His interpoſitis *cap. XXI* ad quæſtionem de ſuperioritate concilii denuo accedit, & narrat, ut in concilio Piſano ad tollendum ſchiſma *Gregorii XII* & *Benedicti XIII* congregato, primus omnium Pontificum Gregorius iſte aſſerere auſus fuerit, Papam concilio non ſubeſſe, utque non ſolum Univerſitatis Pariſienſis nomine, ſed & aliorum qui aderant, centum & trium Theologorum, ſolenniter fuerit contradictum, & pro concilii jure poſtea decretum, exauctorato Gregorio & ſuffecto in ejus locum *Alexandro V*, qui concilii acta ratihabuit. Hujus concilii, & quod ex illo ortum & prorogatum eſt, Conſtantienſis autoritatem multis argumentis propugnat Maimburgius, exponens quomodo in hoc poſt orationem *Joh. Gerſonis*, in conſeſſu novem Cardinalium & ducentorum Epiſcoporum, aſſiſtente Imperatore & tot Regum Legatis definitum ſit, concilium eſſe ſupra Papam, non tantum ſchiſmatis, ſed omni tempore, utque poſt annos XIV idem in Baſileenſi concilio, præſidente *Eugenio* Papa, neque ulla tunc de concilii legitima poteſtate controverſia exiſtente, decretum fuerit, quamque maſculis verbis, & egregiis rationibus Patres concilii diſſolutionem molienti Pontifici anno 1432 reſtiterint, ita ut anno ſequenti Pontifex diſſolutionem edita conſtitutione revocaverit. Concludit inde, poſt duorum conciliorum univerſalium definitiones, ne diſputari quidem amplius de hac quæſtione licere. Laudat igitur *cap. XXII* Cleri Gallicani declarationem, anno 1682 pro firmitate conciliarium decretorum editam; ſed quoniam (ut ſcribit) *D. Emanuel a Schelſtraten*, vir clariſſimus & Bibliothecarius hoc tempore Vaticanus, edito libro (eſt is, cujus compendium *in Actis noſtris anno 1683. p. 591.* exhibuimus) Acta Conſtantienſia ex manuſcriptis quæ allegat, in dubium vocaverit, & decretum pro concilio ad tempus ſchiſmatis reſtrinxerit, imo revocatum eſſe per bullam ſtatuerit, refutanda ſibi ejus aſſerta eſſe exiſtimavit, idque tribus capitibus XXIII, XXIV, XXV

Ff exequi

exequi aggreſſus eſt. Summa eo redit: manuſcriptorum, quæ allegat, & numero novem eſſe memorat Schelſtratenus, autoritatem tanti non eſſe, ut ex iis falſi argui poſſint Patres Baſileenſis concilii, qui ante tot annos acta Conſtantienſia allegaverint. Errorem potius manuſcriptis imputari debere, præſertim cum alia, quorum decem ſibi viſa Maimburgius refert, cum verbis a Patribus recitatis concordent, tum ex *Petri de Alliaco* & *Johannis Gerſonis* ſcriptis indubitata teſtimonia adminiculum præbeant. Adſcribit locum inſignem ex Gerſone, cujus operum novam editionem Pariſiis meditari notat *Antonium Vionem Herovallium, Can. Reg. S. Aug.* Reſpondet etiam ad alia ab adverſario, & ante eum a Bellarmino objecta, quaſi non ſatis mature & prolixe de quæſtione illa in concilio deliberatum fuerit, quodque non adfuerit, quæ adeſſe debuerit, Epiſcoporum frequentia. Hac enim exceptione, & aliorum conciliorum, & eorum, quæ Conſtantiæ adverſus Hæreticos decreta ſunt, autoritatem periclitaturam eſſe. Abſentiam vero Pontificis non officere conciliorum autoritati, exemplo *Synodi I & V C. P.* oſtendit, quarum illa abſente *Damaſo*, hæc præſente licet, ſed ſe ſubtrahente & contradicente *Vigilio* Papa decreverit. Explicat etiam proceſſum concilii Conſtantienſis, & quid ſignificet vox *conciliariter*, utque ea nihil juvet Pontificiæ infallibilitatis aſſertores, non magis ac bulla *Martini* Papæ, quam adverſus appellationes a Pontificibus publicavit. Hanc enim ex ſententia Gerſonis ad Eccleſias particulares reſtringi debere, quibus nulla poteſtas eſt de Pontificum effatis judicandi; aliud vero competere Eccleſiæ univerſali in concilio congregatæ, quæ ſine omni dubio, S. etiam Auguſtino teſte, Romana ſuperior ſit. Et quanquam Eugenii confirmatio concilio Baſileenſi acceſſerit, deque ea nihil moveat Schelſtratenus, conciliorum tamen decreta etiam abſque illa valere, niſi quis vetuſtiſſima concilia in dubium vocare velit, & errorem *Joh. Samceni* errare, a. 1429. Pariſiis damnari, qui docuerat, omnem autoritatem decretorum in conciliis in ſolo Pontifice reſidere. Multus porro eſt, ut oſtendat Papam non eſſe dominum Eccleſiæ, ſed caput, & quidem miniſteriale, primum nempe corporis membrum, quod de ipſo S. Petro aſſeruit *Gregor. lib. 4. ep. 1.* Ejus itaque vel abſentis, vel vacantis vicem ab alio ſuſtineri poſſe, & totum majus eſſe parte; *orbem*, ut Hieronymus loquitur, *urbe* potiorem. Plus affectantes Pontifices peccare in præceptum Chriſti: *Vos* ... *au-*

autem non ſic. Tutiſſimam ſententiam eſſe, quam omnes Catholici teneant, concilia eſſe infallibilia, adeoque præferendam particulari eorum opinioni, qui Papæ infallibilitatem tribuunt. Reſpondet ad verba concilii, quod *Papa ligari non poſſit*, & ad Tridentini concilii ſtylum provocat, urgente Cardinale Lotharingo ita conceptum, ne Pontifici poteſtas in Eccleſiam univerſalem arrogetur.

Poſt iſta *cap. XXVI ad XXX*, ultimum ex quæſitis tractat, de poteſtate Pontificum in Reges & Principes, quam adulatores non ſedis ſed curiæ Romanæ, (hæc enim multum ait differre,) olim excogitaverint: neque tamen requiri facile putat, qui bullæ *Unam ſanctam*, rigorem hodie tueantur; eſſe autem, qui ſubtili modo, dum jus deponendi Reges ex cauſa religionis Pontificibus tribuunt, eodem indirecte tendant. His opponit omnia Chriſti & Apoſtolorum dicta, de obedientia Regibus & Magiſtratibus debita, & de ſpirituali regni Chriſtiani natura. Refutat *Buchananum*, qui præcepta illa ad Reges paganos reſtringat, quia iis ſine periculo reſiſti non potuerit, affertque locum notiſſimum *Tertulliani*, qui Chriſtianorum obſequium laudat, quod etſi poſſent, non repugnent. Rejicit *Bellarmini* & *Becani* explicationes dictorum: *Paſce agnos meos &c.* & *Quicquid ligaveris ſuper terram &c.* notatque *cap. XXVII* inſignem audaciam, qua Breviarium Romanum *in Feſto Petri Cathedræ* mutatum fuit. Cùm enim vetera exemplaria precatiunculam hanc habeant: *Domine qui Beato Petro Apoſtolo tuo collatis clavibus animas ligandi atque ſolvendi Pontificium tradidiſti &c.* in iis quæ ſub Clemente VIII (viventibus qui temporale jus Pontifici adſcribebant,) ut & poſtea prodierunt, vox *animas* omiſſa eſt. Affert inde Patrum teſtimonia adverſus temporalem Pontificum poteſtatem, & Bernardi allegoriam ad dictum, *Ecce duo gladii hic*, commode & ex aliis ejus ſcriptis explicari debere contendit. Pontificum etiam confeſſiones adducit, & *Gregorii* M. factum, tributum Græcorum Imperatori negantis, ita defendit, ut id non fecerit, ut Pontifex, ſed ut primarius Romæ civis, pro ſalute urbis politica. Negat *Pipino a Zacharia*, aut *Carolo* M. a *Leone* III regni & Imperii jus datum eſſe, ſed conſultum illum a proceribus Gallis conſilium dediſſe, ab hoc vero Carolum, jam ante annos quatuor Roma potitum, conſecratum eſſe, eo ſcilicet jure & ritu, quo Rex Galliæ a Rhemorum Archiepiſcopo conſecratur. At ex *Ottone Friſingenſi* ſa-

tis aperte demonſtrat, primum omnium ex Pontificibus *Gregorium Septimum* auſum eſſe Imperatores deponere, ejusque ſcriptoris verba refert: *Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius VII, armis Normanorum fretus, opibus Comitiſſæ Mathildis mulieris per Italiam potentiſſimæ confiſus, diſcordia Germanorum Principum bello civili laborantium inflammatus, præter majorum morem, contemta Imperatoris autoritate & poteſtate, cum ſummum Pontificatum obtinuiſſet, Cæſarem ipſum, a quo ſi non electus, ſaltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, ſed etiam regno imperioque privare auſus eſt. Res ante ea ſecula inaudita. Nam de fabulis, quæ de Arcadio, Anaſtaſio & Leone Iconomacho circumferuntur, nihil moror.* Quod ſi conciliorum geſta illa probantium decreta allegentur, ſciendum eſſe ait Maimburgius, ex conſtanti Catholicæ Eccleſiæ doctrina, concilia in rebus ſolummodo ſpiritualibus infallibiliter decernere poſſe, neque id jus ad ſecularia extendi debere. Tandem Eccleſiæ Gallicanæ & Academiæ Pariſienſis perpetuam ab aliquot ſeculis ſententiam adducit. *Perronii* Cardinalis dicta de poteſtate Pontificia in comitiis anno 1614 autoritate carere dicit, & id tantum a Clero tunc actum fuiſſe, ne quæſtio alieno loco & tempore tractaretur. Noviſſimum Cleri decretum anno 1682, & edictum Regis denuo deprædicat, quo maximo, ut ait, jure injunctum eſt Profeſſoribus, ut doctrinam hanc publice tradant. In epilogo mediam ſententiam ſe ſecutum eſſe dicit, inter Proteſtantium proterviam, primatum a Chriſto Pontificibus datum negantium, & errorem illorum, qui zelo indiſcreto, aut ſpe purpuræ, quam quidam obtinuerint, plus illis tribuant, quam a Chriſto conceſſum eſt. Adſcribit adverſus zelotas tales, *Leonis* Papæ & *Vincentii Lirinenſis* monita.

Prolixius hæc quam brevitas libelli exigere videbatur, enarravimus: non quod ſententia Gallicani Cleri pro conciliorum infallibilitate & in Pontifices ſuperioritate nunc demum innoteſcat, tot libris per aliquot ſecula propoſita, & nuper in *Edmundi Richerii & Joh. Launoy* ſcriptis luculentiſſime confirmata; ſed quod temporum noſtrorum conditionem reſpiciendam eſſe exiſtimavimus. An vero ſtante licet Gallorum, & aliorum paucorum ex Romana Eccleſia, qui iis adſtipulantur, ſententia, a Maimburgio ſpecioſe aſſerta, ſchiſmatis tollendi ſpes nova & ſingularis orta eſſe credi debeat, & obſtaculum

lum præcipuum amotum ſit, cum plurima de conciliorum univerſalium convocatione, ordine, regula, proceſſu, poteſtate, controverſa maneant, non eſt, ut in Actis hiſce noſtris ventilemus.

JOHANNIS MUTS,
Medicinæ Doctoris Arnhemienſis, Praxis Chirurgicæ Rationalis,
ſeu

Obſervationum Chirurgicarum ſecundum ſolida veræ philoſophiæ fundamenta reſolutarum Decades IV.

Lugduni Batavorum ap. Petrum van der Aa, 1684 in 12.

QUod Apollineæ artis coryphæus Hippocrates de Medico Philoſopho pronunciavit, nempe DEO illum eſſe æqualem, id de Chirurgo quoque præſentis Praxeos Autor affirmare nullus dubitat, modo veræ Philoſophiæ fundamento ædificium artis ſuæ ſuperſtruxerit. Intelligit autem per veram philoſophiam, non Peripateticam, quam vanam ac garrulam in dedicatione vocat, ſed Carteſianam, utpote explicandis cunctis phænomenis mire aptam ac convenientem. Adeoque quicquid operis impendit in has obſervationes, ex Carteſianis principiis reſultat: usque enim adeo illecebris hujus Philoſophi eſt captus, ut ætiologiam juxta ac curandi methodum in præſenti ſcripto exhibitorum caſuum, unice ejus ex placitis deducat. Delectatur vero præprimis doctrina ſalium; hinc maximam partem in reddendis cauſis acidum incuſat, & pro cura poſtmodum ſolis acido contrariis utitur, aut ſaltim illorum operationem juxta hanc ſuam hypotheſin explicat. Exempli loco ſit prima ſtatim obſervatio decadis primæ, de ophthalmia ex pulvere fungi orbicularis nata; in illa namque acidum hujus fungi rodens, vellicans ac conſtringens oculum, ipſi eſt cauſa, ad quod deſtruendum collyrium ex vitriolo albo, & emplaſtrum ex gummi Ammoniaco, Galbano, Sagapeno & lithargyrio, ſale nimirum contrario turgidis, adhibet. In ſecunda obſervatione, quæ ophthalmiam a cauſa interna examinat, easdem querelas de acido audies; in ſanguine etenim tale hærens, cauſa dicitur morbi,

& remedium ejus fonticulus eſt, tanquam ſolum acidum e ſanguine, excluſis aliis laudabilioribus partibus ſecernens; ſimili modo ac charta bibula oleo ebria ex mixtura aquæ ac olei hoc ſolum, & verſa vice aqua prius madefacta aquam tantum transmittit. Plura adducere exempla non vacat, quemadmodum etiam titulos reliquarum obſervationum non adſcribimus, quæ ex eodem principio theoriam æque ac praxin diverſorum affectuum ſiſtunt. Præterea curioſas quasdam obſervationes practicas deprehendes annotatas, ſcilicet de tendinis crepitu; de ulcere mirando, ova plus quam centum humore limpido plena excludente; de abſceſſu, fruſtulum fiſtulæ, qua tabacum accenſum ſugitur, continente &c. e quibus ſimili modo ac ex rationibus de operatione viribusque medicamentorum hinc & inde ab Auctore redditis, Chirurgici ſtudii tyronibus fructum pollicemur non vanum.

CHARACTER PLANTARUM NATURALIS A FIne ultimo, videlicet Fructificatione deſumtus, ac præmiſſo Fundamento Methodi genuinæ cognoſcendi plantas per Canones & Exempla digeſtus ſtudio D. Pauli Ammani.

Francofurti & Lipſiæ apud Nicol. Scipionem 1685. in 12.

EX quo clariſſimo Autori & profeſſio Botanicæ, & horti Academici cura in Philurea hac commiſſa eſt, nihil ille prius antiquiusque habuit, quam ut in tanta plantarum multitudine ac varietate propemodum infinita, quæ vel intricatiſſimi Labyrinthi inſtar videri poteſt, filo Ariadnæo quodam in erudienda juventute uti poſſet. Itaque ſusque deque habitis antiquorum Botanicorum operoſis magis, quam nervoſis voluminibus, ſequi illos induxit animum, qui methodum plane novam, eamque breviorem & naturæ ipſi conſentaneam adinvenere, *Andream* puta *Cæſalpinum*, *Fabium Columnam*, & *Robertum Moriſonium*, *Gaſtonis* antehac, Ducis Aurelianenſis, poſtea *Caroli II* Magnæ Britanniæ Regis & Academiæ Oxonienſis Botanicum. Hi enim uti plantarum cognitionem ex ipſo naturæ libro addiſci poſſe perſpe-

perſpexerant, ita valere juſſis veterum omnium ambagibus, Botanophilos ad ipſam vegetabilium fructificationem remiſere. Immortali autem præter cæteros laude mactandus eſt *Moriſonius* jam dictus. Hic enim non hallucinationes tantum *Caſpari Bauhini*, aliorumque Botanicorum, in *Horto Bleſenſi* & *Hiſtoria Oxonienſi* detexit, ſed & primus ac ſolus a tertio creationis die (id enim de ſeipſo profitetur) methodum herbarum novam & genuinam, eamque & conſtantem ſemper, & eodem ſemper modo ſe habentem, ex libro quippe naturæ mere ac mire depromtam reperit, plantas ſecundum genera & ſpecies digerens, generibusque etiam late patentibus notas eſſentiales ſuas a natura datas aſſignans; ſed qui cum Botanicam ad ſummum usque perfectionis apicem jam deduxiſſet, atque editionem reliquarum XXIV ſectionum ad complendam *Hiſtoriam Oxonienſem* moliretur, menſe Novembri anno 1683 Londini ex rheda ſubito præcipitatus, capiteque lapidi illiſo mirum quantum contuſus, paulo poſt non ſine ingenti rei Botanicæ detrimento, totiusque orbis literarii dolore mortem obiit. Hunc incomparabilem præducem nactus Autor, & ipſe *Characterem plantarum Naturalem* paucis abhinc annis in uſum botanophilorum edidit, eundemque nunc denuo, ſed interpolatum magis ac longe auctiorem, evulgavit. Eſt autem trimembris hic tractatus. Nam primum methodi hujus genuinæ fundamentum exponitur, oſtenditurque notas herbarum diſtinctivas eſſentiales neque a ſignatura externa, neque ab autoribus, qui nomina illis impoſuerunt, neque a diverſis anni temporibus ac menſium intercapedinibus, neque a loco naturali, neque a foliis, neque a qualitatibus v. g. odoribus ac ſaporibus, neque a radicibus diverſis, ſed unice a flore tanquam charactere proprio, vel potius ab ipſa fructificatione tanquam fine ultimo eſſe arceſſendas. Deinde huic fundamento regulæ naturales ſeu canones generales, quas Autor æternæ veritatis vocat, numero CCXXI, ſuperſtruuntur, & denique exempla herbarum MCCLXXVI præmiſſis canonibus accommodanda, eaque tum ex Botanicis aliis, tum ex *Moriſonii* potiſſimum *Horto Bleſenſi* & *Hiſtoria Oxonienſi* deſumta, & ſecundum ordinem alphabeticum diſpoſita ſubjiciuntur.

SUM-

Digitized by Google

SUMMA THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ, AUTORE Rogero Boyle Epiſcopo Clogherenſi.

Dublinii, Typis Regiis 1681. in 4.

THeologiæ ſtudium aggredientibus Summa hæc ſcripta eſt, ut haberent illi, quod hactenus deſiderabatur, Syſtema *Eccleſiæ Anglicanæ* ex omni parte conſonum, in quo philoſophica a theologicis, Judaica a Chriſtianis rite ſecreta eſſent, quæ alias permixta multas excitant Eccleſiæ lites; in quo puri articuli fidei Chriſtianæ, non opiniones Theologorum proponerentur & demonſtrarentur.

Opus in quinque diviſum eſt partes. In prima *Theologiæ Chriſtianæ originem* tradens, monſtrat ejus veritatem conſtare non ex cœleſti lumine ſcripturarum ſacrarum, non ex enthuſiaſmis, non ex Spiritus S. teſtimonio legentibus affuſo (quam Calviniſmi ſententiam vocat) non ab Eccleſia Romana, ſed ex ſolis miraculis Chriſti & Apoſtolorum, quæ nos ſciamus ex *Traditione Univerſali*. Pro hujus certitudine multa verba facit, ne cum Papiſtis concordare videatur, miraculorum veritatem adverſus auctorem Tractatus Theologico-Politici tuetur, & certiſſimam regulam Fidei Chriſtianæ ſtatuit: *Quæ doctrina pervenit ad nos ut Chriſtiana per traditionem univerſalem, ea eſt certiſſime doctrina Chriſtiana.*

Secunda pars agit de iis, *quæ Theologia Chriſtiana pronunciat de ſeipſa*; ut ſunt (1) ſe exhibere conſilium DEI de hominibus ad vitam æternam ducendis, patefactum per Jeſum Chriſtum; (2) ſe eſſe doctrinam rationi rectæ prorſus conſentaneam & jucundam, eique omnes ceſſuros eſſe, qui ſe dociles præbuerint auditores; (3) hanc revelationem conſilii divini per Chriſtum factam eſſe ſufficientem; (4) ſe eſſe neceſſariam, id eſt, ſe eſſe unicam magiſtram viæ ad vitam æternam; (5) ſe eſſe prædicandam omnibus hominibus; (6) ſe fuiſſe per Chriſtum & ejus Apoſtolos aliosque miniſtros omnibus prædicatam. Hic concordem Chriſtianorum ſenſum ſubjicit, de ordine promulgationis Evangelii; de Eccleſia; de obligatione ad confeſſionem doctrinæ, ubi opus eſt; de converſione innumerorum per Apoſtolos hominum, eorumque per omnes vitæ mortisque labores conſtantia; de conſervatione ejus doctrinæ a Chriſti temporibus ad noſtra; de Confeſſoribus per ſingula ſecula, qui & regionibus disjuncti & linguis

guis, nihil habuerunt commune præter religionem Chriſtianam. (7) ſe eſſe ſemper apud homines valituram, & ad finem mundi duraturam. *Media viſibilia*, quæ Chriſtus religioni ſuæ propagandæ & conſervandæ dedit, eſſe Sacros Ordines & Scripturas Sacras. Illos juxta conſtitutionem Apoſtolicam conſtare ex Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis: Regem recte nominari caput Eccleſiæ: Concilium generale procedens per modum teſtimonii & conſenſus omnium de traditis, infallibile videri; ſi procedat per modum diſceptationis, quantum ad naturam hominum, poſſe decipi. Has, ſcilicet Scripturas Sacras, non debere commendari plebejis hominibus, ut inde articulos fidei eruant, ſed ut eas legendo doctrinam receptam cognoſcant, nec claritatem in neceſſariis ad ſalutem habere ex vi phraſis, ſed ex unanimi conſenſu, quo tenetur doctrina in iis contenta. *Media inviſibilia* perpetuandæ Eccleſiæ Chriſtum promiſiſſe, tum auxilium Spiritus S. per prædicationem Evangelii operantis, tum providentiam Patris ſui. (8) puriſſimam doctrinam Evangelii multoties erroribus irrepentibus aſpergi; (9) eam tamen etiam multis erroribus fœdatam fore ſalvificam; ſcilicet ſuperſtructiones comburendas eſſe, homines ſalvandos, atque adeo hæreticis damnationem imminere, non ex deceptione, ſed ex ſuperbia & contumacia.

Tertia pars continet ea, quæ *Chriſtiana Theologia ſupponit & comprobat*; ut (1) rectum uſum rationis in homine, quem Philoſophia perficit: (2) hiſtoriam V. T. eſſe veram, cujus tres tantum periodos conſiderat; creationem mundi, lapſum primorum parentum, & electionem populi Iſraelitici. (3) legem Moſaicam fuiſſe a DEO dictatam. (4) in lege Moſis multa eſſe moralia, & Decalogo contineri totius legis moralis ſummam &c. (5) Prophetias ab Eccleſia Judaica agnitas fuiſſe effata Spiritus S. *De quibus diſſerendo paſſim monſtroſas Auctoris Tractatus Theologico-Politici opiniones refellit.*

Quarta pars *credenda a Chriſtiano* proponit, tum collective, ut habentur in Scriptura S. tribus Symbolis, & decretis quatuor primorum Conciliorum generalium, tum ſigillatim, ſcilicet myſterium Trinitatis, Incarnationis, & quæ ex Incarnatione ſunt ſecuta ſecuturave.

Quinta pars *agenda a Chriſtianis* ſeu Chriſtianam obedientiam, inculcat, explicans partim principium ejus mediatum, nimirum prædeſtinationē, partim principium immediatum, tum gratiam, tum virtutes theolo-

gicas & morales. Inde pergit ad partes obedientiæ Chriſtianæ, quæ ſunt præcepta Chriſti ſervare, precari a DEO in nomine Chriſti, adorare, laudare DEum, baptizari, celebrare frequenter Euchariſtiam, pœnitentiam agere, ceremonias præſcriptas obſervare, prædicare & audire verbum, erogare de bonis ſuis ad ſuſtentandum cultum divinum, jurare cogente neceſſitate, adjurare, vovere.

Ad finem hujus ſummæ properans, omiſit capita de Angelis, de merito bonorum operum, de libertate Chriſtiana, & alia, in ſecunda editione ea additurus.

Cæterum in gravioris momenti dogmatibus plerisque Auctor ſenſum communem Reformatis ſequitur, in quibusdam etiam relinquit & impugnat, uti cum *Prædeſtinationem ita ab æterno factam* docet, *ſicuti DEUS in tempore exequitur*, *Supralapſariorum* contra doctrinam monſtrum horrendum nuncupando; *Infralapſariorum* vero minus quidem crudelem æſtimando, ſed talem tamen, *quæ nec φιλανθρωπία DEI, nec bonori Servatoris ſatisfaciat, nec ſinceritati Apoſtolorum congruat*. Addit igitur, *DEUM*, cum velit *omnium ſalutem*, concedere omnibus media *neceſſaria & ſufficientia* ad ipſam obtinendam. Occurrunt vero & alia, quæ Romanæ Eccleſiæ placeant; ut dum *regulam fidei* ſtatuit *Traditionem*; dum *conciliationem Pauli & Jacobi* inſtituens, perhibet illum a juſtificatione excludere opera legis Moſaicæ, hunc juſtificationem adſcribere fidei & operibus Evangelicis; dum confirmationem ab Epiſcopo faciendam pro ſupplemento baptiſmi habet, & quæ talia plura. Quæ qui legent, procul dubio nobiſcum optabunt, confeſſiones & decreta Eccleſiæ Anglicanæ allegata fuiſſe, cujus in hoc opere doctrina recepta proponi perhibetur.

DAVIDIS CLERICI

in Genevenſi Academia olim Linguarum Orientalium Profeſſoris Quæſtiones Sacræ. Acceſſerunt ſimilis argumenti Diatribæ Stephani Clerici, cum annotationibus Joannis Clerici St. Filii.

Amſtelodami apud Henr. Wetſten. 1685.

Dia-

Digitized by Google

Diatribæ hoc volumine comprehenſæ eodem tempore conſcriptæ non ſunt, ſed intra plures annos ad hunc numerum pervenerunt. Nimirum *in Academia Genevenſi*, in qua Profeſſorum munere diu functi ſunt *Clerici*, mos eſt quotannis in Encæniis Academicis linguarum Orientalium & humaniorum literarum Profeſſoribus, quæſtioni propoſitæ a quopiam e diſcipulis, præſente magiſtratu, & circumſtante totius populi corona, reſpondere. In ea ſolennitate per plures annos ſuas partes ſuſtinuere viri laudati, atque ex variis eorum reſponſis illis confecit opuſculum editor *Johannes Clericus* Stephani filius.

Sunt aliquot horum reſponſorum ſexaginta ante annos pronunciata, in quibus quanquam forte legantur, quæ ab aliis diligentius poſtea excuſſa fuerunt, noluit tamen ea abeſſe Collector, conqueſtus quæſtiones aliquas, quas per triginta annos, quibus Linguæ S. Profeſſor fuit, conſcripſit, periiſſe. Quam jacturam ut aliquatenus reſarciret, ex manuſcriptis ejus in librum Pſalmorum notis quædam excerpſit, quibus exiguum quæſtionum, quæ ſupererant, numerum, additis etiam reſponſionibus ad aliquot amicorum literas, auxit.

Quæſtiones *Stephani Clerici*, Linguæ Græcæ Profeſſoris, recentiores ſunt, ſed pauciores numero; quia licet plures habuerit, cum omnes ad illuſtrationem Scripturæ non facerent, huic operi eæ tantum adjunctæ ſunt, quæ ſimilis eſſent argumenti cum fratris reſponſionibus. Reliquas, cum ejuſdem fratriſque opuſculis Criticis edendas, aſſervat Filius Collector. Qui idem cum intelligeret, lectores conqueri poſſe de nimia reſponſionum brevitate, adjecit annotatiunculas, quibus indicat ſcriptores fuſius de re aliqua agentes, vel quædam notatu digna inſtar ſupplementi affert, aliquando etiam nihil dans hac in parte vinculo conſanguinitatis arctiſſimo, errores ſuorum prodit.

His de opuſculo præmiſſis, utriusque Clerici vitæ curſum enarrat: veniam petit pro Davide Clerico, quod *horrendo dogmati de hæreticis capite plectendis* faverit, Alexandro Moro Geneva abeunti teſtimonium Paſtorum Genevenſium nomine exhibens. *Stephani* privatam induſtriam commendat, quam in caſtigandis auctoribus, a *Jacobo Godofredo* Græcæ linguæ vix mediocriter perito Græce & Latine editis, collocavit; peculiariter recenſionem Philoſtorgii laudat, quæ

 novam

novam editionem molienti utilis futura ſit, cum multa contineat ab Henrico Valeſio in editione Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum prætermiſſa.

Inter Quæſtiones XXXVI Davidis Clerici, *prima* de decimis & primitiis difficultates legum quarundam Moſaicarum enodat. *Tertia* verba Deut. XX, 17. כי האדם *quoniam homo arbor agri* exponit, inclinans ad ſenſum, quem Targumim, LXX Interpretes, & vulgata Verſio habent. In annotatione allegatur vir doctus, qui locum mendoſum putans reſcripſerit, בארמה hoc ſenſu: *quoniam in terra ſunt arbores ſylveſtres, ex quibus conſtruas machinas ad impugnandos muros*. *Septima* de antiquis Hebræorum literis prolixe diſceptat. *Octava* de accentibus Hebraicis mutilæ ſubjicitur ſententia Capelli, ex defenſione Arcani Punctationis adverſus Buxtorfium nondum edita. *Nona* vulgatam verſionem, Dan. IV, 24 defendit; *peccata tua eleemoſynis redime*, ſcil. apud homines, quemadmodum etiam Calvinus interpretatus eſt. Auctor annotationis mavult cum Grotio dicere, apud DEUM etiam redimi peccata eleemoſynis, h. e. pœnam corporalem indictam averti. Coronidis loco ad illuſtrationem verſionum Theodotionis & Hieronymi, qui צרקה vertunt *eleemoſynam*, addit annotationem H. Hammondi ad Matth. I, 19, cujus Opus ex Anglico in Latinum ſe translaturum & variis obſervationibus auctum editurum eſſe promittit. Quod promiſſum referimus, ut Virum eruditiſſimum ad exſolvendum, cui ſe in Theologorum Philologorumque emolumentum obſtrinxit, incitemus. *Decima octava* quæſtio locum Gen. VI, 3. 1. Petr. III, 18. exponit. In annotatione occurrit nova poſterioris loci interpretatio: *æterna divinitas, quæ cum JEſu Nazareno conjuncta fuit in conſummatione temporum, cælo veluti relicto ivit una cum angelis, ut Noachum moneret de inſtante diluvio, niſi homines reſipiſcerent, eumque mandatis inſtrueret.*

Quæſtiones VIII Stephani Clerici habent hæc argumenta, (1) de Monocerote, quem fabuloſum putat; (2) de verbis Eph. VI, 11. ſeqq. (3) de veneficis, quos olim exſtitiſſe & exiſtere hodie concedit, at ex ſacro Codice firmis argumentis probari poſſe negat. In annotatione Filius de veneficis noſtræ ætatis dubitat. (4) de Tireſia; (5) de Genio & angelo cuſtode; (6) de Gigantibus; (7) quare Æthiopes dicantur

cantur ἔσχατοι ἀνδρῶν. (8) de concione ante fores Regiæ habita apud Homerum, in cujus quæſtionis reſolutione, loca quædam Scripturæ illuſtrantur.

In fine annexa eſt *Davidis Clerici* Diſſertatio de variis Funambulorum generibus, quorum artem antiquam, uſu & exercitatione acquiſitam, a magiſtratu tamen non permittendam demonſtrat.

VALENTINI ESTANCEL, SOC. JESU, & Theologiæ moralis in urbe S. Salvatoris Braſiliæ Profeſſoris, Uranophilus cœleſtis peregrinus, ſive mentis uranicæ per mundum ſidereum peregrinantis Extaſes.

Proſtant Antvverpiæ, apud Michaelem Knobbaert. Gandavi anno 1685 in 4.

TRiginta circiter anni ſunt, ex quo *Athanaſius Kircherus*, ſub *Itineris Extatici* ſchemate, cœleſtis expanſi, ſiderumque errantium & inerrantium naturam, vires, proprietates, compoſitionem & ſtructuram publico ſcripto expoſuit. Tanto tum paſſim applauſu eruditorum exceptus eſt liber, ut diſtractis fere, priusquam prælum Romanum operasque eluctaretur typographicas, omnibus exemplis, ne gentibus exteris, præcipue Kircheri popularibus Germanis, tam luculenti operis uſura intercideret, eundem neceſſe fuerit *Caſparis Schotti* non ignobilis mathematici ſtudio, ſed ſcholiis & præluſionibus ab eodem exornatum, quadriennio a prima editione, anno nimirum 1660, typis denuo exſcribere. Exemplo hoc animatus præſentis libri *Autor* (gente Moravus, & matheſeos olim Pragæ atque in Olyſſiponenſi Univerſitate Magiſter; cujus Obſervationes Americanas inter Acta menſis Auguſti anno 1683, p. 350 compendio retulimus) num gemina cum Kirchero facere inſtituerit, an proprium genii ſui arbitratum, ignarus occupati a Kirchero argumenti, ſecutus fuerit, non ſatis nobis liquet. Nam nec probabile eſt, librum ab homine ſui ordinis ſtudiorumque conſcriptum Autori ignoratum; cui alia illius opera lecta ſunt & citata: neque tamen credibile, Autorem, ſi Kircheri librum

legiſſet, nullam ejus operis mentionem facturum fuiſſe, cum Kircheri ſuffragia ex aliis ejusdem monumentis in opinionum ſuarum ſubſidium non ſemel advocaverit.

Quicquid hujus ſit, par utrique Autori inſtitutum, conditiones corporum cœleſtium, & quicquid aſtronomorum ſcholis, ſed philoſophico more, hoc eſt, nullo comtu, explicari ſuetum eſt, ſtylo familiari, ad delectandum compoſito, & proinde quæſitis verborum lenociniis in amœna diverticula paſſim evagante, fictis mentis extaſibus ob oculos ponere; pari hortantium amicorum æſtu incenſum; pari utrobique occaſione, invitantis ad hanc fabulam ſomnii, utrumque inter aſtra abreptum mentiti, ſuſceptum; pari denique methodo, ſub dialogi forma, veteribus dudum philoſophis, oratoribus, poetis exculta, pertextum. Atque ut *Kircherum* Theodidactum Coſmiel, mundi ſacer Genius, per avia cœlorum ducit, deque omnipotentiæ divinæ miraculis, tanto intervallo a nobis disjunctis informat; ita Uranophilum Peregrinum, *Eſtancelium*, Geoniſbe & Urania, geminæ ſorores, terræ illa, hæc cœli ſapientiam inſinuans, ſuaviſſimæ comites circumſiſtunt: & jam in Tuſculo Braſileenſi ſuburbano laborum quotidianorum tædia docto otio fallentem, blandis confabulationum proluſionibus, non injucunda rerum varietate aſperſis, ſolantur; jam libera mentis extaſi per immenſum æthera Planetarum regias, & ſtellarum orbes luſtranti, pulchri leporis diſcurſibus cœlorum abdita recludunt.

Decem porro Extaſibus peregrinationem hanc cœleſtem abſolvit Uranophilus: quarum ſeptem prioribus ſingulis ſingulas provincias planetarias; octava, ſtellarum fixarum firmamentum; nona, cœlum empyreum; decima, ſpatia ultra mundum imaginaria obambulat, deque iis, quæ Aſtronomorum alias fatigant ingenia, corporum cœleſtium ſubſtantia, luce, magnitudine, diſtantia, motu, influxu &c. cum diſerto comite ſuo disquirit; interſertis hinc inde floſculis poeticis, Lectorem per ambages non invitum detinentibus, arduosque ſententiarum conflictus & diſcurſuum contentiones apta ſuavitate condientibus. Uti vero, quæ *Kirchero* intacta ſunt aut neglecta, *Autor* ſtudioſe ſupplere voluiſſe videri poſſet; ita non levem a Kircherianis placitis diſſenſum ſubinde Lector deprehendet: quæ enim Kirchero ter-

ro terraquea eſt Luna, Eſtancelio omni aqua exuitur; quod illi fluidum eſt firmamentum, huic partim fluidum, partim ſolidum eſt, nec aquis ſupracœleſtibus ullis circumfuſum, quas Kircherus iſthic reponit, Eſtancelius magno molimine e mundo eliminat.

STATUTA DIOECESEOS VIANENSIS ET AMETdenſis, illuſtrata Commentario Joannis Andreæ van der Muelen, JC. Ultraject. Aggeris Vianenſis Præfecti ac illius Diœceſeos Cameræ Senatoris.

Trajecti ad Rhenum, apud Joh. Ribbium, 1684 in 4.

QUandoquidem ea inprimis jura, quæ in qualibet, ubi quis degit, provincia vigent, curare atque penſi habere cuivis convenit; hinc præſentis commentarii editor, poſtquam non ita pridem Senatoris in Camera Vianenſi munus ipſi collatum fuerat, nulli rei utilius ſuam impendi poſſe operam putavit, quam ſi ejusdem regionis jura municipalia explananda ſibi ſumeret. Videlicet utraque illa diœceſis, antiquiſſimæ *Brederodiorum* genti ſubjacens, & in Hollandia meridionali ſita, tametſi paucorum milliarium ambitu comprehendatur, propriis tamen ſtatutis regitur, quæque in plerisque articulis haut parum a jure communi recedunt. Exhibentur vero ea idiomate tam Belgico, quam Latino, prout noviſſime auſpiciis *Walmvii*, Domini de Brederode & Baronis Vianæ, in ordinem redacta, ampliata, immutata & ejusdem juſſu anno 1613 in arce *Bateſteyn* publicata fuerunt. Licet autem propoſitum non ſit, univerſa illa capita, in quibus ſtatuta hæc a jure civili divortium faciunt, hic allegare: pauca tamen ex multis, eaque potiora afferre, non ab re fortaſſis erit. Docet ergo v. g. *Rubr. 1. art. 1.* ibi locorum veram bonorum communionem per nuptias inter conjuges contrahi, in tantum, ut alter ad alterius æs alienum ſolvendum teneatur, etiamſi hoc jam tum ante initum matrimonium fuerit contractum, *ib. art. 5.* Porro, quod conjux conjugi teſtamento nihil relinquere valeat de bonis ſuis, præter uſumfructum, *art. 9.* quod per matrimonium minorennes etiam ex parentum æque ac tutorum poteſtate eximantur, quamvis tum nihilomi-

Digitized by Google

hilominus quoad bonorum alienationem expectare teneantur majorennitatem, *art. 12.* quod locationes ac venditiones aliter pro validis non habeantur, niſi in ſcripturam fuerint redactæ, *rubr. 2. art. 1.* quodque emtor teneatur ſtare locationi a venditore factæ, *art. 5.* Ulterius iis in terris omnes actiones, tam perſonales, quam reales non niſi elapſo ſeculi triente præſcribuntur, *rubr. 3. art. 11.* ubi commentator noſter annotat, elapſo tali tempore non attendi præterea, num titulum aut bonam fidem præſcribens interim habuerit, nec ne. Teſtamenta ibi valide conduntur coram notario cum duobus teſtibus: legata vero & mortis cauſa donationes nulla plane indigent ſolennitate, in tantum, ut etiam clam fieri valeant, *rubr. 4. art. 1.* Duplicitas vinculi in conſanguinitate computanda non attenditur, *rubr. 5. art. 3.* Inter collaterales ſucceſſio non niſi intra decimum gradum admittitur, *art. 9.* Maſculi usque ad annum 25, fœminæ non niſi ad 20 completum minorennes reputantur, & ſub curatoribus manent. *Rubrica 10. ab art. 1. ad 13.* prolixam ſiſtit æſtimationem ſeu taxationem mulctarum pro illatis injuriis irrogandarum: ſic v. g. mendacii inculpatio 2 florenis, armorum intentatio 4, diffamatio 5, faciei conſpuitio 6, colaphus 7, teli, canthari aliusve inſtrumenti in alterum conjectio absque tamen læſione 8, percuſſio ſine ſanguine 10, cruenta 12 florenis puniri jubetur; quæ tamen mulctæ duplicantur, ſi nundinarum aut noctis tempore, item in templo, cœmiterio, loco judicii aut præſentia magiſtratus tale quid commiſſum fuiſſet. Quæ ipſæ tamen mulctæ cum ſequenti tempore nimis leves viderentur, recentiori Hedwigis Comitiſſæ de Brederode edicto, quod anno 1680 promulgatum exhibetur *pag. 308 ſeqq.* multum exaſperatæ & decuplo fere auctæ fuerunt. Adulterium duplicatum committens prima vice 200 florenis mulctatur, & functionum publicarum in ea ditione incapax declaratur: ſecunda vero vice 300 florenos ſolvit, ac in perpetuum relegatur; fœminæ eadem pœna, *ej. rubr. art. 39.* Simplex autem adulterium in viro quidem prima vice 100, ſecunda 200 cum inhabilitate ad munia capeſſenda, tertia 300 florenorum mulcta una cum perpetua relegatione punitur: fœminæ vero pœna hoc in caſu judicis arbitrio permittitur, *art. 40.* Confiſcatio bonorum in omnibus delictis capitalibus obtinet: quæ tamen, ſi in ipſa urbe Vianenſi caſus contigerit, 100 florenis redimi poteſt, *art. 42.* Furtum primum fuſti-

fuſtigatione, ſecundum eadem pœna, addita tamen ſtigmatis inuſtione, tertium laqueo punitur, *art. 43.* Commentatoris denique noſtri notas, cuilibet articulo ſubjectas quod attinet, non id tantum egit, ut ſenſum ſtatuti ex optimis quibusque legibus, rationibus, deciſionibus explanaret, ſed & in eo maxime labor ejus verſatus eſt, ut quæſtiones utiliores ac elegantiores, quæ cujusvis articuli occaſione inciderunt, diligentius ex præſtantiſſimorum autorum ſcriptis pertractaret, ac ſuo tandem calculo adjecto definiret.

JACOBI LE MORT, MED. D. LUGD. BAT. PHARmacia & Chymia Medico-Phyſica, Rationibus & Experimentis inſtructa.

Lugduni Batavorum, apud Petrum van der Aa, 1684 in 8.

CUm Pharmaciæ adeo neceſſarium intercedat cum Chymia commercium, ut illa ſubſidio hujus, niſi penitiori omni Simplicium ſic dictorum cognitione, ad quam ſola alias pyrotechnia pandit viam, penitus poſthabita, carere non poſſit; ideo, quin Autor doctiſſimus utramque artem prædictam perquam concinne combinaverit, combinatamque non absque fructu in lucem anno præterlapſo emiſerit, dubitabit nemo, cui vel ſolam ejusdem Chymiam, ante triennium ſub Compendii Chymici exhibitam titulo, cum applauſu excepiſſe fuit volupe. Etenim genuinam Artis Medicæ cynoſuram, Rationem videlicet & Experientiam, quam Autor tunc temporis, Actis noſtris menſis Jan. ſuperioris anni pag. 48. atteſtantibus, fuit inſecutus, & nunc omnino ita reſpexit, ut, præterquam quod in præfatione Pharmaciæ præpoſita erudite eam delineat, in Pharmacia tota non minus, ac in Chymia accuratum admodum lectori ſeſe ſiſtat Philoſophum. In Pharmacia ſiquidem, clare enodata hujus definitione, ante omnia quo ſtabile Arti Pharmaceuticæ ſit fundamentum, triplex hujus ſenſibile ad experientiæ Chymicæ ductum condit & exponit Principium, viſcoſum ſcilicet, ramoſum, ac terreſtre; quorum ultimum, ceu paſſivum, Chymicorum terræ damnatæ, ſicut bina priora, tanquam activa, eorundem phlegmati ſpiritu impregnato comparat & ſulphuri; differentem omnium harum particularum qualitatem activam

differenti pororum, velut minimorum canaliculorum, tranſeuntem materiam æthaream diverſimode modificantium, ſtatui ingenioſe adſcribens. Data ſic occaſione, dum ad duplicem corporum delabitur ſtatum, fluidum nempe ac ſolidum, non ſolummodo explicat, quid ramoſæ æque fluidæ, ac fluidæ viſcoſæ ſint particulæ, item quomodo fluida in ſe ſolida corpuſcula ſibi proportionata recipiant, quodque diſcrimen ſolutionem interſit ac fluiditatem; ſed & circumſtantias utrique ſtatui appropriatas ſuppeditat, modoſque diverſos, quibus vel corpus ſolidum deveniat fluidum, vel fluidum reddatur ſolidum docet, ac convenientibus exemplis illuſtrat; ita quidem, ut ex his præcognitis varias monſtret ſequelas, ad ipſam medicamentorum præparationem & compoſitionem attinentes, v. g. corporum mixturas non ſemper eundem ſtatum ſervare illæſum, ſed plurima corpora ſe invicem deſtruere vel exaltare &c. Verum Pharmacia ad debitam Simplicium præparationem, præparatorumque compoſitionem decentem primario tendente, quid ad utrumque pertineat, in toto reliquo curioſe ac prolixe evolvit contextu. Quoad Simplicia enim, poſtquam aptam horum collectionem ac aſſervationem indigitavit, vires eorundem, quas aliorum pariter ac propria experientia ſat validas deprehendit, Radicum ſcilicet, Fungorum, Corticum, Lignorum, Herbarum, Seminum, Fructuum, Farinarum, Succorum, Partium Animalium, Mineralium &c. ſpeciei diverſæ, partim deſcribit, partim quoque, quomodo varie ac commode ſecundum variam eorum texturam, vel viſcoſam, vel viſcoſo ramoſam, vel ramoſam ſimpliciter, vel terreſtrem denique, debeant præparari, ſufficienter oſtendit, in diverſam una actionem & paſſionem, quam ab occurſu aliorum corporum in mixturis patiuntur, inquirens. Sed quoad compoſita demum medicamina, horum tam bonitatem ſuggerit ex compoſitionis medicamentorum debitæ requiſitis, quam diverſorum v. g. Syruporum, Aquarum, Vinorum, Decoctorum, Conſervorum, Electuariorum, Trochiſcorum, Pulverum, Pilularum, &c. confectionem concinnam, diſtincte adeo, tantiſque tradit encheiriſibus, ut nullum nobis videatur dubium, quin hic ubique, ſicut alibi, Lectoris gratiam abunde ſit reportaturus.

In Chymia vero quam exacte Autor noſter Rationis itidem & Experientiæ innitatur fulcro, jamdum tibi, L. B. ex citato Actorum noſtro-

noſtrorum loco ſupponimus cognitum. Eadem enim, quæ tunc ſub Compendii Chymici ſchemate ab eo expoſita fuerunt, hic quoque occurrunt, triplici tantummodo acceſſione, duabus videlicet figuris furnos nonnullos ac vaſa depingentibus; dein ſermone hinc inde interſperſo, ea quæ conciſius vel obſcurius antea fuerant prolata, prolixius aut evidentius illuſtrante; Contracta denique Metallurgia, locupletata.

UBERIOR RELATIO DE COMETA Anno 1684 Romæ obſervato.

Exhibuimus ſuperiori menſe Act. pag. 189 Hiſtoriolam Cometæ, anno 1684 a Viro clariſſimo Franciſco Blanchino Romæ obſervati: cui nunc adjungimus excerpta ex literis ejusdem Blanchini ad Illuſtriſſimum Hevelium, Gedanum Idibus Julii anni 1684 ſcriptis, & ab hujus humaniſſima manu nobis ſubmiſſis: quæ cum hiſtoriam obſervationis latius exponant, non ingrata B. Lectori futura putavimus. Sic autem illæ literæ: Pridie Kalendas Julias, ſeu ſi mavis, nocte ſequenti ad diem 30 Junii ſtylo novo, dum occiduam cœli plagam inſpicerem, apparuit in aſteriſmo Virginis ſtellula quædam ſubdubia luce micans, quæ primo intuitu nebuloſa quædam videbatur. Subiit protinus animum, in illo Sidere nullam ex nebuloſis reperiri: quapropter Bayeri icones ſtatim accipiens, eamque ibi notatam non reperiens, ratus ſum Cometam eſſe: idque luculentius novi, cum teleſcopium quinque palmorum circiter in eandem dirigens, ſimilem prorſus conſpexi Cometæ ultimo, quem Veronæ anno ſuperiori detexeram prope Aſteriſmum Helicis. At cum nullum tunc temporis daretur inſtrumentum angulis menſurandis idoneum, filum extendi, ut per lineas rectas Cometæ ſitum utcunque deſignarem. Hora igitur 10. 49′ poſt meridiem Cometa erat in recta linea cum Spica Virginis, & inferiori rota ex duabus majoris plauſtri, quæ in diurna revolutione antecedunt. Illa apud Bayerum notatur littera β in ilibus Helicis. Cadebat pariter paululum ſubter lineam rectam, ductam a lucida lancis auſtralis ad eam Virginis ſtellam, quæ eſt ad *Cingulum* ♍ & Bayero inſcribitur littera δ. Subter hanc rectam lineam ad diſtantiam Semidia-

midiametri Solaris (quoad nudo oculo dijudicare poteram) reperiebatur Cometa, qui idcirco proximus erat eidem Stellæ *δ ad cingulum* ♍, ad diſtantiam circiter unius gradus cum dimidio, cum Latitudine minori, quam habeat eadem Stella 40 minut. circiter, & cum Longitudine majori uno circiter gradu, vel paulo plus.

Die prima Julii n. ſt. licet nondum Sextante uſus fuerim, locum tamen Cometæ ſatis accurate notaviſſe arbitror: apparebat enim in Teleſcopio, & ſimul cum illo Virginis Stellula, quæ apud Bayerum inſignitur littera σ, eſtque, ut ille vocat, *ſub cingulo Septentrionalis partis prima.* In Teleſcopio inferior apparebat inverſo ſitu, quare in vero ſitu ſuperior erat partibus noſtræ reticulæ 12, qualium 10½ reſpondent minutis primis 30, ut ſæpius expertus ſum. Hora obſervationis fuit 10. 40′ poſt meridiem. Diſtabat igitur ab ea Stellula verſus caudam Helicis 32′. 56″. 18‴.

Die 2. Julii n. ſt. Hora 9. 35′ p. m. per lineas rectas tantummodo hac etiam nocte Cometæ ſitum notavi. Duco lineam rectam per Arcturum, & Stellam Virginis, quæ Bayero audit *ſub caſtula* ♍: Cometa vergit ad lævam hujusce lineæ, per Semidiametri Solaris menſuram, vel paulo plus. Duco pariter rectam per Spicam ♍ & per extremam caudæ Helicis, Bayero η: Cometa eſt ſuperior hac linea ⅗ circiter Solaris Diametri, vel paulo minus, h. e. min. 18 circiter. Si ducas rectam lineam per Caudam ♌ & Vindemiatricem ♍ (ε Bayero) hæc linea continuata tranſit per Cometam.

Die 3. Julii n. ſt. Sextante, cui non ſatis fido, diſtantiam Cometæ exploravimus, quæ cum non adeo certa ſit, exulet ab hiſce litteris. Lineas rectas de more proferam. Ducatur igitur per Stellam Bootis ξ, quæ eſt in dextra tibia, & per Vindemiatricem ♍ recta linea, in quam & cadit Cometes. Ducatur alia per Arcturum & per δ Virginis, cui lineæ Cometes erit ad dexteram per ſemigradum circiter. Tertiam quoque duximus a lucida Coronæ Boreæ ad eandem δ Virginis, qua linea Cometa erat lævior fere tantundem, quantum ſuperiori dexterior.

Die 4 Julii, Sextante cujus radius palmorum circiter 5, Arcturi elevationem ab Horizonte notavimus, quæ erat grad. 45. 15′. Poſt 7′. 30″ eodem Sextante invenimus Cometam diſtare a corde Scorpii gr. 56. 0′. Poſt alia 3. 58″ Cometa diſtabat a lucida Coronæ Boreæ

gr.

gr. 25. 40′. Inito calculo comperio Cometam eſſe in gr. 15. 34′. 12″ ♎, cum Latitudine Borea gr. 23. 7′. 36″.

Die 5. Julii n. ſt. Hor. 9. 17′. p. m. Cometa eſt in concurſu duarum rectarum, quarum una ducitur a Lucida Coronæ Boreæ ad Stellam ν in ſiniſtra tibia Bootis, altera vero a lucida Lancis Boreæ ad Stellam ſecundæ magnitudinis informem, quæ eſt inter Bootem, Helicem & Comam Berenices. Sextante uti hac nocte datum non fuit.

Interea Sextantem longiorem conſtruxeram; verum quia fulcro ſatis magno indigebat, quod pariter conſtruebatur, diſtantiam Cometæ a fixis diſſitis deſumere non poteram. Die tamen 6. Julii n. ſt. hor. 9. 59′ poſt meridiem absque Sextantis ope per reticulam Cometæ ſitum inveni: apparebat enim una cum Arcturo & duabus fixis prope Arcturum, quibus etiam ex Præceptoris mei inſtitutis quidquam de Cometæ diſtantia ſtatutum iri arbitror. Fuit igitur eo momento diſtantia Arcturi a Cometa partium reticulæ 10⅗, quæ æquivalent min. primis 30. Arcturus in teleſcopio apparebat altior, quare in vero ſitu depreſſior erat. Ex Cometæ itinere comperio hora 6¼ circiter Cometam tranſiiſſe per punctum ab Arcturo verſus Helicem diſſitum non plus quam duobus minutis primis.

Die 7 Julii n. ſt. hor. 10. 36′ p. m. deſumpſi diſtantiam ab Arcturo ope Sextantis teleſcopiis muniti, quem absque baſi optime firmaveram. Erat ex diſtantia gr. 3. 8′. Diſtantias ab aliis Stellis non deſumpſi, quia Sextans ſuo fulcro, ſeu baſi adhuc carens, retineri in ſitu non patiebatur, niſi verticali. Cæterum judicaverim hanc ſufficere ad iter indagandum.

Die 8 Julii n. ſt. hor. 10. 36′ p. m. diſtantia Cometæ ab Arcturo fuit gr. 5. 24′. eodem Sextante quæſita. Satis duxi hanc unam deſumere, quia eſto Cometa fortaſſis non deſcribat circulum maximum (quod & in alio notavi) tam modice tamen ab illo deflectit, ut perinde ſit, diſtantiam Cometæ ab Arcturo deſumere ac diſtantiam ejusdem a loco, ubi fuerat die 6 Julii repetitis calculis indagare.

Die 9 Julii nondum baſis Sextantis ultimam artificis manum receperat: quare non niſi diſtantiam ab Arcturo deſumpſi, quæ fuit gr. 7. 23′. Hora obſervationis eadem cum præcedenti nocte, nempe hor. 10. 36′ p. m.

Digitized by Google

Die 10 jam perfecto Sextante diſt. Cometæ a pluribus fixis reperimus.

H. 10. 23′ Cometa diſtat ab ultima Caudæ Helicis (Bayero *η*) gr. 26. 15′. 30″.

H. 10. 30′ Cometa a lucida Coronæ Boreæ gr. 10. 56′.

H. 10. 45 Cometa ab Arcturo gr. 9. 21′. 30″.

Ad explorandam Sextantis fidem obſervavimus diſtantiam lucidæ Lyræ a lucida Coronæ Gnoſiæ, quæ fuit gr. 39. 40′. 30″.

Erat ergo Cometa, ut per calculum patet, in gr. 24. 41′. 42″ ♎, cum Lat. Bor. gr. 39. 40′. 8″.

Die 11 n. ſt. hor. min.

10. Cometa ab ultima Caudæ Helicis gr. 25. 55′. 30″.
10. 16. 30″ Cometa a lucida Coronæ Boreæ gr. 9. 22. 30.
10. 31. 30 Cometa ab Arcturo gr. 11. 1. 0.
10. 58. 0 rurſus Cometa ab ultima Caudæ Helicis gr. 25. 52′. 50″.

Inito calculo reperio Cometam in gr. 25. 44′. 15″. ♎, cum Lat. Bor. gr. 40. 49′. 13″.

Die 12 Julii n. ſt. cum dubitaremus, an per cœli copiam, (quæ ſæpe a nubibus hac nocte adimebatur,) nobis liceret obſervationibus incumbere, nullum expedivimus inſtrumentum. Ipſe tamen domum reverſus hor. 10. 37′ p. m. filum extendi per Stellam ψ Bootis, quæ *in dextera manus ſummitate præcedit*, & cum Stella σ ejuſdem Bootis, quæ *duarum in ventre ſeqvens eſt & inferior*, Cometam quoque in hac linea reperi. Cæterum Cometa efficit hac nocte triangulum Iſoſceles cum Stellulis ψ & *b* in manu dextra Bootis. Diſtat a Stellula ψ $\frac{1}{3}$ circiter diſtantiæ, quæ eſt a Stella ψ ad *ε* in eodem Boote. Eſt paulo ſuperior (nempe fere per ſemigradum) linea ducta a ψ ad *ε*.

Die 13 Julii n. ſt. Sextante conſueto deſumpſimus diſtantias,

Cometæ ab ultima caudæ Helicis gr. 25. 20′, hora 10. 14′.
Lucidæ Coronæ ab Arcturo gr. 7. 12, hora 10. 28.
Arcturi a Cometa gr. 13. 47. 30″, hor. 10. 41. 30″.

Subductis calculis erit Cometæ locus gr. 27. 22′ 52″ ♎, cum Latit. Bor. gr. 43. 5′. 22″.

Cæterum Cometa hic nulla prorſus cauda illuſtris fuit, cujusmodi

modi fere erat Cometa anni præteriti. In illo quidem aliquod caudæ veſtigium ſubdubie conſpiciebatur: in hoc prorſus nullum.

Epiſtolam ante conſcribere cupiebam, ut celerius de novo hoc phænomeno certus fieres: verum quia die 12 Julii exſpectabatur Solis Eclipſis ſatis celebris, ut Ephemerides fere omnes promiſerant, rejecimus in hoc temporis, quo poſſes utriusque apparentiæ obſervationem ſimul accipere. At fefellit nos aeris inconſtantia, quæ totam fere diem eclipſis nubibus infecit. Hora tamen 5. 45' p. m. qua juxta nonnullorum calculos adhuc perſeverare debuerat eclipſis, cum ſatis aperto cœlo daretur Solis imaginem per opticum tubum excipere, nullum eclipſeos veſtigium apparuit. Quin etiam nullam (notabilem ſaltem) aeris differentiam fuit dignoſcere horis præcedentibus, cum tamen tenebras aliquas hiſce regionibus ſatis conſpicuas ex omnium fere placito debuiſſet affundere. Quibus æquior cœli viciſſitudo faverit, nobis forſitan aliquid certi nunciabunt &c..

CHRISTOPHORI CELLARII CHALDAISMUS, Sive Grammatica nova Linguæ Chaldaicæ, copioſiſſimis exemplis & uſu multiplici, quem Chaldæa lingua Theologiæ & Sacræ Scripturæ interpretationi præſtat, illuſtrata.

Cizæ, 1685. in 4.

EDiderat annis abhinc ſeptem Philologo celeberrimo *Johanni Friſchmutho* conſecratum *Chaldaiſmum* Cl. Autor, cujus in orientalibus linguis excolendis dexteritatem dudum tum lucubrationes aliæ, tum Samaritica inprimis & Syriaca Grammatica orbi erudito comprobarunt. Poſtquam vero melius conſultum iri Chaldaiſmi amantibus perſpexiſſet, ſi præcepta ulteriora daret, eaque copioſiſſimis exemplis ſummaque fide productis, non modo ex Daniele & Eſra, ſed cumprimis etiam ex paraphraſibus, quotquot exſtant, confirmaret, commodis eorum deeſſe noluit. Inſtitutum vero ſuum exſecutus de literis & lectione; de nomine, ejusque ſtatu triplici, abſoluto, emphatico & conſtructo, anomalia & declinatione; de præfixis & ſuffixis, hisque affinibus literis paragogicis; de pronominibus ſeparatis; de verbo, & conjugationibus; de verbis defectivis & quieſcentibus; de particulis; de mutatione vocalium, & de Syntaxi Chaldæorum ſeorſim commentatur. Inprimis cap. XI de dialectis linguæ Chaldaicæ variis diligentius agit, oſtendendo, non tantum ſacris ac θεοπνεύςοις ſcriptoribus Danieli

atque

atque Eſræ ſuos eſſe idiotiſmos, ſed etiam Syram, Babyloniam, Hieroſolymitanam & Talmudicam dialectos quam maxime diſcrepare; nec tantum Scriptores Chaldæos ætatibus, verum ſermonis quoque puritate differre. Demonſtrat inſuper alios propius aliis ad dialectum Scripturæ accedere, quæ tamen totius linguæ menſura eſſe nequeat, cum perpauca Chaldaico ſtylo elaborata in Sacro codice compareant. Uſum Chaldaiſmi triplicem memorat, (poſtquam vocum Chaldaicarum originem & convenientiam cum Hebræis non minus, ac diſcrimen ab iis, ut etiam præcipua Chaldæorum propria aut ſingulari mutatione ab Hebræis diſtincta vocabula exhibuerat,) Theologicum, exemplo deſumto ex Dan. IV, 24. verbiſque authenticis cum Vulgata verſione ſedulo collatis & explicatis; Philologicum, productis locis pluribus; & Iſagogicum, in linguam tam Syram quam Samaritanam, ut eo magis ad ſtudium hujus linguæ lectorem excitet. Sicuti eadem de cauſſa Meſſiologiam ſubjungit, ex veteribus Targumiſtis, liberalius de Meſſia locutis, quam ſueverunt hodierni, collectam, ut non fruſtra in Targum locari operam pateſcat. Qua prolixiorem qui expetit Meſſiologiam Targumicam, *Buxtorffii* Lexicon Chald. Talmud. & Rabbin. in voce משיח conſulere non gravabitur. Indices in fine conſpiciuntur bini, quorum prior Anomalias, alter res notabiliores complectitur.

ΚΛΗΜΕΝΤΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΣ ΛΟΓΟΣ, ΤΙΣ Ο σωζόμενος πλούσιος.

Clementis Alexandrini liber, *Quis dives ſalutem conſequi poſſit*. Accedunt nonnulla in editionibus operum Clementis hactenus deſiderata.

Oxoniæ e theatro Sheldoniano 1683 in 12.

QUæ hoc libello continentur Clementis Alexandrini opuſcula, inter ejusdem opera a *Gentiano Herveto*, *Daniele Heinſio* & aliis conjunctim edita non comparent. Neque tamen nunc primum in lucem prodeunt. Nam librum de ſalute divitum ſub *Origenis* nomine *Michael Ghislerius* in ſuis ad Jeremiam commentariis, & *Franciſcus Combefiſius* in auctario Bibliothecæ Patrum juris publici fecerunt. Commentariola autem in priorem Petri, Judæ, & duas Johannis epiſtolas ex latina *Caſſiodori*, ut videtur, interpretatione in Patrum bibliotheca ſub adumbrationum nomine leguntur. Reliqua fragmenta partim ex *Nicetæ* Catena Græca in Jobum, partim ex Catena Græcorum Patrum in Lucam, a *Corderio* vulgata, deprompſit Autor, qui hoc operum Clementis ſupplementum typis imprimi curavit. In fine accedit hymnus, qui in manuſcripto bibliothecæ Regiæ codice Clementis Pædagogo ſubjectus deprehenditur, ab eo, quem impreſſi codices exhibent, diverſus.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anno M DC LXXXV.

R. P. PAULI CASATI PLACENTINI, Societatis Jeſu, Mechanicorum libri octo. Lugduni 1684. in 4.

OPus hoc Mechanicum inter optima huius generis numerandum videtur. Nam præterquam quod dictio pura, elegans & perſpicua eſt, laudandus eſt Autor, tum quod autoritatem Ariſtotelis & ſcholæ rationi poſthabuit; tum quod theoriam mechanicam ſubinde exemplis utilibus, ab artificum officinis, quin & a ludicris, ac re ſcenica petitis, illuſtravit. Refert, ſeſe ante plures annos quaſi prodromum emiſiſſe *de terra machinis mota*, & brevem *ſynopſin mechanicam* in Collegio Romano tradidiſſe jam anno hujus ſeculi 54. Inde ad munera ſtudiis iſtis parum affinia translatum, tandem ſupra ſpem, abſolvendo dudum deſtinato operi, otium nactum eſſe. Citat & libellum quendam ſuum *de impoſſibilitate motus in vacuo*. Geometram eſſe ſatis oſtendunt calculi & demonſtrationes, quibus ſubinde in quæſtionibus difficilioribus ſolvendis utitur: profitetur tamen ſe liberiore uſum ſtylo, quam Geometræ ſolent, argumento ita ferente.

Libro primo agit *de centro gravitatis*. Ubi poſt tradita communia præcepta, explicat rotas, quæ ſponte aſcendunt in plano inclinato, & menſuras duarum turrium inclinatarum, Bononienſis & Piſanæ. Multis quoque agit de gravitatione corporum ſuſpenſorum aut ſuſtentatorum.

Liber ſecundus eſt *de cauſa motus machinalis*. Ubi docet, impetum in corpore exiſtentem, ſive innatum ſive impreſſum, eſſe cauſam proximam motus, eumq; æſtimat, tum a quantitate corporis, tum a quanti-

Digitized by Google

tate celeritatis in corpore ex impetu ſecuturæ. Similiter æſtimat reſiſtentiam corporis motui obſiſtentis, tum a magnitudine, tum a celeritate, quæ in ipſo eſſet efficienda. In eo autem totum machinarum (quibus debiliorem potentiam majori oneri vel reſiſtentiæ præpollere efficimus) artificium, conſiſtere ait, ut ex diſpoſitione partium machinæ fiat potentiæ motus velocior motu oneris, & quidem tanto magis, quanto potentia reſiſtentiâ infirmior eſt; quoniam aucta velocitas ſignum eſt impetus aucti. Porro inutilem, & ſubinde irritum laborem inſumere ſtatuit mechanicos pleroſque, dum Ariſtotelem ſecuti reliquas facultates ad vectem & circulum reducere conantur; cum unaquæque per ſe ex principio machinarum communi derivetur. Reſiſtentia ipſi eſt duplex, una paſſiva tantum, qualis eſt fulcri, cui incumbit pondus; altera activa, qualis eſt ponderis alicujus, dum elevatur. Explicare etiam inſtituit, quantum rotæ, cylindri & ſcytalæ motum juvent, & cur majores rotæ ſint in curribus utiles; narratque Romæ vehicula binarum ingentium rotarum ex inſtituto celeberrimi architecti & ſtatuarii, Michaelis Angeli Bonarotæ, uſitata eſſe, quibus impoſita magna pondera unus equus trahat. Agit & de attritu, ſeu ut quidam vocant, frictione corporum; modumque docet, quomodo campanæ ingentes facilius agitari queant, imminuta frictione.

Libro III. de libra, fuſe explicat varias librarum formas & uſus, variasque librarum doloſarum ſpecies, quibus non pauca admiſcet ſingularia. Divinare tentat artificium Sinenſium, vehiculum, cui inſident, propellentium; quod Atlas Sinenſis attingit p. 28, loquens de provincia Peking, ubi ſolum eſt arenoſum & planum. Deſcribit & modum ſuſpendendi pyxidem nauticam, & lucernas oleo plenas, ita ut agitatio ipſis non officiat. Aerobaryca vocat corpora, quorum centrum gravitatis valde elevatum eſt, & *in Hydroſtaticis* (de quibus Autor peculiare opus molitur) inquit, *demonſtrabimus, ad navium ſtabilitatem neceſſariam eſſe eam centrorum diſpoſitionem, ut centrum gravitatis totius navis cum omnibus impoſitis, ſit infra centrum levitatis partis demerſæ in eodem perpendiculo, in quo pariter erit centrum gravitatis partis extantis.* Tuetur & ſtateram antiquorum non valde diſſimilem fuiſſe hodiernæ, contra quam Blancano videbatur, qui aliam ejus formam præſcripſerat ex loco Ariſtot. quæſt. mechan. 20. Exhibet etiam *tentamen motus perpetui*, cui quantum tribuendum ſit, Lectoris judicium eſto.

Libro

Libro IV. de Vecte, explicat tria ejus genera, oſtenditque incurruum rotis proprie vecti locum non eſſe. Caput V integrum impendit hypomochlio mobili, ut ſi vectem in clathris caveæ ferreæ divellendis adhibeamus; ubi perinde eſſe putat, ac ſi fulcrum immobile eſſet medio loco inter duo divellenda, circa quod agendus eſſet vectis. Multa habet lectu digna de his, qui pondus aliquod communi palangæ incumbens geſtant, ubi eſſe debent diſtantiæ a pondere permutatim ut vires geſtantium. Occaſione vectis agit & de elaſmate, ſive lamina aliqua, aut alio corpore ſolido vim elaſticam habente (nam fluidis, ut aeri, elaſma tribui poſſe negat, quia fluida nullam texturam habeant, adeoque nihil cum lamina, quam Græci Elaſma vocant, commune) cumque alia ejus pars fixa ſit, alia mobilis, vectis aliquam intervenire rationem notat, & extrema non tantum ſua, ſed & aliorum omnium reſtitutione impelli. Agit & de tollenonibus, quibus aqua ex puteo hauritur, ſed inprimis de remis & gubernaculo non contemnenda habet; & cum Ariſtoteli ſcalmus ſit hypomochlium; pondus movendum, aqua: oſtendit ipſe, potius aquam, quatenus diviſioni reſiſtit, eſſe hypomochlium, pondus autem movendum eſſe navem; remigis autem, qui longius abſit a ſcalmo, momentum eſſe majus: fortiſſimos remiges ad puppim ſtatui, Græcisque dictos Thranitas; iisque teſte Thucydide lib. 6. ſtipendium datum extraordinarium. Probabile cenſet, converſionem navium fieri circa illud carinæ punctum, quod reſpondet maximæ amplitudini navigii, ubi & in majoribus navigiis malus major ſtatuitur: carinæque longitudinem beſſem relinquere puppim verſus, & trientem verſus proram; centrum autem gravitatis navis majoris, ſi quis navis formam & tormentorum ſitum conſideret, videri eſſe inter puppim & malum majorem, idque ne ventorum vi prora nimis deprimatur: hinc in minoribus navigiis malum adhuc propiorem proræ. Oſtendit quoque contra Ariſtotelem, altiores malos non juvare per modum vectis. Denique vectem cum vecte, itemque ſtatera componit.

Lib. V. de Axe in peritrochio, adeoque de geranis ſeu gruibus, ſucula, ergata agit. Explicat & pertinentia ad horologia automata, & officium ejus quod ipſe vocat tempus, Germanis ob perpetuam reciprocationem inquies dicitur: varias item terebras cum ſuis manubriis, & ex his unam ſingularem, quæ leniter admodum perforat, & cujus Italicum nomen proxime accedit Græco τρύπανον. Explicat præter

Digitized by Google

alia plurima & modum numerandi inſtrumento converſiones rotarum currus, cujus rei primus meminerat *Vitruvius lib. 10. cap. 14.*

Lib. VI de Trochlea, oſtendit trochleam non niſi inepte ad vectem vel axem in peritrochio revocari; cum orbiculi ad ſubſtantiam trochleæ non pertineant, inſerviantque tantum ad evitandam frictionem: nam quoad potentiæ exceſſum idem plane effici, ſi funes non ſuper orbiculis eant, ſed tantum per annulos aut foramina loculamentorum trajiciantur: componit deinde trochleas, tum inter ſe, tum cum aliis machinis. Docet etiam, quomodo ope trochlearum corpora magna celeritate circa ſuum centrum gyrentur: quod in ſcenicis inſervit ad Solis diſcum melius exhibendum, ut auro obductus & facibus illuſtratus radios videatur ejaculari; item ad exhibendum mare undoſum, dum plurimis axibus horizonti parallelis inſculptæ ſunt ſpiræ ſatis profundæ, marino colore tinctæ, quæ circumactis celeriter axibus fluctuum motum fingunt.

Lib. VII. de Cuneo, agit de ferris, quarum aliquæ etiam ſine dentibus marmora ſcindunt; item cultris, gladiis, & inprimis de cuneo vulgari. Quemadmodum autem axis in peritrochio eſt quaſi vectis perpetuus; ita cuneum perpetuum exhibet ope circuli, circa punctum eccentricum in circulo tamen poſitum moti, qui aliquod corpus ab uno latere prorſum, ab altero retrorſum propellit: item ope ellipſeos, quæ cylindro, in quo deſcripta eſt, circa ſuum axem moto, appoſita quibus interſeritur, alternis attollit & deprimit. Poteſt & adhiberi circulus inclinatus, loco ellipſeos. Occaſione cunei agit de vi percuſſionis ab impetu concepto, diſputatq; contra eos, qui dicunt, impetum eſſe infinitum comparatione gravitatis. Gravia inæqualia non æqualis celeritate deſcendere, etſi diſcrimen in exigua altitudine non ſit notabile. Vim percuſſionis metitur ductu celeritatis in gravitatem. Gravibus cadentibus quovis momento phyſico novos addi impetus, cum Galilæo ſtatuit. Nonnulla etiam habet de centro percuſſionis. Agnoſcit nullum corpus tam ſolidum eſſe, quin percuſſione nonnihil comprimatur & contremiſcat: hinc reflexionem non tantum eſſe ex impetu primo, ſed & ex reſtitutione corporis compreſſi; ut in pila luſoria, quæ in terram cadens compreſſa ſe reſtituit. Sequitur & eorum ſententiam, qui corporis obliquum incurſum perpendiculari, ex loco, a quo venit incurrens, ad planum quod locum incurſus tangit ducta, metiuntur. Miram autem fovet


vet ſententiam circa communicationem impetus, quem putat migrare de corpore in corpus: & cum ſibi objeciſſet, ipſos ſcholarum parietes clamare, accidentia de ſubjecto in ſubjectum non migrare; reſpondet, multa talia in ſcholis jactari non ſatis examinata; concedi id poſſe de modis, ſed qualitates abſolutas omnino a ſuo ſubjecto poſſe ſeparari, & quidem virtute divina; hoc fieri, documento eſſe transſubſtantiationem: impetus autem hoc privilegium naturale videri, ut uni ſubjecto non ſit alligatus.

Lib. VIII. de Cochlea, notat circinos ſubtilius & utilius cochleolis, quam elaſmatibus aperiri & claudi. Inſervire cochleam non tantum ad vim augendam, ſed & ad reddendum motum pro arbitrio tardum. Cochleam infinitam ſeu perpetuam vocat, cum ſpiræ ejus dentem alicujus rotæ mordent, ubi una circumvolutione axis cochleæ propellitur tantum unus dens rotæ; unde ingens virium vel tarditatis incrementum. Varias quoque cochleæ applicationes exhibet, ſed quæ apud Autorem videri poſſunt.

Cæterum placet ex Autore excerpere modum non inelegantem, quem tradit lib. 4. cap. 18. efficiendi, ut plures geſtatores ejusdem oneris, licet inæqualiter ab onere remoti, æqualiter tamen ab eo premantur. Cujus occaſionem ei præbuit *Atlas Sinicus* pag. 125. his verbis: *in ferendis oneribus ſcitiſſimi ſunt Sinæ, ac ruſtici illic non parvum ſane Staticis noſtris ſpeculatoribus faceſſerent negotium, ad cauſas inveniendas ac rationes, ſi viderent illos tormenta etiam majora ac ſimilia pondera ita vectibus utrinque ſuſpendentes, ut per arctiſſimas etiam montium fauces facillime transferunt, ac licet præcedant alii, alii ſubſequantur, multisque paſſibus a pondere ſuſpenſo diſtent, ita tamen illud vectibus ac funibus ex æquo norunt dividere, ut quilibet æquale fere ſentiat onus, ſeu paulo remotior ſit ſive vicinior. Hoc pacto ingentia marmora atque integras etiam arbores facile humeris videas geſtare Sinas.* Sed quia nullum artificii veſtigium eſt apud *P. Martinium* Atlantis Sinici autorem, ideo *Caſatus* noſter hæc ſane ingenioſe comminiſcitur pag. 491.

Sit ponderi dato alligatus vectis A B, & gravitatis centro reſpondeat punctum C, atque æqualia ſint intervalla A C & B C. Si centrum gravitatis ponderis reſpondens puncto C vectis non fuerit plane in media ejusdem ponderis longitudine, neque fuerit vectis

Digitized by Google



valde longior ipſo pondere, non poterunt plures ita æqualiter diſponi, ut ad ferendum æqualiter pondus ſingulis anterioribus ſinguli poſteriores reſpondeant æq; a puncto C diſtantes, impediente videlicet ipſa ponderis longitudine.

Quare tam in A quam in B duo alii vectes DE, & FG bifariam æqualiter diviſi ſuſtineant vectem A B: atque adeo quemadmodum in A (idem dic de B) ſuſtinetur ſemiſſis totius gravitatis, in D ſuſtinetur tantum quadrans, ſicut & in E. Suſtineatur ſimiliter extremitas D alio vecte H I (id quod præſtitum intellige pariter in extremitatibus E, F, G) & in H ſuſtinetur octava pars: item extremitas H ſuſtineatur vecte K L & extremitas K vecte MN; percipitur in K gravitatis pars decima ſexta, & in M pars trigeſima ſecunda. Poterunt igitur hac ratione diſponi homines 32, qui ſi poſſint ſinguli deferre lib. 100, transferent pondus lib. 3200, & erit æqualiter inter illos diſtributa gravitas. Quod ſi ſpatium non prohibeat adhuc vectem ſingulis extremitatibus adjungere, numerus hominum deferentium duplicabitur, & vel ſingulorum labor dimidiatus erit, vel duplicatum pondus transferre poterunt. Porro vectem vecti eſſe firmo vinculo connectendum, ne forte in motu, vecte aliquo ſe ſubducente, luxetur machina, non opus eſt monere, cum per ſe res ipſa loquatur. Illud obſerva, quod vectium inter ſe æqualitatem, ſive longitudo, ſive craſſities ſpectetur, non opus eſt ſtudioſe accurare, dummodo ſinguli vectes æqualiter bifariam dividantur: imo poſtremi, & breviores eſſe poſſunt, ut minus ſpatii requiratur, & graciliores, minus quippe urgentur a pondere.

THEO-

THEOLOGIA MORALIS EXPURGATA, & ordine Alphabetico diſpoſita, Auctore P. F. Caſſiano a S. Elia Carmelita Diſcalceato Mediolanenſi.

Venetiis apud Gaſp. de Stortis, 1684. fol.

UTinam vero expurgari Theologiam Moralem opus nunquam fuiſſet! Sed tantis eam ſordibus conſpurcarunt hoc inprimis ſeculo ingenia quædam male ſubtilia, ut expurgatione ſuperſederi amplius non potuerit. Factum nempe Chriſtiani nominis cum dedecore, quod, cum invaleſcentibus ubique vitiis adverſus improbitatem ſeveris rigidisque præceptis munienda eſſent mortalium pectora, ſurrexerunt Viri ſanctitatem præ ſe ferentes, morumque doctrinam profeſsi, qui ſummo in id ſtudio incubuerunt, quo laxari morum diſciplina, & peccata tantum non quævis excuſari ac defendi etiam, novis ſubtilibusque & plauſibilibus commentis poſſent. Nec quicquam eſt, quod florentiſsimam Societatem, quæ a Jeſu nomen habet, magis objecerit adverſariorum ac æmulorum exprobrationibus, quam quod ex ea plerique peſtilentium ejusmodi dogmatum architecti prodierint; tametſi ex aliis etiam Religioſorum apud Romano-Catholicos cœtibus non defuerunt, quos idem virus corripuit; & quod a quibusdam Jeſuitarum peccatum eſt, imputari univerſis, aut toti Ordini non debet. Speciminis loco vel monſtroſum illud de *Probabilitate* dogma, geminumque illi *Æquivocationum & Reſervationum mentalium* artificium memoraſſe ſuffecerit, quibus duobus admiſsis, actum iri de omni fide & probitate, actum de omni religione, a gravisſimis jam dudum viris demonſtratum eſt. Sed & plures in doctrinam morum invectæ ſunt corruptelæ, aliæque ſuper aliis propoſitiones pravæ in ſcenam productæ, ut viſi ſint inter ſe Caſuiſtæ iſti velut contendere, quis plus valeret ingenio ad omnem honeſti rationem ſubruendam. Quam lepidæ enim (ſi paucas exempli cauſa exhibere fas eſt) & Chriſtianis doctoribus dignæ quæſo hæ ſimilesve ſunt? *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium: Licitum eſt quærere directe occaſionem proximam peccandi pro bono ſpirituali vel temporali noſtro, vel*

vel proximi: Copula cum conjugata, conſentiente marito, non eſt adulterium: Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adjuvat herum ſuum, adſcendere per feneſtras ad ſtuprandam virginem, & multoties eidem ſubſervit, deferendo ſcalam, aperiendo januam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis adſpiciatur, ne domo expellatur: Tam clarum videtur, fornicationem ſecundum ſe nullam involvere malitiam, & ſolum eſſe malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur: Mollities jure naturæ probibita non eſt; unde ſi DEUS eam non interdixiſſet, ſæpe eſſet bona & aliquando obligatoria ſub mortali: Dare temporale pro ſpirituali non eſt ſimonia, quando temporale non datur tanquam pretium, ſed duntaxat tanquam motivum conferendi: Probabile eſt non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, ut ſuam juſtitiam & honorem defendat: Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcunque ſit magna ſumma totalis: Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario quod accipiunt: Permiſſum eſt furari, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi: Regulariter occidere poſſum furem, pro conſervatione unius aurei: Vocare DEUM in teſtem mendacii levis, non eſt tanta irreverentia, propter quam velit aut poſſit damnare hominem: Licitum eſt filio gaudere de parricidio parentis a ſe in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas: Non tenemur proximum diligere actu interno & formali: Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſe quinquenniis per ſe obligare præceptum charitatis erga DEUM: Non eſt obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, ſi hæc nimis utilis eſſet ad oblectamentum concubinarii: Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem a Principe promulgatam: Vir equeſtris ad duellum provocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. Pudet id generis propoſitiones plures deſcribere, quales tamen publice venditare ac tueri Caſuiſtæ quidam non dubitarunt, adeo ut Summi tandem Pontifices neceſſitatem ſibi impoſitam viderint, nimiam iſthanc licentiam, quæ impune hactenus in bonos mores graſſata fuerat, ſevere cohibendi, tantiſque a corruptelis moralem diſciplinam, a publico vero dedecore Romanam Eccleſiam

Eccleſiam vindicandi. Itaque & *Alexander VII* anno 1666, & *Innocentius XI* anno 1679, ille quadraginta quatuor, hic ſexaginta quinque ejuſmodi propoſitiones (quas inter & omnes ſupra memoratæ comparent) publicis decretis condemnarunt, ſimulque de iis diſputative, ut loquuntur, publice aut privatim tractare, niſi forſan impugnando, ſub pœna *excommunicationis ipſo facto* prohibuerunt. Quo quidem illi rem ſe dignisſimam præſtiterunt; præſentis vero libri auctor *Caſſianus a S. Elia* occaſionem ſibi oblatam arbitratus eſt, novum Opus Morale, ſub titulo *Theologiæ Moralis Expurgatæ* componendi. Nimirum cum jam antea ad excolenda morum ſtudia animum appliciuſſet, ut vel ex *Centum Hiſtoriarum Examine, ſeu Deciſionibus Hiſtorico-Legalibus*, Bononiæ anno 1682 ab ipſo editis, ac a nobis in Actis menſe Julio 1683 p. 269 memoratis, conſtare potuit; jam materias morales omnes, quæ in propoſitionibus illis a ſummis Pontificibus damnatis attinguntur, in locos velut communes & ordinem quidem alphabeticum redigere voluit; reliquis, quæ nulla, ut ait, damnatione hactenus affectæ ſunt, alteri tomo reſervatis. Ita vero in ſingulis verſatur, ut propoſitiones damnatas, quod unum ipſi per decreta Pontificum licebat, impugnet, & quæ pro illis defendendis objici ſolent aut poſſunt, ſtudioſe diluat ac refellat.

A DISCOURSE CONCERNING AURIcular Confeſſion, as it is preſcribed by the Concil of Trent, and practiſed in the Church of Rome.

Sive

Diſcurſus de Confesſione Auriculari, qualem Concilium Tridentinum præſcribit & praxis Romanæ Eccleſiæ ſervat.

Londini, apud Benj. Tooke & Fincham Gardiner, 1684 in 4.

INter prærogativas, quibus ſuam præ aliis Eccleſiam Romanenſes extollere conſueverunt, haud poſtremum locum obtinet auricularis confesſio: hanc ſiquidem, tanquam unicum remedium ad abolenda peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa, pro Sacramento

divinæ inſtitutionis & univerſalis obligationis venditant, eamque proinde poſthabentes Reformatæ Eccleſiæ aſſeclas paſſim proſcindunt. His ergo patrocinaturus præſentis ſcripti editor, vanitatemque prætenſæ iſtius prærogativæ oſtenſurus, tria inprimis hocce diſcurſu evincere allaboravit: videlicet primo, confeſſionem auricularem a Chriſto nullibi inſtitutam; deinde, ejus uſum nec conſtantem nec univerſalem in Eccleſia fuiſſe; ac denique eandem non modo non neceſſariam, ſed & pietati ac diſciplinæ eccleſiaſticæ noxiam potius, quam proficuam eſſe, prout quidem apud Pontificios adminiſtrari hactenus adſolet. Primum membrum quod attinet, ait, veteres Canoniſtas, tanquam hac in parte modeſtiores modernis, ſponte faſſos eſſe, Confeſſionem iſtam neutiquam divina inſtitutione, ſed unice longæva Eccleſiæ praxi niti: recentiores vero, & Concilium inprimis Tridentinum, non alio Scripturæ loco ſuam ſtabilire hypotheſin, quam *Joh.20.v.22.* quem tamen, cum ne verbo quidem confeſſionis mentionem faciat, fruſtra hanc in rem allegari noſter exiſtimat. Multo autem ineptius exinde novi cujusdam ſacramenti, pœnitentiæ ſcilicet, inſtitutionem exſculpi ait; cum inſtitutum tale quid dici nequeat, cujus non niſi per conſequentiam, eamque longiſſime petitam, facta mentio putari poſſit; præſertim cum in reliquis ſacramentis, eorumque inſtitutione, tam dilucida omnium circumſtantiarum expreſſio facta deprehendatur. His delibatis progreditur Autor ad alterum membrum, obſervantiam nempe & praxin Eccleſiæ antiquæ: ubi quidem certum autumat, in hiſtoria miniſterii Chriſti & Apoſtolorum in his terris ne minimum quidem confeſſionis auricularis veſtigium inveniri poſſe: nam locum *Act.19.v.18.* de publica coram toto cœtu edita; alterum vero *Jac.5.v.16.* de privata quidem confeſſione, ſed in caſu extraordinario, morbi ſcilicet facta, loqui putat; ad effectum nempe, ut amicus, cui talis confeſſio concredita, tanto ardentius pro ægroti ſalute precari valeat. Poſt Apoſtolorum tempora, annis fere 200, nullam plane talis confeſſionis apud ejus ævi ſcriptores, Ignatium puta, Clementem, Juſtinum Martyrem, mentionem fieri ait. Apud Tertullianum poſtea multa quidem de Confeſſione dicta reperiri; verum non niſi publica, quæ Cypriani quoque & Origenis temporibus maxime frequentata ſit, ut ſc. rei pronos ſeſe humi proſternerent, mœrorem ſuum externis ſignis demon-

Digitized by Google

demonſtrantes, confeſſionemque ſcelerum dein coram tota congregatione edentes, expoſcerent abſolutionem. Porro Chryſoſtomum quoque & Auguſtinum, de iſto pœnitentiæ ſacramento nullam habuiſſe notitiam, exinde conjicit Autor, quod hi de confeſſione homini facta hinc inde perquam leviter, & tantum non contemtim locuti deprehendantur. De Hieronymo vero Eraſmum, ei ſcilicet familiariſſimum allegat, teſtantem *apparere, ejus tempore nondum inſtitutam fuiſſe ſecretorum admiſſorum confeſſionem.* Ne vero quis a Romanenſibus decipiatur, tot patrum teſtimonia hic pro ſua cauſa allegare ſolitis, moniti loco quatuor has obſervationes voluit ſubnexas. 1. Ubi apud Patres reperitur vox *Exomologeſeos*, quæ tamen totum pœnitentiæ ambitum in genere deſignet, ibi mox Pontificios teſtimonium de ſua confeſſione auriculari repertum putare: 2. quando illi contra Novatianos diſputantes extollunt veram Eccleſiam, ſpem veniæ lapſis, dummodo pœnitentiam egerint, non præſcindentem, mox hos cathedræ ſuæ confeſſionariæ fulcrum inde accerſere, & tali deſtitutos Novatianiſmi incuſare ſolere: 3. encomia, quibus illi Confeſſionem peccatorum, Deo ſcilicet in ſecretis admiſſis, aut Eccleſiæ, in publicis, puta ſcandalis, factam commendant, ab his indiſtincte accommodari clancularìæ ſuæ confeſſioni. Denique 4, ubi patres nonnunquam ſecretorum criminum confeſſionem ſuadere deprehenduntur, aut ſcilicet ob conſcientiæ angores, aut tanquam expreſſionem majoris zeli, aut quandoque pro caſu emergente velut tunc ſpeciatim expedientem, ea omnia a Romanæ ſedis propugnatoribus avide arripi, & explicari in favorem confeſſionis iſtius ſuæ, tanquam legem univerſalem & debitum omni Chriſtiano incumbens. His itaque quatuor cautelis obſervatis, confidit Autor omnem autoritatibus, ex antiquitate huc trahi ſolitis, nervum incidi poſſe. Nihilominus aliam adhuc diluit objectionem, ex hiſtoria eccleſiaſtica Socratis & Sozomeni enaſcentem: qui ipſi ſcilicet mentionem faciunt certi Pœnitentiarii, e presbyteris ad hoc in ſpecie munus delegati, ut confeſſiones pœnitentium reciperet: quod officium a Nectario Epiſcopo Conſtantinopolitano, Chryſoſtomi prædeceſſore, ob ſcandalum aliquod hujus occaſione enatum, poſtea rurſus abrogatum fuiſſe narrant; unde apparere videtur, Pœnitentiariorum munus antiquorum iſtorum temporum calculo utique jam receptum

 fuiſſe.

Digitized by Google


fuiſſe. Sed ad hanc hiſtoriam, quam prolixiuscule enarrat & examinat, reſpondet autor, hic quoque non privatæ, ſed publicæ confeſſionis reliquias latere: ſcilicet presbyterum illum pœnitentiarium ad hoc inſtitutum fuiſſe, ut confesſiones reorum, publice alioqui coram cœtu faciendas, non ſuo, ſed Eccleſiæ nomine reciperet. Idque primum ita ordinari cœptum, circa tempus Decianæ perſecutionis: & quidem ob eam maxime cauſam, quod Eccleſia tum valde aucta, & zelo populum catervatim, ad confesſionem pro more tum recepto in facie totius cœtus faciendam impellente, haud proficuum amplius putaretur, ſcelerum confesſionem ita publice proferri, ob metum ſcilicet aut ſcandali ſeu contagii, aut illuſionis, aut etiam ſeverioris animadverſionis, ſi talia ad aures paganorum judicum hoc pacto forte penetrarent; ac denique, ut languori eorum quodammodo conſuleretur, qui metu prædictæ perſecutionis ex imbecillitate defecerant, ſed poſt in gremium Eccleſiæ peracta pœnitentia redire parabant. Hoc vero Pœnitentiarii munus divinæ inſtitutionis tunc reputatum non fuiſſe, vel inde evinci putat autor, quod eccleſia illud, ferente ita temporum conditione, rurſus a ſe libere abrogari poſſe exiſtimavit. Oſtendit præterea differentiam inter illam, & modernam confesſionem auricularem; cum ibi non in pœnitentis cujuslibet, ſed Eccleſiæ ſolius arbitrio fuerit electio presbyteri ad munus pœnitentiarii: quodque hic, ut hiſtoriæ illius circumſtantiæ edocent, pro re nata potuerit commiſſa ſibi crimina eccleſiæ toti revelare, id quod hodie ob ſigilli confesſionis hypotheſin omnino credatur interdictum. Cæterum ait Confesſionem hanc auricularem dubiis ex initiis paulatim in Eccleſia Romana invaluiſſe, non abſque omni tamen oppoſitione, donec tandem, poſtquam audax Scholaſticorum dicacitas eam magis magisque evexiſſet, anno 1215 Concilium Lateranenſe quartum edixerit, ut quilibet ad minimum ſemel per annum eadem uteretur: ultimum demum pondus addidiſſe Concilium Tridentinum, declarando Confesſionem hanc divinitus inſtitutam, ad ſalutem neceſſariam, & conſtanti ac univerſali Eccleſiæ praxi comprobatam eſſe. Venit jam autor ad tertiam ſectionem, qua damna & incommoda, ex confesſione tali profluentia demonſtrare intendit. Ubi quidem plurimos abuſus, in Romana eccleſia quoad hanc materiam

riam receptos, ad oculum demonſtrare ſatagit: quos tamen hoc loco, cum paſſim de iis querelæ proſtent, recenſere nil attinet.

Subjicit tandem in fine Autor, ſibi, poſtquam diſcurſus hic maximam partem jam impreſſus eſſet, ad manus veniſſe librum in Gallia editum, ſuæque ſententiæ e diametro contrariantem, ſub titulo *Hiſtoria Confesſionis Auricularis*, (quam ſcilicet a *Jacobo Boileau* conſcriptam commemoravimus *in Actis anni 1684 menſ. Aprilis p. 172.*) ſeque initio ejus adſpectu haud parum fuiſſe attonitum, veritum, quippe, ut ſuus hic tractatus, exiguæ ſcilicet molis & feſtinanter fere conſcriptus, conſiſtere poſſet cum opere, quod, teſte præfatione, virum non incelebrem, & ætatis vegetæ, integris octodecim annis occupaſſet. Perlecto tamen libro, ait, ſe magnum quidem eruditionis apparatum in eo reperiſſe, parum tamen, quod ſcopum feriret, ac vix quidquam, quod non jam antea prævidiſſet, & cui non in diſcurſu ſuo quadantenus obviaſſet. Scilicet multa ibi adduci teſtimonia, commendationem confesſionis in genere, dignitatem ordinis ſacerdotalis, poteſtatem clavium, autoritatem Eccleſiæ, periculum ejus cenſurarum, ſolatium abſolutionum, ſeveritatem diſciplinarum concernentia: ea vero, in quibus cardo negotii verſetur, in hoc ſcriptore non magis, quam in ullo ejus anteceſſorum reperiri: videlicet, quis unquam ex antiquis Eccleſiæ doctoribus confesſionem auricularem vocaverit ſacramentum, aut partem ſacramenti; aut univerſalem ejus necesſitatem adſeruerit; aut denique ſtatuerit, peccata ſecreto poſt Baptiſmum commiſſa non aliter, quam confesſione homini facta remitti poſſe. Denique confidentius ſe nunc diſcurſum hunc ſuum luci publicæ exponere profitetur, quam quidem facturus fuiſſet, ſiquidem prædictus liber non prodiiſſet. Quæ omnia ne gratis dixiſſe videatur, unum alterumque etiam exemplum in medium adducit eorum, quæ perperam a memorato ſcriptore allegata autumat: quo exinde pateſcat, quam inſtabili pede nitantur, quæ fundamentis adeo lubricis ſuperſtructa ſint.

JOH. CHRISTOPHORI STURMII, PROFESſoris Altdorffini Quadratura Parabolæ, methodo Arithmetica infinitorum demonſtrata.

DEdimus ſuperiori anno inter Acta menſis Martii, a pag. 123, *Cylindri ad inſcriptam Sphæram, Parallelogrammi ad Triangulum, & Parallelepipedi ad Pyramidem ejusdem altitudinis & baſeos proportionem*, nova infinitorum methodo a clarisſimo hoc *Autore* oſtenſam. Huic non immerito, quanquam ex intervallo, ſubnectimus *Parabolæ quadraturam*, dudum quidem ab *Archimede* inventam, ſed jam ſimili methodo a laudato Viro demonſtratam, & ope ſchematis appoſiti, in literis nuperrime Lipſiam ſcriptis, ut ſequitur, explicatam.



Sit AC = 3b; CD = 3a: ergo Parallelogrammum CE erit 9 ab, & Triangulum ACD $9\frac{ab}{2}$.

I. Parallelogrammum circumſcriptum CF erit 3 ab ſive $9\frac{ab}{3}$

Pro IIdo Parallelogrammo cH fiat,

Ut cF ad aF; ſic aF ad FM } id quod demonſtratu
h.e. $3b$, b :: b, $\frac{bb}{3b}$ } facile.

Ergo cM vel cH erit $3b - \frac{b}{3}$, id eſt $2\frac{2}{3}\,b$.

Ergo Parallelogrammum cH, $2\frac{2}{3}\,ab$, ſive $\frac{8}{3}\,ab$.

Pro IIItio Parallelogrammo cK fiat iterum,

ut cG ad aG; ſic aG ad GI

h.e. $3b$, $2b$ :: $2b$, $\frac{4bb}{3b}$ ſive $\frac{4b}{3}$

Ergo cI vel DK erit $3b - \frac{4b}{3}$ hoc eſt, $1\frac{2}{3}\,b$. Ergo Parallelogrammum cK $1\frac{2}{3}\,ab$, ſive $\frac{5}{3}\,ab$; (*decreſcentibus ita Parallelogrammis circumſcriptis ſecundum numeros impares ab unitate ordine aſcendentes, & primæ fractionis numeratore exiſtente quadrato numeri partium in linea* CD.)

Summa igitur omnium trium Parallelogrammorum erit $\frac{22}{3}\,ab$, cum Triangulum ACD ſit $\frac{9}{2}\,ab$, adeoque ad illam ſummam ſe habeat ut $\frac{9}{2}$ ad $\frac{22}{3}$ hoc eſt (eadem facta denominatione) ut $\frac{27}{6}$ ad [illegible], hoc eſt, ut 27 ad 44, hoc eſt (dividendo utrinque per 9) ut 3 ad $4\frac{8}{9}$.

Bi-

Biſecando vero nunc partes omnes baſeos CD, & ponendo pro A C, $6d$; & pro CD, $6c$: erit Parallelogr. C E, $36cd$, & Triangulum ACD, $18cd$. Imum autem Parallelogrammum circumſcriptum habebitur $6cd$ ſive $\frac{36}{6}cd$; IIdum invenietur methodo ſuperius adhibita $\frac{35}{6}cd$; IIItium $\frac{32}{6}cd$; IVtum $\frac{27}{6}cd$; Vtum $\frac{20}{6}cd$; VItum $\frac{11}{6}cd$: Summa omnium $\frac{161}{6}cd$; cum Triangulum ACD ſit in hoc caſu $18cd$, hoc eſt $\frac{108}{6}cd$, adeoque ad illam ſummam ſe habeat, ut 108 ad 161, hoc eſt (dividendo utrinque per 36) ut 3 ad $4\frac{17}{36}$.

Biſecando rurſum partes baſeos omnes; & pro AC ponendo $12f$; pro CD, $12e$: totum Parallelogrammum CE erit $144ef$, & Triangulum ACD $72ef$. Circumſcriptorum autem Parallelogrammorum Imum erit $12ef$, ſive $\frac{144}{12}ef$; IIdum $\frac{143}{12}ef$; IIItium $\frac{140}{12}ef$, &c. & conſequenter, juxta regulam ſuperius inventam, ſumma omnium duodecim invenietur $\frac{1222}{12}ef$; cum Triangulum ACD fuiſſet $72ef$, hoc eſt, (utrinque dividendo per 288) ut 3 ad $4\frac{70}{288}$: cum præcedens proportio fuiſſet ut 3 ad $4\frac{136}{288}$ &c.

Comparando igitur decrementa fractionum quaternario adhærentium, evidens eſt ſecundam fractionem decreviſſe $\frac{1}{36}$ infra dimidium prioris (quæ fuerat $\frac{32}{36}$) tertiam $\frac{2}{288}$, ſive $\frac{1}{144}$ infra dimidium ſecundæ, &c: ita ut defectus poſterior ſemper ſit $\frac{1}{4}$ defectus prioris infra dimidium. Quare hæc decrementa infra dimidium infinito progreſſu in ipſa tandem dimidia, & dimidiorum dimidia tandem in ipſum integrum deſinere neceſſum eſt.

Id quod hoc modo evidentius adhuc conſtare poteſt:

In prima circumſcriptione Triang. A C D eſt

ad 3 parallelogr. circumſcripta ut 3 ad $4 + 1 - \frac{1}{9}$

In ſecunda ad 6 - - - ut 3 ad $4 + \frac{1}{2} - \frac{1}{36}$

In tertia ad 12 - - - ut 3 ad $4 + \frac{1}{4} - \frac{1}{144}$ &c.

Erit igitur Triangulum ACD ad ſemiparabolam ipſam, & conſequenter Triangulum B A D ad totam Parabolam,

ut 3 ad $4 + 1 - \frac{1}{2} - \frac{1}{4} - \frac{1}{8}$ &c. hoc eſt ut 3 ad 4

$- \frac{1}{9} + \frac{3}{36} + \frac{3}{144} + \frac{3}{576}$ &c.

Nam $1 - \frac{1}{2} - \frac{1}{4} - \frac{1}{8}$ &c. in infinitum eſt æquale nihilo; & $\frac{1}{9} + \frac{3}{36} + \frac{3}{144} + \frac{3}{576}$ &c. in infinitum eſt etiam æquale nihilo: quod ex recepta progreſſionum regula manifeſtum eſt.

Quæ ultima arithmetice concludendi ratio, ſi demonſtrationibus

Digitized by Google

bus noſtris, (*de proportione cylindri ad ſphæram inſcriptam &c.*) accommodetur, prout accommodari facile poteſt, non parum ipſis evidentiæ, & ſi baſes ac altitudines in partes numero æquales (uti hic factum) diviſæ ſemper ſupponantur, multum facilitatis illis accedere, fractionumque multitudini tædioque parci poterit: quod hac occaſione monuiſſe fortaſſe non inconſultum fuerit.

ADAMI ADAMANDI KOCHANSKII, E SOC. Jeſu, & S.R.Maj. Poloniæ Mathematici,


CONSIDERATIO Speciminis Libri de Momentis Gravium, Authore J. F. V. Lucenſi.

Recolet B. Lector, ſuperioris anni Acta menſ. Nov. pag. 511. ſpecimen dediſſe libri de momentis gravium, *Autore* J. F. V. Lucenſi, *una cum cenſura Viri cujusdam rerum mathematicarum ſcientisſimi. Huic jam alteram jungimus, clarisſimo Kochanskio, ſuperiore jam anno d. 24 Novembr. Autori ſpeciminis per literas repoſitam; ſed quod de fato literarum ſuarum nihil hactenus comperiſſet, nuperrime nobis humaniter communicatam, & publico omnium juri benevole permiſſam.*

Quemadmodum laudabiles ſunt ii conatus, qui vel noviter inveſtigandæ veritati, vel etiam veteri explorandæ impenduntur; ita majori res hæc circumſpectione tractari debet, ubi quidpiam contra recepta pasſim dogmata tentatur. Nihil autem magis arduum, errandique periculis obnoxium eſſe credo, quam ſolius rationis diſcurſu, naturæ leges inveſtigare velle, quæ ſecretis ſuis receſſibus, ſæpenumero noſtros eludunt ſyllogiſmos, niſi hi frequenter, ac diligenter inſtructis fulciantur experimentis. Palmare hujus rei exemplum nobis offert ipſemet ſummus Ariſtoteles, qui dum ad canones quidem rationis, non tamen ad naturæ ſancita, pronunciat; *Ut gravitas ad gravitatem, ſic velocitas ad velocitatem*; vehementer in eo fallitur, & fallit: cum ſicut notum eſt, globus bilibris ex alto demiſſus, non duplo velocius deſcendat, quam alter pondo unius. Non erit itaque ingenioſisſimo Autori J. F. V. probro-

broſum, ſi ejus quoque rei ſpecimen, in ſuo de iisdem Gravibus ſpecimine, nobis, fortaſſe de induſtria, obtulerit. Sed rem aggredior.

Triplex Gravis unius, per duo plana inclinata deſcendentis, ſtatui poterit hypotheſis. Vel enim *inprimis* utrumque planum declive, XC, CZ, eſt omnino immobile ſuper Horizonte N C O, nec ab invicem ſeparabile in C. Vel *ſecundo* ponitur Planum XC firmiter ſtabile, alterum vero C Z per Horizontem C O, ſub eodem angulo Z C O propellibile, aut viciſſim. Vel *denique* utrumque Planum inclinatum C X, C Z, ſuper Horizonte N C O, libere & abs-



que reſiſtentia, in utramvis partem, a potentiis in F & H impellentibus, dimoveri poteſt, ac divelli. Plures hypotheſes ex Autoris Figura exſculpi poſſe, non video. Nunc de ſingulis ſuppoſitionibus breviter, initio ſumpto a *prima*, in qua ſola Autor procedit.

In *prima* igitur hypotheſi, ſi rigide loquamur, ſupervacaneum videri poſſet inquirere, Gravis unius ejusdemque duo momenta I F, I H: quia impoſſibile eſt, unum idemque corpus duobus ſimpliciter moveri motibus, hoc eſt ad terminos diſparatos F & H tendentibus, ac præſertim quando nullum hujusmodi lationibus ſpatium conceditur. Inveſtigari tamen poteſt preſſio, vel vis incumbens utrique Plano, a Gravi deorſum tendente, ſed objectu planorum impedito, impreſſa. In hujus autem rei inquiſitione, diſcurſus Autoris mihi non probatur, ſequentibus de cauſis.

Tribuantur enim duobus Triangulis orthogoniis XNC, ZCO, latera rationalia & quidem numeris integris taxata, velut 3, 4, 5; vel ſi magis placet, iſtis, 5, 12, 13. Tum ſic: Autor ſui ſpeciminis (prout illud exhibetur in Actis menſis Novemb. anni 1684. pag. 512, lin. 25) ſic ait. *Planum ZC ſuſtinet pondus æquale momento, quo globus exigit deſcendere ſuper XC, &c.* Ac ſimili modo, pag. eadem lin. 31. de altero plano diſcurrit; nulla interim facta mentione ejus momenti, quo idem globus exigit deſcendere deorſum utrobique, & quod momentum quodammodo reclinat, ac deponit in planis declinantibus, & ut ita loquar, illud deperdit: quin imo pag. 513, lin. 1.

 ex-

expreſſe affirmat; *Momentum totale globi ſuper plano Horizontali, æquari duobus illis momentis partialibus &c.* Atqui momentorum quoque illorum, quæ perpendiculari niſu in Planis globum quodammodo ſuſtentantibus deponuntur, non minor ratio, ac obliquorum illorum impulſuum, haberi debet; alioquin non poterunt exacte ſupputari momenta omnia partialia, & conſequenter nec recte conferri cum momento Gravis totali, prout contigit Autori, & ex dicendis conſtabit.

Alterum σφάλμα reperio eadem pag. 513, lin. 9, in his verbis: *Momentum totale ad momenta partialia ſimul ſumpta, eſt ut Hypothenuſa XC, ad latera XN & NC in directum poſita.* Atqui dicendum erat, eſt ut Hypothenuſa XC bis, vel plus Hypothenuſa CZ; nec præterea excludenda erant ab hoc computo momenta illa depoſita, vel reclinata, de quibus paulo ante. Huic autem lapſui offendiculum præbuit iſtud, quod Autor latera Triangulorum N X C, O Z C, ſumpſerit tanquam quantitates abſolutas, cum tamen ea in præſenti ratiocinio exprimant ſolummodo quantitates relatas, ſive rationes, quæ longe aliter atque priores illæ tractari debent. Unde Triangulum O Z C per accidens habet latera priori æqualia, quin & illi diſſimile eſſe poterat, dum modo Orthogonium &c. Immo in tribus, aut quotlibet planis inclinatis ejuſdem Gravis momenta conſiderare licebit.

His breviter indicatis exempli loco meum in præſenti hypotheſi diſcurſum ſic ordino. Ponantur latera XN, 3; NC, 4; CX, 5: idem facilitatis gratia intelligatur de lateribus CO, OZ, ZC. Tum ſic:

Gravis globoſi ſuper declivi XC, in F collocati, Gravitas Integra ad Acciſam, aut Infractam plani declivitate, eſt ſicut XC (5) ad XN (3) & conſequenter Gravitas Depoſita, vel Reclinata, ad Integram eſt, ut 2 ad 5. Similiter in altero plano CZ Gravitas Integra ad Fractam eſt, ſicut CZ, (5) ad ZO (4:) Ac proinde eadem Integra ad Depoſitam eſt ut 5 ad 1. Colligendo igitur partes in unum, eſt univerſim Gravitas Integra ad Infractam, ut bis 5, ad 3 plus 4: & eadem Integra ad Depoſitam in punctis F & H, ut bis 5, ad 2 plus 1.

Sunt igitur jam nobis manifeſtæ horum omnium Quantitates relatæ, e quibus Abſoluta Quantitas nullo negotio colligetur,

Æſti-

Digitized by Google

Æſtimetur enim Gravitas integra globi, Aſſe uno, ſive Unciis 12. Tum fiat, ut Gravitas Integra bis 5, ſive 10, ad Fractam 3 + 4, ſive 7; ſic 12, ad $8\frac{2}{5}$. Et ut Integra 10, ad Depoſitam 2 + 1; ſive 3; ſic 12, ad $3\frac{3}{5}$: quæ cum Infracta $8\frac{2}{5}$ æquatur Integræ 12, prout oportet. Quod ſi circa hæc aliter diſcurſus inſtituatur, is enormiter claudicabit, prout experienti patebit. De duabus aliis ſupra memoratis ſuppoſitionibus, ut & de illis, quando Angulus FCH, planis inclinatis comprehenſus, minor aut major eſt recto, nihil attinet hoc loco memorare, maxime cum hæc ipſa, temporis anguſtiæ, negotiorumque moles, vix exarare permiſerint.

LUCII COELII LACTANTII FIRMIANI OPERA, quæ extant, ad fidem MSS. recognita & commentariis illuſtrata a Thoma Sparck A. M. ex æde Chriſti.

Oxonii e Theatro Sheldoniano 1684. in 8.

AD Lactantii opera in nova hac editione accedit libor de mortibus perſecutorum, quem e manuſcripto Colbertinæ bibliothecæ codice A. C. 1679, cum ſecundam miſcellaneorum partem ederet, primus publici juris fecit, & uberrimis notis illuſtravit *Stephanus Baluzius*. Breviores notas Baluzianis omiſſis ſubſtituit *Sparckius*, novi hujus Lactantii editor, quales & reliquis diſertiſſimi Patris operibus adjecit, quorum analyſin ex *Abrahami Sculteti* medulla Patrum deprompſit, *Servatii Gallæi* exemplum imitatus, a quo etiam Lactantii elogia & vitam mutuatus eſt.

Ante *Sparckium* & *Gallæum*, *Antonius Thyſius*, *Joſephus Iſæus*, *Michael Thomaſius*, & *Xyſtus Betulejus* Lactantium notis ſuis & commentariis illuſtrarunt. Quoties autem Lactantii opera prelum ſubierint, dici vix poteſt. Leidenſem, Genevenſem, Florentinam, duas Romanas, duas Lugdunenſes, quatuor Baſileenſes, totidem Antverpienſes & octo Venetas editiones in ſua, quæ Lugduni Batavorum A. 1660. lucem publicam aſpexit, recenſet Gallæus, qui omnium primam ac principem exiſtimat Venetam anni 1472, cui eo nomine primum inter tot editiones locum aſſignavit. Verum anti-

quior eſt Romana A. 1470 a *Johanne Andrea* Alerienſi epiſcopo curata. Et ne hæc quidem omnium prima, ſiquidem *Hottingerus* in *Bibliothecario quadripartito* exemplar Lactantii, Romæ A. 1465. characteribus adhuc ſatis rudibus impreſſum, in Carolina bibliotheca aſſervari memorat. His addi poſſent Venetæ A. 1478, 1497 apud Bevilaquum, & 1502; ut Pariſienſem A. 1513, Baſileenſem 1532, Lugdunenſem 1543, Colonienſem 1544, Antverpienſem 1555, & alias taceamus.

Ad calcem Oxonienſis, quam nunc recenſemus, editionis legitur *Henrici Dodvvelli* A. M. Dublinienſis diſſertatio de Ripa Striga, cujus Lactantius in libro de mortibus perſecutorum meminit, cum Diocletianum per circuitum Ripæ Strigæ Nicomediam veniſſe refert. In hac diſſertatione doctisſimus Autor primum ſe a *Baluzio* diſſentire profitetur, qui hunc locum aut mendoſum, aut de ora Propontidos intelligendum ſuſpicatus fuerit. Deinde vocem Strigæ Gromaticam & caſtrenſem fuiſſe annotat, qua occaſione de forma caſtrorum Romanorum ut plurimum quadrata diſſerit, quorum frontem Strigam, & latus Scamnum veteres appellaverint. A caſtris tranſit ad colonias pro caſtrorum more & diſciplina diſpoſitas, quarum prætenturas Strigarum nomine ſignatas obſervat. Hinc agrorum, caſtrorum & provinciarum limites plerumque fluvios fuiſſe animadvertit, nec alium fluvium quærendum exiſtimat, cujus Ripam Strigam Lactantius nominaverit, quam Danubium, quem Imperii Romani limitem plerique veteres agnoverint, & a cujus ripa tot ab ea parte provinciæ Ripenſes vocatæ fuerint. Idem probat a caſtris in Danubii ripa frequentisſimis, & qualia prætenturarum munimenta fuerint oſtendit, ripæque Strigæ memoriam in Strigonii urbis ad Danubii ripam ſitæ nomine adhuc conſtare, cum Oxonienſi, quem vocat, Patre conjicit. Poſtremo, cum Romanos raro Danubii ripam egreſſos, & Diocletiani ætate nullam Trans-Danubianam provinciam habuiſſe demonſtraſſet, quam apte hæc ripæ Strigæ explicatio cum Diocletiani conſilio ac itinere conveniat, exponit.

PE-

Digitized by Google

PETRI BIARNOT DE MERVILLE, IN Supremo Galliarum Senatu Patroni, Examen Juridicum in Jure Canonico.

Pariſiis, apud Laurentium d'Houry, 1685. in 12.

JUris Canonici doctrinam compendio traditurus Autor, non aliam ſibi methodum eligendam cenſuit, quam erotematicam, utpote qua & captum & memoriam legentium optime omnium juvari perſuaſus eſt. Continuis proinde quæſtiunculis, ſua utique ſe perſpicuitate commendantibus, jura hæc propoſuit: & eo quidem ordine, quo Lancellottus ſuas Inſtitutiones concinnavit, ita ut librorum ac titulorum ſeries exacte utrinque reſpondeat. Atque hujus ejuſdem veſtigia quoad ipſas quoque materias ſecutus eſt Autor, non ita preſſe tamen, quin ſubinde, quæ ibi deficiunt, ex reliquo juris Canonici corpore ſuppleat. Præterea vero, quo magis proficuum libelli hujus uſum conterraneis ſuis redderet, non omiſit ſingulis articulis ſubnectere praxin fori Gallicani, ſicubi hæc a regulis Juris communis Pontificii diſcrepat; itemque inſigniora hiſtoriæ Eccleſiaſticæ loca, ubi ſcilicet occaſio eorundem commemorationem expoſcere viſa fuit. Et Galliæ quidem praxin quod attinet, ait magnam juris eccleſiaſtici, ibidem hodie vigentis, partem conſiſtere ex Pragmatica, quam vocant, Sanctione, ſeu Conſtitutionibus, quas Carolus VII Galliæ Rex in Bituricenſi conventu anno 1438 de rebus eccleſiaſticis promulgavit, quæque fere ex decretis Concilii Baſileenſis conſtant; & Concordatis ſive tabulis fœderis, anno 1516 inter Leonem X & Franciſcum I initi, ad temperanda pragmaticæ ſanctionis ſancita eorumque rigorem. In recenſendis ipſis ejus Regni juribus, quatenus a jure Canonico abeunt, non erimus prolixi, ſed exempli tantum loco pauca referemus, quæ in appellationum materia ibidem ſpecialiter recepta perhibet. Videlicet teſtatur, ſententiam in Gallia poſt decem dies, non amplius, ut olim, tranſire in rem judicatam, ſed ab ea appellari poſſe usque ad 30 annos, *lib. 3. tit. 15.* Apoſtolorum uſum penitus ceſſare, per Conſtitutionem anni 1539, *l. 3. tit. 17.* Duplex ibi vigere appellationis genus, ſcil. appellationem ſimplicem, qua a judice eccleſiaſtico ad alium eccleſiaſticum provocetur, & appella-

tionem *tanquam ab abuſu*, per quam a judice eccleſiaſtico, ſua ſcilicet jurisdictione, per ſententiam contra regni jura latam, quodammodo abuſo, appelletur ad curias ſupremas ſeculares, *ibid.* Ad petendam quoque in integrum reſtitutionem, ex Conſtitutione Ludovici XII, non quadriennium, ſed decennium continuum indulgeri, perhibet *lib. 3. tit. 5.* Plura huc transferre non immerito ſuperſedemus, maxime cum autor ipſe differentias iſtas ſummo tantum digito commonſtraſſe fuerit contentus. De cætero licet teſtetur, ſe nihil omnino in hocce compendio poſuiſſe, quod non expresſis Juris Canonici textibus comprobari valeat: eorundem tamen allegationem in totum omiſit, veritus ne citationes iſtæ interſperſæ, & animum lectoris quodammodo diſtraherent, & memoriæ etiam ejusdem, cui tamen inprimis conſultum voluit, impedimento eſſe poſſent.

FRANCISCI CLARKE PRAXIS FORI Eccleſiaſtici, per Thomam Bladen S. T. D. Decanum Ardfertenſem, Jacobo Duci Ormoniæ, Hiberniæ Proregi, a Sacris. Editio ſecunda.

Londini, impenſis Hannæ Savvbridge, 1684 in 4.

Retulimus præterito menſe Martio hujus anni ſuccinctos Mocketi & Zouchei tractatus, de jure & foro Eccleſiaſtico Anglicano conſcriptos. Libuit nunc in ſupplementi vicem ſubjicere præſentem librum, utpote ex quo forma litigiorum ibi ſervari ſolita prolixius perſpici poteſt. Etenim nil aliud continet, quam proceſſus ibidem recepti aliqualem delineationem; potiſſimum vero formulas, in quovis litis articulo, tam a judice, quam utroque litigantium adhiberi conſuetas. Non mirum proinde, quod liber hic apud eos, qui in foro verſantur, teſte præfatione, hactenus tanto in pretio fuerit habitus: præſertim cum talem nactus ſit autorem, quem non vitæ genus tantum, ſed & longa experientia talibus conſignandis reddiderant habilem. Scilicet cum hanc Praxin primum ederet, id quod contigit anno 1596, jam continuis 36 annis in primarii Archiepiſcopi Cantuarienſis Curia, de Arcubus dicta, ſteterat, Procuratoris ibi munere functus. Contenta ipſa hujus libri, cum uti dictum, in formulis

lis maximam partem conſiſtant, ulteriori commemoratione non indigent. Id tamen ſilentio præterire noluimus, quod in foro eccleſiaſtico Anglicano contumacia litigantium coerceatur excommunicatione, *tit. 20.* quam paſſus ſi ne ſic quidem compareat intra 40. dies, decernitur contra eum captura, *tit. 22.* Quod ſi vero talis bannitus ſeu *utlegatus* in eo ſtatu manſerit per annum, non tantum, (qui excommunicationis mox effectus ſunt) arcetur a converſatione fidelium, omni actione in judicio caret, & ſepultura, ſi mori eum interim contingat, in cœmeterio excluditur; ſed & ulterius judex eccleſiaſticus contra eum inquirere valet, tanquam in cauſa hæreticæ pravitatis, *tit. 139.* Et hæc ipſa pœna excommunicationis etiam contra teſtes locum obtinet, ſi in judicio contumaciter recuſent comparere, *tit. 43.* Similiter tametſi injuriam paſſus ibi quoque poſt annum agere nequeat: nihilominus ipſi integrum eſt a judice petere, ut reus pronuncietur incidiſſe in ſententiam excommunicationis: id enim conſtitutiones Provinciales ſanciunt: & tum excommunicatio hæc retrotrahitur, & reputatur ac ſi facta eſſet mox a die injuriarum prolatarum, nec tollitur, priusquam reus condonationem injuriæ a læſo, vel publice in eccleſia, vel in alio loco, judicis arbitrio adſignando, petierit, *tit. 120.* Occurrunt quidem alia adhuc ſingularia, ſed cum eorum pleraque jam tetigerimus, ubi modo dictos Mocketi & Zouchei tractatus commemoravimus, plura nunc afferre ſuperſedemus. Cæterum quamvis Praxis hæc primario reſpiciat obſervantiam Curiæ de Arcubus, tamen eadem in aliis etiam curiis, inferioribus præſertim ſuum præſtat uſum; dum hæ, teſte autore, a ſtylo curiæ de Arcubus normam ſuam nanciſcuntur.

STEREOMETRY MADE EASIE, OR THE DEſcription and uſe of a nevv gauging-rod &c.

hoc eſt

Stereometria reddita facilior, ſive deſcriptio & uſus virgæ Stereometricæ pro doliis metiendis, per Thomam Everard.

Londini apud R. Clavel, 1684. 12.

Inſtru-

INſtrumentum ex duabus conſtat partibus, majore, & minore quæ ſuper majore incedit. Ambæ recte invicem applicatæ componunt virgam integram, craſſitie tertiæ partis pollicis quadrati, & longitudine 38 pollicum; includique poſſunt baculo geſtatorio. Exhibentur in eo inſtrumento lineæ progresſionis Geometricæ, quarum uſus paſſim habetur, eumque Autor ſpeciatim applicat ad Stereometriam & metienda doliorum contenta; adjecta quoque eſt linea pro metiendis ſegmentis circuli. Cum autem Stereometræ ſoleant ſumere dolium, vel pro medio fruſto ſphæroeidis, (quod eſt capaciſſimum) vel pro medio fruſto fuſi parabolici (rotatione parabolæ circa baſin ſive ordinatim applicatam geniti, quod eſt capacitate proximum) vel pro medio fruſto compoſiti ex duobus conoeidibus parabolicis communem baſin habentibus (quod eſt minus capax) vel denique pro medio fruſto compoſiti duorum conorum communem baſin habentium (quod eſt minimæ capacitatis, & vix unquam locum habet) hinc notat autor, ſi dolium detur, cujus craſſities ſive diameter maxima (nempe in medio) ſit pollicum 34, minima vero (ſeu in extremis) pollicum 24, longitudo dolii pollicum 48, capacitatem fore

ſecundum Hypotheſin	1 pollicum cubic.	128. 71
	2	127. 64
	3	115. 77
	4	113. 55.

Ubi apparet, diſcrimen quidem non magnum eſſe, ſi dolii ſpecies cadat intra ſphæroeidem & fuſum, itemque inter conoiedem & conum; ſed inter fuſum & conoeidem, magnam eſſe latitudinem: valde enim differunt 127. 64, & 115. 77, ac proinde magnum ſatis errorem committi poſſe. Unde ipſe diametros in decimum quemque pollicem longitudinis metitur, & areas circulorum & ſegmentorum ex Tabula libro ſubjecta, aut linea inſtrumenti invenit, ex quo dolii erecti aut jacentis, pleni aut ex parte vacui, contenta facile habentur.

THE-

THESAURUS EX THESAURO PALATINO ſelectus, ſive Gemmarum & Numiſmatum, quæ in Electorali Cimeliarchio continentur, elegantiorum ære expreſſa & convenienti Commentario illuſtrata diſpoſitio, autore L. Begero, Sereniſſ. Electoris Palatini Antiquario & Bibliothecario.

Heidelbergæ, Typis Philippi Delborn, 1685. in fol.

POſtquam non paucæ hactenus tam Regum ac Principum, quam privatorum hominum inclaruere gazæ nummariæ & antiquariæ, ex tenebris in lucem nunc quoque producitur cimeliarchium Sereniſsimi Principis ac Domini CAROLI, Comitis Palatini Rheni, S. R. Imp. Archithеſaurarii & Electoris, nuper eheu! die $\frac{16}{26}$ Maji in ipſo ætatis flore immatura morte exſtincti. Continet illud ingentem & Gemmarum & Numiſmatum apparatum. Sed Clar. Begerus, qui Electoris hujusdem & Antiquarium & Bibliothecarium ſe profitetur, ex ſpiſſa cimeliorum illorum farragine, potiora tantum atq; elegantiora in hoc volumine ſelegit, unde & idem *Theſaurus ex Theſauro Palatino ſelectus* inſcribitur. Ac primum quidem *Gemmas* æri inciſas exhibet, easque in capita duo diſtinguit, quorum alterum de diis agit, alterum de hominibus; & quemadmodum in illo pleraque omnia, quæ ſub Theologiam Gentilem cadunt, explicat: ita in hoc Philoſophiam moralem eruditisſimis diſcurſibus, monitisque ſaluberrimis elucidat. Deinde *Numiſmata*, eaque & ipſa, uti Gemmaria cimelia, ære expreſſa in tribus capitibus repræſentat, contemplaturque in primo Reges quosdam Macedoniæ, Aſiæ, Syriæ, Ægypti, Cariæ, Pergami, Bithyniæ, Ponti; Viros illuſtres Græciæ, Tyrannosque Siciliæ: in ſecundo aliquot Colonias Magnæ Græciæ, Inſularum, Græciæ, Aſiæ & Africæ: in tertio Auguſtos Romani Imperii Rectores, quicunque a Julio Cæſare vel in Occidente, vel in Oriente, (paucis exceptis,) præfuerunt. Nummos autem, quos vocant *Conſulares*, conſulto omittit, utpote a *Cl. Patino* in reſtituto & aucto *Urſino*, jam exhibitos. Cumque diverſæ in his nummis res contineantur, eos diverſo quoque modo diſponit, ſervans quippe in Imperatoribus ordinem Chronologicum (a Julio enim Cæſare incipit, & in Manuele Impera-

tore Græco deſinit) in Coloniis Geographicum, in Regibus & Viris illuſtribus ex utroque mixtum. Gemmas autem quod attinet, in capite illarum primo initium ſumit a Jove, variisque Deorum ac Dearum ſimulacris & actionibus conſideratis, omnia tandem ad Jovem refert; in ſecundo, ut temporis quodammodo ſervaret ordinem, Græcorum effigies & actiones præponit, & Romanorum ſubjicit, ita quidem, ut omnia tandem (nam ſectioni cuilibet anacephalæoſin moralem, corollarii quaſi loco, annectit) ad Deorum metum reducat. Nam uti in explicatione Nummorum Hiſtorici; ita in Gemmarum illuſtratione Theologi ac Philoſophi moralis obire partes Begerus voluit, ſatius eſſe ratus, ſi gentilis ſuperſtitionis figmenta ad normam veri exigeret, & præcepta virtutum interſpergeret, quam ſi vel Deorum genealogias tædioſe recenſeret, vel de lapidum generibus prolixe diſſereret; quanquam nec Deorum genealogias, & genera lapidum plane ſubticuit; quemadmodum & in Numiſmatibus rum genus metalli his monogrammatibus AV, AR, Æ, & num primæ, vel ſecundæ, vel tertiæ magnitudinis ſint, his numeris 1, 2, 3. indicavit.

GEMMÆ ET SCULPTURÆ ANTIQUÆ *depictæ ab Leonbardo Auguſtino Senenſi, addita earum enarratione in Latinum verſa ab Jacobo Gronovio, cujus accedit præfatio.*

Lugduni Batavorum, apud Danielem a Gaesbeck. anno 1685, in 4.

Apparaverat hic Auguſtinus Siciliam Parutæ, poſt primam editionem notabili numiſmatum augmento locupletatam, apparatumque id genus alium lectori antiquitatis ſtudioſo in præfatione ſpoponderat. Promiſſis itaque ſuis ut ſtaret, imagines Gemmarum collegit, ſeu ſculpturas ac varios lapides, in quibus luculentiſſima antiquitatis veſtigia effulgebant. Erat autem tum miniſter eminentiſſimi Cardinalis, Franciſci Barberini, quem nepotem ſuum agnoſcebat Urbanus VIII Pontifex M. isque uti literatiſſimus ipſe, ita ſummus literarum ac literatorum fautor. A quo Cardinali cum & in familiam Pontificis ejusdem fuiſſet receptus, in id operam induſtriam-

duſtriamque impendit omnem, ut tam numiſmata, quam ſtatuas & inſcriptiones ex ruderibus eriperet, inque celebri palatio ac bibliotheca Barberina reponeret. Nec marmora tantum, metalla, & eruditas ſculpturas, ſed & multiplicem ectyporum & variorum lapidum copiam, tanquam rara monumenta in pinacotheca ejusdem bibliothecæ adunavit. Gemmas autem inprimis antiquisſimas conquiſivit, earumque raras & excellentes multas poſſedit ipſe; utque muneribus ſibi commiſſis faceret ſatis, (nam & titulum Antiquarii, & Probatoris antiquitatum ab Alexandro VII, P. M. obtinuerat) cimeliorum ſuorum participes amatores eruditionis hujusce facere voluit, uſus opera tum celeberrimorum hoc ſeculo pictorum, Andreæ Sacchii, & quem valde deprædicat, Joh. Bapt. Galeſtruzii, tum Johannis Petri Bellorii, a quo multas doctiſſimas obſervationes notasque eſt indeptus, quem & ipſum novam gemmarum Auguſtini editionem Romæ curare, ex literis Illuſtr. Magliabechii nuper accepimus. Quæ monumenta antiquitatis rariora cum ab eruditisſimis quibusque magni æſtimentur, non difficulter permoveri ſe paſſus eſt Vir Cl. Jacobus Gronovius, ut Belgicam hanc editionem, quanto maximo opere poſſet, adornaret. Adornavit is etiam feliciter, nec archetypa tantum ſine ulla aberratione puriſſime per Blotelingium retulit, ſed & explanationem cælaturis annexam, ex Italico ſermone in Latialem fideliter transtulit. Emendavit etiam in præfatione errores, eosque partim typographicos, partim ex feſtinatione vel humanitate Auguſtini profectos, ita tamen, ut & Auguſtinum contra tres nonneminis cenſuras defenderit. Præterea, ut volumini huic aliquid gratiæ accederet, non Smetium tantum confutavit, Mithræ (per quem Sol intelligendus,) ſtatuam, Romæ in Alteriorum ædibus ad S. Marcum extantem, falſo in opere Gruteriano deſcribentem, ſed & tres alias Mithræ figuras deſcripſit, & æri inciſas ſtatim poſt præfationem libro Auguſtiniano præmiſit. Liber alias Auguſtini in duas diviſus eſt partes. In prima, quæ Alexandro VII inſcripta eſt, præmittuntur ad Gemmas CCXIV, Annotationes totidem; ſubjiciunturque illis Gemmæ ipſæ pulcherrime æri inciſæ, Deorum, Dearum, Philoſophorum, Poetarum, Regum, Reginarum, Imperatorum, Imperatricum, aliarumque perſonarum & rerum, addito ſemper lapidis genere. In ſecunda, quam magno Hetruriæ Duci Coſmo dedicavit,

præmittitur *Diſſertatio de gemmis antiquis annulorum;* excipiunt hanc annotationes ad Gemmas antiquas alias, easque numero L, una cum Inſcriptione vetuſta marmorea, hisque Gemmæ ipſæ, ut in prima parte, faberrime a ſculptore expreſſæ ſubjunguntur.

JOHANNIS HARDUINI, SOC. JESU Presbyteri, Nummi Antiqui populorum & urbium illuſtrati.

Pariſiis, apud Franciſcum Muguet, 1684. in 4.

Viris longe clarisſimis, qui nummos hactenus antiquisſimos & publicarunt & illuſtrarunt, accenſendus nunc venit *Joh. Harduinus.* Is, uti raræ & exquiſitæ eruditionis laude apud Gallos jamdudum inclaruit, ita in Sereniſſimi Delphini uſum Commentarium elaborare in Plinium, Naturalis Hiſtoriæ conditorem, fuit juſſus. Cui operi conficiendo cum ſe accinxiſſet, jamque γεωγραφούμενα ſeu populorum ſitus deſcriptionemque illuſtrare occepiſſet, etiam nummos populorum illorum perluſtrandos explicandosque ſibi eſſe exiſtimavit; præſertim cum ex nummis plurimum Geographiæ, nec minus vicisſim ipſis ex Geographia lucis acceſſurum intelligeret. Quorum notitiam non ſuperficiariam ut ſibi compararet, omnia Collegii Claromontani numiſmata, & quæcunque in Regis Chriſtianisſimi cimeliarchio aſſervantur, curioſe admodum inſpexit, ingentesque exinde nummariæ & antiquariæ eruditionis theſauros ſibi collegit. Conſtituerat autem primum, Commentarii Plinii parti primæ tractatum de Nummis populorum, ſingularem velut appendicem quandam annectere. Sed quia in ampliorem opinione molem id operis excreverat, (nam in eo non populorum modo nomina & appellationes variæ indicantur, ſingulorumque ſitus ſtatuuntur, ſed & prærogativæ, jura, conventus, magiſtratus, ſacra, ludi, fœdera, æræ, explanantur) veritus, ne πάρεργον ἔργου factum videretur, hunc ipſum tractatum ceu particulam a grandi ſuorum in Plinium commentariorum corpore deſecare, & emittere in publicum, tanquam *Prodromum Plinianum* voluit. De cætero, cum tota de nummis diſputatio, in tres partes tribuenda Harduino videatur, in Symbolicam nempe, Hiſtoricam & Geographicam; dilatis in aliud tempus prioribus

ribus duabus, quibus Deorum effigies, & reliquæ, quæ ſymbolicæ vocantur, icones, nec non Regum ac Cæſarum res geſtæ illuſtrantur; hic eam duntaxat partem, quæ populorum ſitum, æras, originem, prærogativas, magiſtratusque complectitur, elucidandam ſibi ſumpſit; quanquam & ex reliquis duabus partibus *Theſauri* hujusce *rei nummariæ* (ſic enim totum operis corpus inſcribit) nonnulla, quæ ad γεωγραφικὰ νομίσματα iſthæc illuſtranda videbantur neceſſaria, hinc inde adſperſit. Partem vero hanc tertiam miris involutam ambagibus, utpote non neglectam tantum ab aliis, aut obiter ſaltem tentatam, ſed & infinitis Autorum, qui ex amplisſimis in rem Nummariam commentariis jam eximium ſibi nomen pepererunt, erroribus ſcatentem, viſus ſibi eſt deprehendiſſe. Facem igitur huic parti attulit, erroresque omnes quos putat, quam liberrime detexit. Affirmare etiam Harduinus in præfatione ad lectorem non dubitat, hoc opus ſuum *Errata Antiquariorum*, niſi jactantiæ ſubterfugere voluiſſet notam, inſcribi potuiſſe; ſibique lectionem autorum in eodem argumento verſatorum non tam profuiſſe, ut proficeret, quam ut illi coarguerentur; præterea innumera fere in hoc doctrinæ genere ſe animadvertiſſe, quæ nondum a quoquam animadverſa ſint; explanatos etiam a ſe nunc primum nummos ſexcentos antea obſcuros; patefactos innumerabiles antiquariorum lapſus; ſitus plurimarum urbium, quarum nomina quoque ipſa Ortelium, Holſtenium, univerſumque ante ſe Geographorum gregem latuerint, indicatos; æras variarum gentium proprias, quæ Chronologicæ artis magiſtros fugerint, deſignatas; nodos denique complures, inexplicabiles hactenus & plusquam Gordios viſos, non ſine ingenti felicitate quadam ſolutos &c. In fine libri ſatis prolixam *de re monetaria veterum Romanorum* diſputationem ex Plinii ſecundi ſententia ſubnectit (locus extat lib. XXIII, ſect. XIII.) explicatque, quid ſit *æs*, *denarius*, *quinarius*, *ſeſtertius*, *quadratus*, *victoriatus*, *nummus bigatus*, *quadrigatus* &c. concluditque his verbis: *Hæc ſunt omnino, quæ Plinius de nummis habet, ab eruditis ſæpe tentata, a nemine ante hunc diem intellecta.* Nummos etiam adjicit addendos, & ſuo quemque loco inſerendos; errata item operarum & curas ſecundas, & indicem tum Cæſarum & Auguſtorum, quorum nummi in hoc volumine conti-

 nen-

Digitized by Google

nentur, tum Magiſtratuum, Prætorum, Pontificum &c. tum rerum memorabilium.

CAUSA VALESIANA,

Authore F. Petro Valeſio Ord. S. Franciſci, S. Theologiæ Profeſſore.

Londini, apud Joannem Brome 1684, in 8.

CUm Carolus II. Magnæ Britanniæ Rex &c. patrium regnum recepiſſet, Romano-Catholicus Hiberniæ Clerus exoſus ſuſpectusque multis rerum novarum, profesſionem fidelitatis Regi ſuo fecit anno 1662, adſtringendo ſe ad juramentum, quod vocant Allegiantiæ, id eſt fidelitatis, a Jacobo Rege anno V regni Anglicani, poſt conjurationem pulverariam detectam, omnibus quibuscunque ſubditis ex autoritate Parliamenti præſcriptum, quo Regia Majeſtas adverſus qualemcunque Romani Pontificis prætenſam auctoritatem validisſime vindicatur.

Quod cum perfide factum ab Hibernis in Romanam eccleſiam, Clerici Belgæ, Hiſpani aliique cenſerent, ac Pontifices ipſi, Innocentius X, Alexander VII, Clemens IX & X, indignisſime ferentes excommunicationibus vindicarent, patrocinium pro omni Hiberniæ Clero ſuſceperunt Fr. ***Raimundus Caronus*** Ord. S. Franciſci, SS. Theologiæ Lector Jubilatus, & Fr. ***Petrus Valeſius*** Ord. S. Franciſci, S. Theologiæ Lector & Hibernici Cleri Procurator. Inter hæc fatis functo Carono, Valeſium deinceps cauſam tueri, indignationemque ferre oportuit.

Acta igitur in hoc negotio collegit, ediditque Valeſius. In horum præfatione initio rationes profert, quæ ſe impulerint, ut ea Londini in Anglia publicaret; deinde de partibus ſingulis diſſerit, ex quibus libellus componitur. Edidiſſe ſe acta illa ait (1) ut cauſæ ſuæ juſtitiam interea palam faceret, donec Apologeticum opus magnum, ſi tamen per ſenectutem id liceret, abſolveret. (2) ut Commiſſarium Generalem Franciſcanorum, Ignatium Broeyer, qui excommunicatoribus Valeſii, Jacobo de Riddere & Guilielmo Herinx in officio ſucceſſerat, inſtrueret tam de momentis cauſæ, quam de judicii novi necesſitate. (3) ut demonſtraret doctrinam, quæ Regum perſonas,

nas,vitas,ditiones arbitrio Papæ ſubjicit,communiter Romano-Catholicis ad concitandum in eos odium & periculum, & nuper iteruma Thoma Lincolnienſi Epiſcopo imputatam, ab univerſali Romana Eccleſia,ſive eccleſia Romano-Catholica deteſtabilem & impiam haberi,nec niſi ab aula Romana,aut eccleſia Romana particulari approbari.

Libellum ipſum componunt Epiſtolæ Valeſii tres,cum brevi ad primam reſponſo,duæ Appendices,& Additamentum.

In prima Epiſtola Londini ſcripta anno 1677, Valeſius Guilielmum Herinx,Commiſſarium Generalem Ordinis S. Franciſci nuper ad Britannos appulſum,enixe rogat,ut cauſis ſuis omnibus diem ſtatuat, ac ſecundum Ordinis ſui conſtituta & eccleſiæ Romanæ canones,præſentibus & arbitris patribus Anglis Capitularibus, auditis primum,quæ in utramque partem allegari poſsint, judicet. Neque enim alibi quam in Anglia,hoc judicium inſtitui debere. Nam Eccleſiæ Catholicæ indubitatos ac divinos canones præcipere, ut cauſarum judicia ibi fiant,ubi crimina, quæ objiciuntur, ortum habuerunt,probarique vel refutari poſſunt fide dignis teſtimoniis. Idem ſe ab initio controverſiæ poſtulaſſe ait. Extra regnum bis citato in Belgium,per regni leges & interdicta Regis ſpecialia non licuiſſe comparere,ideoque a Definitorio Generali Valliſoletano injuſte ob contumaciam quoque excommunicatum ſe eſſe. Cum vero inter patres eos iniquisſime decernentes fuerit Herinx, ægre ſuo ore reſciſſurus quod ſtatuerat, arbitrium omne committi cupit Valeſius Capituli Anglicani patribus,quos, ſi velint non hominum, ſed DEI cauſam attendere,pro ſe pronunciaturos ſperat. Sibi enim firmisſime propoſitum,veritatem doctrinæ & juſtitiam factorum conſtantisſime tueri, ac externa communione privatum, interna ſeu inviſibili omnium DEI Sanctorum communicatione velle frui,& beate mori, inſtar aliorum,qui mortem obierint a Pontificibus ipſis Romanis excommunicati. Ad finem in mentem revocat Commiſſario Generali tribunal DEI terribile,ut cogitet, qua ratione coram illo poſt non longam moram compariturus,excuſaturus ſit injuſtiſſimam ac tyrannicam ſententiam Valliſoletanam, adverſus tot innocentes fratres ſuos latam.

Ad hanc Epiſtolam mox diſcedens Londino *Herinx*, reſponſum bre-

breviſſimum reliquit,cauſam Valeſii ad altius tribunal devolutam, immo jam in eo judicatam, non pertinere amplius ad ſuam cognitionem; & ſi pertineret, in Anglia non decidendam eſſe. In ditione autem Catholica, ſi arbitrium ſuum requiratur,præſto ſe fore,ſi reus præſto ſit. Neque literas ſecuritatis omnimodæ defuturas accedere cupienti. Frivole virum religioſum allegare,ſibi fas non eſſe ex regno egredi: ſerio petentes quoscunque licentiam tantiſper exeundi facile obtinere. Quod ſi peccata non excuſet, ſed agnoſcat Valeſius, ad obedientiam Ordinis ſui & Eccleſiæ redeat,fore,ut omnia præterita obliterentur.

Epiſtola II. prolixa Valeſius reſponſum Guilielmi Herinx ſecundum omnes partes excutit,exprobrando acerbis quandoque verbis, tum inique denegatam in Anglia defenſionem cauſæ ſuæ,tum injuſtiſſimum decretum Valiſoletanum, inter cujus Auctores ille extiterit haut poſtremus.

Epiſtolam III. Valeſius,eodem quo cæteras anno 1677. Londini dedit ad Sebaſtianum Antonium, Comitem Tanarium, Protonotarium ac Internuncium Apoſtolicum in partibus Belgii. *Apud hunc querelam inſtituit de injuſtitia ſibi facta*; ut poſt innumeros pene labores pro libero Hibernis Catholicis religionis exercitio conſervando, multas & graves injurias paſſus ſit; ut deinde citatus in Belgium, ob falſo imputatam contumaciam fuerit excommunicatus, cum, quod ſe non poſſet ſiſtere, interdictum Regium ſpeciale mature allegaſſet, & appellationem contra ſententiam omnem interpoſuiſſet ad Ildephonſum Salizanes totius Ordinis Franciſcani in univerſo orbe Miniſtrum Generalem; ut nihilominus in Capitulo Generali totius Minorum ordinis Valliſoleti an. 1670. celebrato, non confeſſus, non convictus, neque citatus neque monitus, rurſus excommunicatus ſit; ut judicium regulare ſeu Canonicum ſæpe & anxie rogans obtinere non potuerit. *Hinc per Chriſti vulnera obſecrat ac obteſtatur, ut Internuntius Apoſtolicus Innocentio XI. referat, Valeſium ob duas cauſas exoſum redditum fuiſſe Romanæ Curiæ; unam eſſe*, quod in Hiberniæ controverſiis an. 1648. quæ in cauſa tum ceſſationis armorum inter Confœderatos Regni Catholicos & Baronem Inthiquinium initæ,tum cenſurarum,interdicti & excommunicationis contra eosdem confœderatos, eandemque ob ceſſationem a Rinuccini

Nun-

Nuncio in Hibernia Apoſtolico Extraordinario latarum, emerſerant, Valeſius pro appellatione ab iisdem cenſuris ad Innocentium X interpoſita cenſuerit; adeoque & cenſuras iſtas, neque juſtas neque validas fuiſſe docuerit: *Alteram*, quod fidelitatis Regi in rebus temporalibus promittendæ famoſam illam formulam, quæ vulgo Remonſtrantia Hibernorum dicitur, & ſubſcripſerit & defenderit. Plane enim confidit, Innocentium XI non Gregorii VII, non Alexandri VII, non alterius cujuscunque ſuccedanei Romanorum Pontificum, vel dictata, vel facta, vel odia, vel præjudicia in controverſiis iſtis fatalibus, quæ de poteſtate Regia & Papali in temporalibus, poſt mille annos exortæ primum ſunt, labente ſcilicet in deterius Chriſtianiſmo, ſecuturum, ſed pro ſua clementia & æquitate toto orbe celebratiſſima pronunciaturum eſſe, Valeſium ob hoc, quod ſupremi magiſtratus laici poteſtatem in rebus plane temporalibus conſtanter asſeruerit, juxta doctrinam Chriſti, Apoſtolorum, Patrum per mille annos religionis Chriſtianæ, anteceſſorum ſuorum cenſuras immerito paſſum, peſſime autem cum eo egiſſe inferioris ſubſellii judices. Quod ſi Internuncius Apoſtolicus intercedere pro Valeſio, aut Pontifex deprecantem pro ipſo exaudire noluerit, ob officium omiſſum utrique graviſſimam incumbere culpam, nulla excuſatione coram univerſorum Judice olim diluendam.

Appendix prior continet Inſtrumenta ad cauſam Valeſianam pertinentia. *Primum eſt Remonſtratio*, quam an. 1661 nomine Cleri Catholico-Romani Hiberniæ, Carolo II Regi Valeſius exhibuit, quæque totius controverſiæ cardo eſt. *Secundum eſt decretum Capituli Generalis Ordinis Patrum Franciſcanorum celebrati Valliſoleti an. 1670*, quo Valeſius ejusque aſſeclæ grande ſcelus perpetraſſe judicantur, interque reliquos ille jure meritoque ob contumaciam ſuam excommunicatus pronunciatur, ac ipſi & reliquis dies dicitur, ſcripta quævis ab eis edita prohibentur & damnantur.

Tertium Inſtrumentum faciunt Declarationes Facultatis Theologicæ Pariſienſis, factæ ſuper quibusdam propoſitionibus an. 1663. cum Ludovici XIV Regis Galliarum declaratione præfixa. In quibus declarationibus Theologi illi profitentur, ſe conſtanter docere, (1) Summum Pontificem aliquam in temporalia Regis Chriſtianiſſimi auctoritatem non habere, ne indirectam quidem. (2) Regem Chri-

ſtianiſſimum nullum agnoſcere nec habere in temporalibus ſuperiorem, præter Deum. (3) Subditos eidem ita debere fidem & obedientiam, ut ab iis nullo prætextu diſpenſari poſſint. (4) Pontificem nihil valere contra Regis ſui auctoritatem, aut germanas Eccleſiæ Gallicanæ libertates & receptos in regno canones; v. g. non poſſe deponere Epiſcopos adverſus eosdem canones. (5) Summum Pontificem non eſſe ſupra Concilium Oecumenicum. (6) Eundem, nullo accedente Eccleſiæ conſenſu, non eſſe infallibilem.

Quartum Inſtrumentum quatuor vel quinque articulis, Cleri Gallicani de eccleſiaſtica poteſtate declarationem, factam an. 1682 continet, una cum annexo Regis edicto. Decreta hæc ſunt prorſus conſona iis, quæ ex præcedenti Inſtrumento attulimus.

Quintum Inſtrumentum producit illud, quod Jacobi Regis lege præſtari debet in Anglia & Hibernia, non Supremitatis quidem, ſed Allegiantiæ, id eſt, Fidelitatis in temporalibus juramentum.

Sextum Inſtrumentum refert quæſtionem ab Angliæ doctoribus Papæis Sorbonæ propoſitam, *an ſalva fide & tuta conſcientia præſtari poſſit juramentum Allegiantiæ?* & reſponſionem Doctorum ejus Facultatis an. 1680, teſtantium, nihil in juramento illo reperiri verbo Dei, aut Catholicæ & Apoſtolicæ fidei contrarium, proindeque ſalva eadem fide & tuta conſcientia a Catholicis Anglis emitti poſſe; immo & eos ex religione teneri, illud idem, ut fideles decet ſubditos, omni ratione adimplere & exequi.

Ultimum denique *Inſtrumentum* eſt Reſolutio Sorbonicorum an. 1683. ſuper propoſitione quadam, de Papæ poteſtate ſupra Concilium, ex Decreto nupero & famoſo Primatis Hungarici extracta.

Quorum Inſtrumentorum tertium & quartum ſpecialiter eo fine prioribus ſe annexuiſſe, monet in præfatione totius libelli Valeſius, ut appareat, judices in hac cauſa, ſeu Romanos, ſeu alios quoscunque ſubordinatos non recte, ſancte, Chriſtiane, non absque reſpectu perſonarum vel ſtudio partium, non ſolius Catholicæ religionis vindicandæ zelo ductos, ob ſolam Remonſtrantiam, tam ſevere totis annis continuis perſecutos eſſe Hibernos Remonſtrantes; Valeſium vero inter ipſos maxime & acerrime, diris omnibus caput ejus devovendo, nomenque excommunicati Eccleſiarum affigendo valvis. Siquidem eo ipſo tempore ac deinceps ſemper, illi ipſi Cenſores cum Auctori-

bus

bus prædictarum ſex Propoſitionum, & cum Declaratoribus ſubſequentium quinque articulorum, atque adeo & cum Eccleſiis, Academiis, Curiis, Parliamentis, Populo, Clero, Rege ipſo Galliarum Ludovico XIV, non tantum in humanis, verum etiam in divinis communionem habuerint. Certe aulam Pontificiam intimius pungere, & Papatum periculoſius concutere oportere, negatam Pontifici Maximo & *infallibilitatem* in definendo, & independentiam in gubernando, adeo ut ne poteſtas quidem ſit ipſi, deponendi Epiſcopum contra Eccleſiæ Gallicanæ canones, quam abnegationem ſeu abjurationem jurium temporalium quorumcunque in ſummos Principes ac regna a Papa prætenſorum. Et tamen ob iſtam ſolam Valeſium hominem Hibernum a fidelium communione pelli, quanquam ita nemo Gallus, neque ob iſta, neque ob illa quidem, neque vero ob utraque ſimul. Quid, quod totos jam viginti annos integræ, ſalvæ, intactæ a Romanis maneant, propoſitiones ſex Pariſienſes? Quod ne cenſura quapiam hactenus notatæ ſint? Quid, quod neque Innocentius XI, qui tam incomparabili zelo, tam irrefragabili conſtantia Eccleſiæ univerſalis jura tueatur, etſi cum Eccleſiæ Gallicanæ Patribus nuper in regalium cauſa graviſſime expoſtularit, contra præfatam eorum de poteſtate eccleſiaſtica declarationem ne verbum unum? Quid, quod in Doctores illos Pariſiorum ſcholæ Theologos quinquaginta novem, qui etiam nupertime, hoc eſt anno 1680, *juramentum Anglicanum, ſive Jacobinum & Allegiantiæ*, olim a Paulo V reprobatum, approbarunt, idem Pontifex Innocentius neque ſuccenſeat, neque moveatur quidem?

Appendix altera *Excerpta* continet, partem maximam *ex Caroni Remonſtrantia Hibernorum* contra Lovanienſes vindicata, partem aliquam *ex Edmundi Richerii Hiſtoria Conciliorum Generalium* de Gregorio VII Pontifice, alias Hildebrando. In quibus ex fundamento eruitur, diſcutitur, demonſtratur, & adverſus Bellarmini ac Baronii offucias, (hoc enim nomine ibi vocantur) vindicatur, Gregorium illum contra Legem, Prophetas, Evangelium Chriſti, præcepta Apoſtolorum, contra totius per mille poſtea annos Eccleſiæ Catholicæ traditionem, contra ipſum naturæ lumen, primum ſibi violenter ſumſiſſe, & deinceps effuſione ſanguinis Chriſtianorum, tam horrenda, tam immani, vindicaſſe poteſtatem excommu-

 nican-

Digitized by Google

nicandi, deponendi, dejiciendi ab imperio terreno, Principes, Reges, Imperatores ipſos maximos Chriſtiani orbis.

In Additamento deſcribit Valeſius Caroni fidi paraſtatæ ſui vitam per turbas Hibernicas tranſactam, ſubnexo indice operis ab eo contra Lovanienſes publicati.

VOYAGE DU MONT LIBAN, TRADUIT DE L'Italien, du R.P. Jerome Dandini &c. avec des Remarques par R. S. P.

i. e.

Hieronymi Dandini Soc. Jeſu Iter ad montem Libanum, ex Italico Gallice verſum: cum annotationibus de Theologia Chriſtianorum orientalium, ut & Mahommetanorum, Autore R. S. P.

Ad exemplar Pariſienſe 1685 in 12.

TRactatus hujus interpretem, adjectarumque illi annotationum auctorem eundem eſſe, qui *Hiſtoriæ Criticæ de religione & ritibus populorum Orientalium*, in Acta noſtra anno proximo pag. 490 relatæ, auctor habetur, dubitari vix poteſt, & quæ præſcriptæ ſunt literæ, R.S.P, *Richardi Simonis Presbyteri* nomen ſatis aperte indicare videntur. Concordant ſtylus, & libertas de Miſſionariis Pontificiis judicandi. Nam in hiſce ad Dandinum annotationibus non minus, quam in hiſtoria iſta Critica oſtenditur, minus recte fieri, quod Eccleſiis illis Orientalibus errores dogmatici imputentur, qui fere ex ſola terminorum Scholaſticorum ignoratione exſculpi ſolent; nec magis probandum, quod ritus reformentur, qui Latinis antiquiores ſunt. Ita ſcil. a Miſſionariis, falſa quandoque ſubornatione, cujus exemplum notabile refertur, hæreſium indagatarum & extinctarum gloriam affectari, & omnia ad placita Romana, recentioribus ſeculis invecta, imprudenter exigi. Cavendum etiam eſſe ait, ne omnibus credatur, quæ Autores ex illis ſectis Romæ educari ſcripſerint, non magis ac manuſcriptis, quæ jactantur, cum aut interpolata ſint, aut imperfecta. Dolet autem Interpres, quod *Fauſtus Nairo Maronita,*

deo

de quo in hiſtoria allegata mentio facta eſt, non edat, quos dudum paratos habuerit libros, & donec id fiat, aut aliis documentis certioribus contrarium probetur, non vult accedere illorum ſententiæ, qui *Sanctum* quendam *Maronem* commemorant, a quo nomen populo inditum fuerit. Probabilius id Maroni cuidam adſcribendum eſſe autumat, Monothelitarum hæreſi infecto. Seminarium vero, ad adoleſcentes Maronitas educandos Romæ jam dudum inſtitutum, eo tendere, ut imbuti Latina Theologia domum remiſſi, vetera dogmata & ritus ſenſim immutent; quanquam ex Dandini relatione apparet, non caruiſſe id difficultate, nec alumnos illos Romanos ſacerdotia, quæ ambibant, obtinuiſſe, nec ſemper exequi potuiſſe, quæ voluerint: peccatum etiam in eo, quod pueri fere ſtupidi & doctrinæ incapaces Romam miſſi fuerint. De Bibliis & de ritualibus Maronitarum paria habentur in Commentario hoc, ac in Hiſtoria Critica, ſed uberius hic explicata. Arabica lingua ab illo tempore, quo Omar Califa Saracenorum Syria potitus eſt, uſos eſſe Maronitas, ſatis ait conſtare, neque in alia reperiri, quæ ab illo tempore ſcripta ſunt, ſed in Liturgia Syriacam, (quam Chaldæam vocat Dandinus,) retentam fuiſſe, interpretatione Arabica expoſitam, cum pauci etiam ex Sacerdotibus Syriacam intelligant. De *Miſſæ Maroniticæ*, & quæ eadem fere eſt, *Jacobiticæ*, formulis & ritibus plurima lectu digna congeſſit Interpres in Not. *ad Cap. Dandini XXIV*; ut & de precibus & cantibus canonicis, *Bonam Cardinalem* in multis ſequens. Quæ vero de Turcorum moribus & religione, de qua parum certa Dandinus affert, *ad cap. ejus XI* annotavit Interpres, non minus accurata & digna ſunt, quæ conſiderentur, quorum tamen aliqua in hiſtoria Critica jam tetigit. Explicat autem quam ſubtiles & operoſi ſint Turcorum Theologi, in tradendis de Deo, de libero arbitrio, de prædeſtinatione aliisque ejusmodi dogmatibus, ad ductum Ariſtotelis, quem ab Arabibus prius quam a Latinis viſum verſumque, communem cum Scholaſticis Chriſtianis doctorem habeant. Ita plurimas eorum ſectas recenſet, oſtendens quomodo non minus quam *Scotiſtæ* & *Thomiſtæ* diſſideant, utque & *Calvino* & *Socino* præiverint. Quod vero inter tot opinionum divergia de religione unanimiter conſentiant, idpropterea fieri, quod pauciſſimos articulos ad fidem & ſalutem neceſſarios ſtatuant, & in his convenientes, liberrime de omnibus aliis quæſtionibus diſ-

 ceptent.

Digitized by Google

ſceptent. Hæc ex commentario, quem forte libello ipſi præferent Eruditi, præmiſiſſe ſufficiat: ex hoc etiam, quia brevis eſt, referemus, quæ præ cæteris notari, ut putamus, merentur.

Hieronymus Dandinus, nobili familia, quæ etiam hodie apud Cæſennates, in Pontificia ditione Comitum titulo nobilitata eſt, natus, & Jeſuitarum ſocietati adſcriptus, floruit ſub finem ſeculi ſuperioris, primusque ſui ordinis fuiſſe dicitur, qui Pariſiis Philoſophiam Ariſtotelicam profeſſus eſt, uti librum egregium edidit, cui titulus *Ethica Sacra*. Hunc *Dandinum Clemens Octavus* Nuntium, ut vocant, ſive Legatum minoris gradus, ad Maronitas miſit, ubi habita Synodo decreta & canones anno 1596 fieri procuravit, ad Romanæ Eccleſiæ leges proxime accommodatos. Habentur iſti Gallice cap. 28 & 29, ſed Latine cap. 34. Relicta quidem in integro per hos fuit communio *ſub utraque*, & conjugium Sacerdotum, niſi quod cogi hos ad uxores ducendas (id enim plebe urgente fieri ſolebat) vetitum fuit, & ſuaſionibus effectum, ut etiam communio *ſub una* frequentari poſſet. Sed alia non pauca ex ſcitis Latinis inculcata fuerunt, de ritibus Sacramentorum, de purgatorio, & liberandis per preces & miſſas ex eo animabus, de feſtorum multiplicatione, (cum ob victus neceſſitatem pauciſſimis populus iſte uteretur) de aquæ benedictæ uſu, & alia ejusmodi, quæ ut legationis ſuæ officio recte fungeretur, Dandinus curanda ſibi eſſe exiſtimavit. In quibusdam tamen repulſam tulit, & inter alia perſuadere genti iſti non potuit, ut Concilii Tridentini decreta, & faſtos Gregorianos agnoſcerent. Domum inde reverſus cum relationem ad Pontificem compoſuiſſet, hanc de itinere ſuo in regionem Maronitarum, & ad S. ſepulchrum, quod Hieroſolymis colitur, hiſtoriolam conſcripſit, ex qua illam tantum partem, quæ de Maronitis agit, Interpres ex Italico Gallice vertit, non diſſimulans, quod ſenſum quam verba ſequi potius ſibi viſum ſit, & quod quædam negligentius, aut cum exaggeratione ſcripta omiſerit.

Prioribus XIV capitibus narrat Dandinus occaſionem itineris, de qua diximus, & ipſum iter ex *Venetorum urbe* usque in *Tripolim Syriæ*. In his de Cypro Inſula, & Chriſtianorum, qui tunc ibi erat, ſtatu quædam reperiuntur. Poſtea *a cap. XV* Maroniticarum rerum narratio incipit, & ad XXXV usque extenditur; reliqua ad XLII re-

ditum

Digitized by Google

ditum in Italiam exponunt. Regio Maronitarum deſcribitur, quod in monte Libano a ſeptentrione meridiem verſus extenſa, lata ſit unius, longa quatuor aut quinque dierum itinere: montoſa & cautibus tota horrens, ſed rudi ex lapidibus ſubſtructione complanata, omnis generis fructuum feraciſſima, vineas etiam egregias habens, quæ non fodiuntur, ſed arantur, ita diſpoſita vitium ſerie, ut bobus & aratris ſpatium præbeant. Botrorum & uvarum magnitudinem inſignem notat autor, unde hiſtoria exploratorum, quos in Palæſtinam miſit Moyſes, comprobari poſſit. Frigore tamen & nivibus, ob ſitum montoſum, infeſtari tradit, & ex cedris nonniſi viginti aut paulo plures, (numerari enim certo non poſſe ſuperſtitioſe credunt,) ſupereſſe, quæ peregrinis pro miraculo oſtenduntur. Gentem non malo eſſe ait ingenio, forma corporis Italis ſimillimam, ſed pauperrimam, ob miſeram, qua a Turcis opprimuntur, ſervitutem. Tributorum ſane eam annotat gravitatem, quæ Interpreti incredibilis viſa eſt: ſcripſit enim, non tantum in ſingula hominum, qui infantiam egrediuntur, capita XVII *ſcutatos* annuos exigi, ſed & pro ſpatio agri octo pedum, ſcutatum unum, errore, ut Interpres exiſtimat, manifeſto. Nullas ibi urbes, nec pagos populoſos invenit Dandinus. Vicis parvis, & vilibus caſis miſeri habitant, veſtitu tenui, nudi pedes, quos etiam ſacerdotes, dum Miſſam celebrant, non tegebant; ſed Dandinus canonem promulgavit, ut calceati ſacra facerent. Moribus cæteris parum a Turcis diverſi ſunt, niſi quod vinum affatim bibunt. De Clero hæc habet: Epiſcoporum, Presbyterorum, reliquorumque clericorum ordines rite ſervari, ſed Diaconos antiquo more reditus curare, nulla ejus ſollicitudinis parte Sacerdotibus aut Epiſcopis injuncta. Monachos a *S. Antonio* nomen mutuatos ex veteri diſciplina vivere, victum ſibi quemque manibus parantes. Cæterum cælibatum, obedientiam, paupertatem, abſque ulla votorum ſolennitate, ſanctius quam Europæos ſervare agnoſcit, ſicut & jejunia multa cum omnimoda carnium abſtinentia ſervant. Rudes & indocti ſunt etiam clerici, niſi qui Romæ literis imbuuntur. Patriarcha principatum quendam gentis tenet, e monachis electus, ex quibus Epiſcopos ſumunt. Reſidet in paupere monaſterio, cui *Cannubinum* nomen eſt. Duo Diaconi majores, adminiſtrationi redituum, aliarumque rerum præſunt. Eodem tempore, quo Dandinus legatione fungebatur,

batur, obiit *Sergius* Patriarcha, aliusque *Joſephus* nomine electus eſt, unde ritum electionis c. 32 refert. Factionibus tamen locum hoc caſu eſſe, & plerumque defunctorum fratres aut neceſſarios eligi notat, ut adeo etiam *de paupere hoc regno lis ſit*. *Petri* cognomen electi lubenter adſumunt, quod Antiochiæ Epiſcopum fuiſſe credunt; nam Antiocheni titulum affectant, & aliquando a Pontificibus accipiunt. Confirmari ſe curant ab his per diplomata, (quæ ſtylo curiæ magnifico ſcribi moris eſt,) & aliquando delegatos Romam mittunt, qui obedientiam ceremoniis conſuetis profiteantur.

TRAITÉ DE LA NATURE ET DE LA Grace, par L'Auteur de la Recherche de la verité.

i. e.

Tractatus de Natura & Gratia, per Autorem Libri de inquirenda veritate. Editio noviſſima, plurimis explicationibus nondum viſis aucta.

Roterodami apud Reinerum Leers 1684 in 12.

Libri hujus jam in Actis anni præteriti p. 237. meminimus, Tractatum *Antonii Arnaldi* contra Malebranchium, cum quo de *Ideis* diſputat, referentes. Abſtinuimus tamen ab illo excerpendo, tum quod Actorum noſtrorum epocham antecederet, tum aliis de cauſis. Prævidebamus enim fore, ut novis opinionibus contradiceretur, & Autori occaſio præberetur, obſcurius dicta luculentius exponendi. Factum id eſt repetitis libri editionibus, adjunctisque in fine illuſtramentis & explicationibus, nec paucis, quæ noviſſimæ huic acceſſerunt, additionibus. Certum eſt, eum qui mentem Scriptoris plene aſſequi velit, vel ipſo fatente & monente, librum ejus *de Inquirenda veritate*, legiſſe & intellexiſſe oportere. Aliquid de libro iſto loco allegato diximus, neque plura nunc dicturi ſumus, cum in multorum manus jam pervenerit, & nuper Latine verſus, ac Genevæ hoc ipſo anno editus, latius indies evulgetur. Enitemur tamen, ut tractatus hujus contenta, absque tædioſa compilatione eorum, quæ alibi docuit Autor, ea qua fieri poterit, perſpicuitate exhibeamus.

Sco-

Digitized by Google

Scopus ſcripti in præfatiuncula proponitur; id nempe agere autorem, ut ſatisfaciat difficultatibus Philoſophorum quorundam, qui dogmata Chriſtiana conciliari non poſſe autumant cum bonitate & clementia Dei, ſed duritiem atque iniquitatem aliquam in œconomia ſalutis, quam Eccleſia docet, deprehendere ſibi videntur. Autor itaque defenſionem ſapientiæ & juſtitiæ divinæ ſuſcipit, eamque conſtare tradit, etſi in natura irregularia quædam & monſtroſa, & in gratiæ diſpenſatione aliqua reperiri exiſtimentur, quæ culpam perditionis Deo videantur tribuere. Præmiſſa eſt libro *Epiſtola Amici*, in qua excuſatur *Malebranchius*, quod dicta Auguſtini non adſcripſerit, quibus ſententiam ſuam potuiſſet ſtabilire. Veritum enim eſſe dicit, ut apud omnes parem obtinuerint aſſenſum, aut ea credatur eſſe Auguſtini mens, quæ excerptis ex ejus libris tribuitur. Ita nec *Janſenium*, qui tamen magna volumina ex Auguſtino congesſerit, fidem omnibus feciſſe, recte intellectæ aut relatæ Auguſtini ſententiæ.

Partes tractatus *ſunt tres*, ſive totidem *diſſertationes*. *In prima* agitur de neceſſitate Legum generalium naturæ & gratiæ. Theoremata potiſſima hæc ſunt: Deus non agit niſi per voluntatem; voluntas Dei eſt amor ſui ipſius; agit itaque propter ſe, nec mundum niſi ſui cauſa creavit. Non creaſſet autem mundum, utpote finitum, & reſpectu divinæ infinitatis pro nihilo habendum, niſi perſona quædam divina operi creationis ſeſe jungens, dignum id opus gloria Dei effeciſſet. Fecit autem hoc Chriſtus, qui eſt *principium viarum Domini*, & prototypus, ad quem homo creatus eſt, & ipſe mundus, ſedem nempe Eccleſiæ præbiturus. Mundus vero non debuit eſſe æternus, quia non eſt emanatio neceſſaria divinitatis, nec gloria ex ejus creatione eſſentialis eſt Deo: creatus igitur eſt in tempore, non citius nec tardius, & ſufficit quod æternitas creationem anteceſſerit, nihilque efficitur curioſe quærendo, cur non prius creatus ſit; id enim objici potuiſſet, quocunque etiam tempore creatio facta fuiſſet. Disquirit hac occaſione, quatenus liceat myſteria divina perſcrutari, & cum Auguſtino (cujus verba ex Epiſtola ad Coſentium 222 adſcribit,) ſtatuit, licere id poſt fidem; precibus enim impetrare fideles, ut lumen divinæ ſapientiæ in intellectu magis magisque reſplendeat, eo quidem, ut ſcribit, cum profectu, ut etſi cum Sacra Scriptura, modo

populari ſive anthropologico de Deo vulgo loquamur, longe tamen exactius ſentire & loqui diſcant Theologi. Supponit inde, ex Dei attributis duo neceſſario in creando mundo concurriſſe, ſapientiam infinitam, & potentiam irreſiſtibilem. Pro ſapientia autem ſua Deum inter innumeros creandi modos, eum præferre debuiſſe & prætuliſſe, qui ſit ſimpliciſſimus, quanquam explicari non poſſit, in quo proprie ſimplicitas illa ſumma conſiſtat. Exemplum affert de pluvia, quæ etſi divina potentia ita diſpenſari potuiſſet, ut non caderet, niſi in fundos cultos, cadit tamen indiſcriminatim etiam in incultos absque utilitate; ita enim, ut ſcribit, decuit ſimplicitatem divinæ operationis, nec multiplicatio motuum digna Deo fuiſſet. De motus legibus, Carteſianum dogma ſequitur. Deſtruit omnem Philoſophorum de cauſis ſecundis doctrinam, tam in gratiæ, quam naturæ regno, & voluntatem Dei particularem quantum poteſt, vel negat, vel ad extraordinaria quædam, pro oſtendendo divino imperio & abſoluta poteſtate, reſtringit: ideo miracula Vet. Teſt. per declarationem, quæ inter quatuor libro adjectas ultima eſt, ad voluntatem Dei generalem, ſed ab Angelis determinatam refert, eamque ſententiam ex Scripturæ locis, ubi de miniſterio Angelorum in legiſlatione aliisque mirabilibus operibus Vet. Teſt. mentio fit, probari poſſe putat. Hanc opinionem *Arnaldus* totius libri refutationem moliens, per modum prodromi diſſertatione ſingulari refutavit, de qua ſeorſim dicemus. Non minus ex ſua deducit hypotheſi, quod monſtroſa quædam in natura fiant, quam quod non omnes ſalventur, licet per generalem Dei voluntatem perfectio creaturarum, & ſalus omnium hominum intendatur: voluiſſe nempe Deum ſimplici modo agere, & leges generales ſtatuere, ne particulari voluntate parum ſe digna diſtraheretur. Ita mirabiliorem eſſe mundum ob ſimplicitatem viarum divinarum, & ob diverſitatem, quam irregularitas occaſionalis ſecum fert: ſic gratiam lege generali deſtinari, & particulariter applicari, licet non omnes juvet, ut ſapientia tamen Dei, quæ ei conſubſtantialis eſt, ſemper ſubſiſtat & demonſtretur.

Secunda diſſertationis primæ parte uberius iſta explicat, docens, Chriſtum eſſe ſcopum omnium, & ab illo, iisque qui ei, tanquam membra capiti uniuntur, omnem gloriam ad Patrem redundare, nulla eorum, quorum perditio in contumeliam Dei cedere videatur, habita

bita ratione. Ut igitur mundus ſolummodo propter Chriſtum Deo placet, ita nec placere poſſe, niſi qui imagini Chriſti & perfectioni ejus conformes fiunt; per certamina vero piorum, eorumque in concupiſcentias victoriam, gloriam Chriſti augeri. Licet igitur abſoluta poteſtate Deus Eccleſiæ pulchritudinem producere potuiſſet, non permiſſo peccato; nullum tamen modum ſapientiæ ejus magis conveniſſe, quam quod permiſerit omnes peccato involvi, ut omnium in Chriſto poſſet miſereri: gloriam enim quam electi per gratiam Chriſti, reſiſtendo concupiſcentiæ, acquirunt, majorem, & ideo digniorem omni alia eſſe. Nondum itaque, qui duriſſimus videtur, quod ſcil. non omnes ſalventur, & gratia quibusdam fruſtra detur, hoc uno ſolvi poſſe exiſtimat axiomate, quod Deus non velit ſanctificare homines voluntate particulari, etſi generali omnes ſalvos velit. Si vero particularis voluntas Deo attribuatur, reſponderi non poſſe putat, cur *alicui v.g.* tres gradus gratiæ dentur, non dato tamen quarto, qui ad *ſal*vandum requiratur. Liberari autem Deum omni culpa, ſi generalis cauſa ei adſcribatur, nec minus ſanctum eſſe in rejiciendis, quam ſalvandis hominibus. Chriſtum enim exemplum dediſſe reſiſtendi voluptatibus & ſuperbiæ: mortuum eſſe pro omnibus, etiam pro perituris, 1.Cor. VIII, 11: perire autem homines, qui gratiæ ſe non accommodant, nec occaſiones peccandi, vel amore ſui, vel metu inferni evitant, neque impedimenta ſalutis removent, ſed ad eam nullo labore perventuros ſe eſſe putant, non minus ſtulti, quam qui fruges ex agro expectant, quem non coluerunt. Addit tamen, merita naturalia non eſſe cauſam gratiæ, non magis quam pluviæ cauſa eſt labor agricolæ; ſed dari gratiam ſecundum regulas generales, quemadmodum pluviam ex generali lege naturæ. Ad gratias vero Deo agendas nihilominus electos obligari, quia generalia ſalutis media per Jeſum Chriſtum propoſuit; quæ qui negligunt, nec agnoſcunt, Chriſtum eſſe ſcopum omnium, aut ſe ipſos præferunt, & quaſi centrum mundi ſe eſſe autumant, non habere quod de Dei duritie querantur. Ita rejicit Pelagianos, tum etiam eos, qui Deum abſoluta poteſtate in electione agere ſtatuunt, cum nil faciat, niſi ex ſumma illa ſapientia, ad cujus contemplationem Paulus exclamavit: *O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ!* Rom. XI, 33. Conatur tamen ſententiam ſuam etiam ex illorum hypotheſi adſtruere, qui Deum particulari gratia agere exiſti-

Digitized by Google

mant. *Vid. n.57*, & quæ ibi de animabus æterno Dei decreto corporibus uniendis docet, quod factum fore ait cum omnium utilitate ante lapſum, at nunc cum damno fieri, ſi anima in corpus veniat, v. g. a pagano progeneratum, vel locorum aut temporum, vel ſpeciali ſua culpa inter reprobos numerandum. Ad Eccleſiam tamen etiam ex reprobis utilitatem pervenire, ſive quod eorum poſteritas aliquando convertatur, ſive ex comparatione cum electis, quos exercent & excitant. Deum vero ſemper juſtum eſſe, cum reprobos propter abuſum libertatis, neque tamen pœna doloris afficiat, niſi quatenus voluntarie ſive proæreſi peccarunt. Reſpondet poſtea ad dicta Scripturæ, quæ eo ſenſu intelligi poſſunt, ac ſi Deus particulari gratia operaretur, & omnia ad anthropologias refert, non aliter ſcilicet, quam metaphorice accipienda, quemadmodum illa, quæ Deo membra humana attribuunt: neque ex miraculis aliud demonſtrari poſſe, quam ut regula per exceptiones firmetur.

Secunda diſſertatione autor lectorem ad *opus de Inquirenda veritate*, part.II. lib.6. cap.3. ejusque *declarationes* remittit, unde ſumat, immediate agere Deum in ſpiritus & animas, easque modificare, atque ſic veram & propriam cauſam gratiæ eſſe, Chriſtum vero meritoriam. Quæſtionem dein format de cauſa, quæ *ſecunda* ſive *particularis*, aut ut mavult, *occaſionalis* vocetur, quæ cauſæ generalis efficaciam applicet & determinet. Hanc neque in Angelis, neque in homine, ut nunc poſt lapſum ſeſe habet, ſed in ſolo Chriſto ſtatuit inveniri. Operationem autem animæ Chriſti, allegatis Scripturæ locis, Eph.I, 22.23. Col. II, 19. Act.IX, 5. Col.I, 24. 1. Cor.XII, 27. deſcribit, & notandum dicit, animam Chriſti non eſſe infinitam, atque ita non eſſe omniſciam actualiter ſed habitualiter, ob unionem cum divina natura ſive verbo. Hæc prolixius exequitur *in additione ad §.17*: deſideria nempe animæ Chriſti, ait, generaliter ferri ad corpus ſuum myſticum Eccleſiæ quam optime conſtituendum, & quia meritus eſt, ut preces ſuæ a cœleſti patre ſemper exaudiantur, animam Chriſti fidelium precibus excitari, ut interceſſione ſua gratiam his impetret. Animam igitur Chriſti, licet ob unionem cum verbo habitualiter omniſcia ſit, agere tamen particulariter, neque infinita cogitare actu, id enim moleſtum & inutile ſcribit fore: moleſtum, cum non delectabilia tantum, ſed & diſplicitura ſcire deberet; inutile,

quia

Digitized by Google

quia nihil prodeſt cogitare, quæ poſt mille annos agenda ſunt. Cur vero Chriſtus non efficaciter ſuccurrat unicuique, imo totas nationes negligat, hac explicat ſimilitudine: conſiderari Chriſtum ut architectum, qui dum de extruendo cogitat ædificio, non reſpicit ad cæmentum vel tignum particulariter, ſed ad formam & pulchritudinem operis in univerſum, curam vero cæmenti aut tigni uniuscujusq; tum demum habet, cum id aptat, & ædificio inſerit: ita Chriſtum de Eccleſiæ ædificio generatim ſollicitum eſſe, dum omnes ad ſe venire jubet; at non excipere particulariter, niſi venientes & vigilantes, & horum tentationes ſcire iisque mederi. Quæ vero ad objectam difficultatem reſpondet, cur nempe non omnium tentationibus, quas actualiter noverit, particulari & ſufficienti gratia, qua vincere queant, conſulat, eo tendunt, ut dicat, aut ſcire Chriſtum, cui non profuturum ſit gratiæ ſuæ auxilium, aut ut hominem, non debere cordium eſſe ſcrutatorem, nec obligari, ut actualiter cogitet de futuris determinationibus, aut harum revelationem a Patre petat. Ordinem ſcil. generalem, quem ſequitur, non exigere, ut dona ſua pro negligentia hominum futura, ſed ut neceſſe eſt, & ad ſuum propoſitum facit, diſtribuat; alias egrederetur terminos cauſæ occaſionalis: quapropter mirandum non eſſe, quod non omnia ſuccedant. Putat autem locum hæc habere, ſtante licet ſententia, quod Chriſtus, ut homo, cognitionem ſpecialem actu habeat; fieri enim id poſſe modo quodam ſingulari, & ut loquitur, abbreviato. Explicat hoc p. 26, ſed problematice, & in eo perſiſtit, animam Chriſti non ſemper & eodem tempore de ſanctificandis omnibus hominibus cogitare, neque omnia deſiderare, quorum capax eſt, nec æquali menſura ſed ſucceſſivo influxu gratiam diſtribuere. Hanc recipientes non opus habere deſideriis Chriſti particularibus, ſed novas virtute meriti Chriſti ipſos mereri, & ad hoc ſufficere ordinem Dei generalem, ut merentes præmium conſequantur: Chriſtum tamen ſæpius de fidelibus cogitare, conſilia ejus ſequentibus, ſive de pauperibus ſpiritu, & de religioſis, quam de aliis. Gratiam porro, quam Chriſtus ut ſapientia incarnata confert, non eſſe *illuminationis*, ſed *ſenſus* ſive *delectationis* prævenientis, qua concupiſcentiam poſt lapſum nobis inhærentem perdomamus, a peccato abhorremus & in bono delectamur. Gratiam vero *illuminationis* eſſe a *Creatore*, ſive a Chriſto, ut ſapientia æterna. Illam naturalem fuiſſe

Digitized by Google

ante lapſum, hodie per meritum Chriſti obtineri, pro diverſis noſtris applicationibus; hanc ſemper pure gratuitam eſſe, pro diverſis animæ Chriſti deſideriis. Interim *unctio*, ut 1. Joh. II, 27. dicitur, *docet de omnibus*, ſive, delectatio a Chriſto collata excitat attentionem noſtram ad cognoſcendum bonum, quo delectamur.

Hæc *parte hujus diſſertationis altera* latius deducit, ex principiis ſuis monens, illuminationem non determinare neceſſario libertatem aut amorem noſtrum, ſed efficere ut per amorem boni generalem a Deo nobis impreſſum, ad bona particularia ipſi feramur; delectatione vero voluntatem ad objectum quodammodo transferri, ita ut libertas minuatur, ratio diſtrahatur, & ſic nobis non relinquamur integri. Ante lapſum præveniente delectationis gratia opus non fuiſſe, quippe quæ meritum minuiſſet, ut non tam ex ratione, qua incorrupta uti poterat homo, quam ex inſtinctu Deum amaſſet. Sed poſt lapſum præter illuminationem etiam delectationem conferri debere, & ex merito Chriſti conferri, qua homo præſentes voluptates, quæ illuminationem debilitant, vincere valeat, & futura bona reſpicere, quæ absque hac gratia imaginatio ſpernit, & pro nullis habet. Illuminationis autem cauſam occaſionalem dicit eſſe *attentionem* ſpiritus, & preces aſſiduas & ab affectibus purgatas, dein *inſtructionem* & prædicationem ab aliis: hac enim Chriſtum uſum eſſe, via nempe ſimpliciſſima, licet abſolutè & immediate illuminare mentes potuiſſet. Diſſerit etiam de ſcrupulis, cur Chriſtus non citius quam poſt annos 4000 a condito orbe, natus ſit; cur ex Judæis, & ex ſemine Davidis; cur ſub Imperio Romano, aliisque ejusmodi, & rationes quaſdam, licet conſilia hæc Dei obſcuriſſima & liberrimæ ſint diſpoſitionis, ex contemplatione legis ſeu ordinis divini generalis, reperiri poſſe putat, quæ ſub finem hujus partis ſecundæ leguntur.

Jam *tertia diſſertatione* de libertate tractat, & voluntatem hominis definit, *eſſe continuum & naturalem animæ motum ſeu propenſionem erga bonum in genere ſive indeterminatum, & erga Deum*; provocat *ad Libr. III. de Inquir. verit. & Explicationem de natura Idearum*, unde conſtet, ſpiritum non cognoſcere veritatem, niſi per unionem neceſſariam & naturalem cum ipſa ratione univerſali, ſive cum verbo, & ſapientia Dei. Itaque motum mentis ad bonum invincibilem eſſe, & ab omnibus ſpiritibus neceſſario Deum amari, niſi fallantur falſa ſpe-

cie

Digitized by Google

cie boni, & ſic deluſi aliud quid quam Deum ament, & particulare quoddam ex iis, quæ corpus & ſenſus circumſtant, pro bono arripiant. Innatum enim illum amorem boni ſive Dei non eſſe invincibilem, & in *hac non-invincibilitate conſiſtere libertatem*: ita, ut bonum particulare univerſali & vero præferatur, idque fieri dicatur voluntarie. Cum vero bonum dupliciter intelligi poſſit, vel ut cum voluptate percipitur, vel ut eſt cauſa voluptatis: inde fieri, ut anima bonum delectatione percipiens cauſam quoque ejus amet, eique ſe uniat, ut voluptatem ſemper obtineat. Quamdiu hoc non facit, ſed in ſolius delectationis amore hæret, nihil amare a ſe diſtinctum, ſed tantum modificationem ſuam, quæ ex delectatione oritur. Cæcam itaque & ingratam eſſe, niſi cauſam delectationis amet, quæ nõ eſt alia, quam Deus, qui ſolus in animam agere eamque vere delectare poteſt. Quanquam autem populariter bona vocari poſſint creaturæ, per quas delectatio efficitur, fieri tamen id reſpectu Dei, non noſtri, quia non ſunt vera delectationis cauſa. Determinatur autem voluntas hominis vel clara & evidenti cognitione boni particularis, vel confuſa. Per hanc indeterminata quodammodo manet anima, omniaque bona in genere appetit, obtentoque uno ad ulteriora invincibili impreſſione fertur, & ſic amorem mutat aut dividit, oblato alio bono, quam quo fruitur. Deſideria ejus ſunt cauſa occaſionalis cognitionis, qua objecta detegit, & ſibi admovet pro modo deſiderii. Homo autem perfecte liber & rationalis, licet omnia bona deſideret & examinet, neglectis tamen reliquis, non capit niſi immutabilia & æterna. Id facere ante lapſum potuiſſet Adamus, & nunc faciunt Angeli boni. At anima libertate ſua non recte utens mavult præſent a bono frui, quam aliud quærere; fruitio enim delectat, inquiſitio moleſta eſt. Deprehenſa deinde præſentis boni imperfectione aliud quærit, & plerumque id, quod ſenſibus gratum eſt. Hæc imperfecta libertas non poteſt vincere amorem particularium bonorum, habet tamen gradus, ſicut & concupiſcentia, licet omnes homines poſt lapſum imperium in corpus perdiderint; abutuntur enim libertate magis aut minus, pro corporis & ſpirituum naturalium ſtatu & occaſionibus converſationum. Deberet quidẽ quilibet perfecte liber objecti appetibilis amorem ſuſpendere, donec veram ejus bonitatẽ exploraſſet, ſed hujus ſuſpenſionis facultas & judicii præſentia per lapſum infirmata eſt, & ideo ratio ſemper

per

Digitized by Google

per inſtrui debet continuis meditationibus ad augendam libertatem ſive reſiſtendi tentationibus facultatem, quamquam graviores ſuperari nequeant, neque auxilio gratiæ per preces impetrato.

Parte hujus poſtremæ diſſertationis *ſecunda*, gratiæ rationem prolixius explicat, & eam, quæ a Chriſto datur, & delectationem efficit ac mentem prævenit, ſemper efficacem eſſe ſtatuit: utut enim debilis ſit, nec integre ſtatim hominem convertat, ſemper tamen illum, ut ſcribit, ad Deum inclinat, & pondus in ſe habet, licet pondere affectuum majori vincatur; *Gratia* vero *creatoris*, ut ait, ſive luminis, ſola non eſt efficax, quia animam in libertate relinquit. Porro Gratia Chriſti *efficax* quidem eſt, at non *invincibilis*, ſed concupiſcentia præpollente impeditur. Etſi vero vincat cupiditates & amorem Dei producat, hic tamen non eſt meritorius, gratiæ quippe adſcribendus; meritorius autem fit, poſtquam delectatione ſive ſenſu motum amoris ad bonum determinavit, & amor inde per judicium, per ratiocinationem & per cognitionem amabilitatis progreditur. Ita Adamus mereri potuit, quia non inſtinctu, ſed ex judicio amare potuit, & Chriſtus, licet impeccabilis fuit, ob eandem rationem meruit, quod nempe ex electione & judicio amavit, non opus habens præventione, quia carebat concupiſcentia. Tanto ſanctius vero puriusque fuit ejus ſacrificium, quia a voluptatibus abſtinuit, nec in ſe ſuisque perfectionibus voluptatem quæſivit, ſed terribiles illas ſiccitates toleravit, quas pii derelictionem vocant; aut dicendum eſt, amorem ejus delectatione percepta majorem fuiſſe, & per dolores ſeu paſſiones meruiſſe. Luc. XXIV, 26. Actor. XVII, 3. In homine datis perceptionibus æqualibus, ſemper præpollet, & victorioſa eſt gratia, quia concupiſcentia non eſt invincibilis, ſed rationis luce ac conſcientiæ morſu quadantenus retunditur, accedente, ut dixit, merito, ſi quis cum judicio & libera electione, non ex inſtinctu vincit. Qui vero falſa bona etiam ex inſtinctu apprehendunt, nihilominus peccant, quia concupiſcentia *vincibilis eſt*, levius tamen ut jam monuit puniuntur. Pendent ſcilicet omnia a recto vel malo uſu libertatis ſive electionis, qua ſemper verum bonum eligere, falſum rejicere deberemus; ſuccumbimus autem ſæpiſſime, quia ſenſus ex apparentibus & falſis delectat, non æque ex amore Dei: imo hic cum ſiccitate & amaritudine conjungi ſolet, ut ipſi Chriſto accidit, cum derelinqui ſe a Deo quereretur. Hæc fere eſt autoris de duplici gratia ſententia, *Creatoris* una, altera *Chriſti*; ſive *luminis* & *delectationis*, præter quas nulla agnoſcit determinationis ad bonum principia. Oppugnare tamen eos non vult, qui putant Deum actione particulari converſionem noſtram operari; neſcire vero ſe fatetur, quomodo Deus conſequentias actionum humanarum ſciat, quæ ex decretis ejus abſolutis non dependent, metuitque ne metaphyſice diſputando, morali doctrinæ noceat. Hæc ex libro ipſo ejusque novis additionibus excerpſimus; de explicationibus & quæ adverſario *de Ville* reſpondet, alibi dicturi. De orthodoxia judicium ut feramus, non eſt noſtri propoſiti. Facient id ſine dubio non pauci, & ut jam innuimus, prolixa a veterano controverſiarum Scholaſticarum Tractatore diſcuſſio expectatur, cujus primitiæ jam editæ ſunt, & proxime in Actis noſtris comparebunt.

Digitized by Google

N. VII.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ
Calendis Julii, Anno M DC LXXXV.

GODEFRIDI BIDLOO, MEDICINÆ DOCTORIS & Chirurgi, Anatomia Humani Corporis centum & quinque Tabulis illuſtrata.

Amſtelodami, apud Viduam Joannis a Someren, 1685. in fol. chartæ auguſtæ.

TAntum abeſt, ut artium præclariſſima Anatome, licet hodie majori longe, quam olim, ſplendeat nitore, ad ultimum perfectionis omnimodæ faſtigium evecta ſit, ut de die potius in diem novis iisque egregiis ab indefeſſo modernorum labore locupletetur acceſſionibus. Hi ſiquidem nec antiquiorum, nec recentiorum ac coætaneorum nude acquieſcentes inventis, proprias ſectionibus frequentioribus adaptare amant manus, plurima omnino in Animali adhuc Machina perſcrutanda reſtitare non ignari. Nihilominus talis eorum fere cernitur ſors, ut, cum in locis permultis humanorum cadaverum ſectionibus deſtinandorum ſumma regnet penuria, paucioribus Humani Corporis Fabricam in ſuas cultelli acie partes exacte dirimere ſit conceſſum; hinc plures in Brutorum magis & comparata Anatomia, quam hominis illuſtranda, cum laude obſervantur deſudare. Palmam tamen omnibus Autor noſter præripere videtur, qui plurimis incommodis ſusque deque habitis, omnes propemodum ſolidas Machinæ Humanæ partes per clariſſimum quendam pictorem, *Gerardum de Laireſſe*, ad vivum curavit delineandas, delineatasque in præſenti exhibet Anatome. Ea vero pro nova omnino ſuſcipienda eſt, non ſolum quod omnes ejus Figuræ novæ penitus ſint, aque nemine alio ante Autorem tali exſculptæ facie, ſed & quod multa multis quidem Anatomicis cognita, non ta-

men depicta, ſchematibus hic per opticum ſæpius inſtrumentum adornatis, ſicut v. g. *cutis & pinguedinis,glandulosa* itidem *& tubuloſa cerebri*,item *plexus choroidei,linguæ involucrorum,mammarum.glandularum hepatis* ſtructura eſt, illuſtrentur; plura emendentur, circa figuras e. g. *cerebri*, *pulmonum*, *arteriarum,hepatis*, *renum &c.* alia vero de novo quoque adjiciantur, nova v. g. *cerebri meninx duram inter ac piam ſit a media*,item *branchiorum interior facies* ſtanno igne ſoluto ac fiſtulæ immiſſo apte inveſtigata, nec non *ſucciferi chordæ umbilicalis tubuli*, *&c.* Sed ipſum quod ordinem centum & quinque Tabularum ſpectat, alio haud ſtipatarum textu, quam qui ad earum explicationem neceſſarius eſt, totum opus in *ſex* diſtributum deprehenditur *partes*: quarum *prima*, præter denudatum ſexus utriusque corpus, caput cum collo adjuncto ſpinalique medulla; *ſecunda* pectus, dorſum ac lumbos; *tertia* ventrem; *quarta* uterum ingravidatum, fœtum,ejusque annexa; *quinta* artus parteſque his continuas; *ſexta* denique oſteologiam univerſam ita repræſentant, ut anceps quis merito hæreat, num elegantia Figurarum, an accurata partium his deſignata præpolleat ſtructura.

BIBLIOTHECA ANATOMICA, SIVE RECENS in Anatomia Inventorum Theſaurus locupletiſſimus, in quo integra atque abſolutiſſima totius Corporis Humani deſcriptio, ejusdemque Oeconomia, e Præſtantiſſimorum quorumq; Anatomicorum Tractatibus Singularibus, tum hactenus in lucem editis, tum etiam ineditis, concinnata exhibetur. Digeſſerunt &c. Daniel le Clerc & J. Jacobus Mangetus. M. M. D. D.

Genevæ, apud Joannem Antonium Chovet 1685 in fol.

QUam ab uno modo Autore integram Humani Corporis rimatam & depictam luſtravimus Fabricam, denuo nobis ſiſtitur, prout ab Autoribus celeberrimis permultis deſcripta, a duobus vero viris clariſsimis junctim in Theſauro præſenti duos in tomos digeſta proſtat, conſideranda. Cum enim prælaudati hi duo Viri integra Anatomes Humanæ Syſtemata non ea ἀκρίβεια ac diligentia, qua ſingulæ

ſingulæ quidem a pluribus hinc inde partes deſcriptæ ſunt, ab uno eſſe conſcripta animadverterent, duobus abhinc annis ſelectiſſimos præſtantiſſimorum Anatomicorum libros, unam quampiam partem penitus excutientes, ſeparatimque hactenus editos, in corpus unum, a perfecto ſyſtemate Anatomico haud diſcrepaturum, cogere ſuſceperunt, illudque ad terminum feliciter productum nunc quoque exhibent. Totum opus ſex conſtare partibus obſervatur, quarum tres priores, methodo Anatomicis plerumque ſolenni, tribus, quos vocant, ventribus, abdomini, thoraci & capiti dicatæ ſunt; quarta vero pars ea, quæ toti propemodum corpori communia exiſtunt, quemadmodum ſunt oſſa, muſculi, venæ, arteriæ, vaſa lymphatica, lactea, nervi & glandulæ, perſequitur. Quinta animalem ſecundum *Cole* & *Borellum* ſcrutatur œconomiam, Microcoſmi particulas antea profectoria arte velut diſcerptas nunc denuo colligens, quo membrorum invicem habitudô conſtet atque uſus. Sexta demum pars adminiſtrationem tradit Anatomicam, modumque deſcriptas ſuperius partes commode perſpiciendi expedit. Scripta, ex quibus ſingulæ coagmentatæ cernuntur partes, maximam quidem partem jam edita ſeorſim habentur, v. g. *Gliſſonii, Borelli, Malpighii, Peyeri, Warthoni, de Graaf, Bellini, Stenonis, Swammerdammii, Needham, Harvei, Loweri &c.* hiſce tamen ſubinde nova, e. g. *Malpighii* de Cornuum Vegetatione, *Ejusdem* de Ovariis Mulierum & Generationis Hiſtoria, *Manfredi* novæ circa aurem obſervationes &c. deprehenduntur interſperſa: de quibus ut ſeorſim alibi dicamus, operæ fortaſſis futurum erit pretium.

ESSAYES OF NATURAL EXPERIMENTS made in the Academie del Cimento, englishd by Richard VValler Fellow of the Royal Society.

hoc eſt

Specimina naturalium experimentorum in Academia, quæ Lydii lapidis dicitur, factorum; Anglice reddita per Richardum Wallerum e Societate Regia.

Londini, apud Benj. Alſop 1684. in 4.

 Inter

INter Italiæ celebres Academias clariſſimum nomen a triginta fere annis poſſidet *Academia Lydii Lapidis*, quam pro ſuo in bonas literas amore ſingulari, Sereniſſimus Toſcaniæ Princeps Leopoldus quondam auxit & protexit. Eam vero ampliſſimam ſocietatem hodie diremtam eſſe, tanto eruditus orbis acerbius dolet, quanto ille majorem de ea ſpem conceperat, cum naturalium experimentorum in Academia factorum volumen decimo octavo abhinc anno publicaſſet Societatis Secretarius. Librum certe illum Italico ſermone compoſitum tam avide ubique Viri docti ſuſceperunt, ut non facile quis ullum ejus exemplar obtinere nunc poſſit. Quo quidem poſt alias rationes motus Richardus Waller, Societatis Regiæ Anglicanæ dignisſimum membrum, in Anglicam linguam, quæ Secretarius Italice ſcripſerat, nuper tranſtulit, ne opere illius pretii exinde careret gens ſua, in qua eſſe quamplurimos noverat, qui rerum naturalium ſtudio delectentur, & ad eam ſcientiam augendam cogitationes & labores conferant. Ut pauca de argumento libri dicamus, quamvis Auctori viſum non fuerit, in ſectiones & capita librum ſuum diſtinguere, ea tamen ſerie experimenta ipſe enarravit, ut quasdam veluti claſſes conſtituiſſe inveniatur. Primum locum obtinent inſtrumenta, quæ mutationibus aeris, temporumque intervallis dimetiendis ſerviunt. Sequuntur experimenta de presſione naturali aeris, & alia complura facta in vacuo, poſtquam nimirum eductæ fuerant e vaſe crasſiores particulæ circumfluentis nos elementi per antliam Bolyeanam. Poſt hæc diſſeritur de frigore & glacie, cum a natura tum ab arte productis. Oſtenditur immutari figuram vaſorum pro caloris intenſione & remisſione. Aquam comprimi & ad minorem redigi quantitatem poſſe non negatur quidem, refertur tamen compertum fuiſſe, eas vires, quæ aeri notabiliter condenſando ſufficiunt, ſi vel millies multiplicatæ fuerint, vix tantillum inſpiſſare aquam, aut imminuere ejus expanſionem. Pugnatur inde adverſus levitatem corporum poſitivam; & enarrantur experimenta de magnete, de electricitate corporum, de coloribus mutandis, de ſonorum motu, & de corporibus projectis. Porro pondus aeris ad aquam comparati examinatur, & varia promiſcue dicuntur, ad hiſtoriam naturalem pertinentia. Ultima ſunt experimenta de lumine, & animalium quorundam digeſtione.

Verſio-

Verſionem quod attinet, ea ſatis eſt, ſi quid recte judicamus, accurata, optimeque factum ab Autore, quod is terminos Phyſicos & ex arte Chymica petitos ex codice Italico ad marginem Anglici appoſuit, ut videlicet illico lector judicare poſſit, an bene ſinguli Anglice redditi fuerint.

DAN. CLASENII, PH. ET J.U.D. ET IN Academia Julia quondam Anteceſſoris, Commentarius in Conſtitutiones Criminales Caroli V, editus opera Joh. And. Minneri, Jur. Pract. Helmſtad.

Francofurti & Lipſiæ, apud Frid. Lüderwald, 1685 in 4.

EX quo judiciis criminalibus per Germaniam certa forma præſcribi cœpit, eumque in finem famoſa illa Conſtitutio, auſpiciis Imperatoris Caroli V. & univerſorum Statuum anno 1532 in Comitiis Ratisbonenſibus promulgata prodiit; non defuerunt, qui pragmaticam hanc Imperii ſanctionem ſuis illuſtrarent commentationibus. Sic poſt Georgii Remi paraphraſin, extant in eandem *Bernh. Zierizii, Matth. Stephani, Caſp. Manzii, Lud. Gilhauſii*, aliorumque Commentarii; quibus nunc noviter accedit poſthumus hic, quem ſiſtimus, *Claſenii* fœtus, nulli ſane eorum, quos modo recenſuimus, ſive perſpicuitatem ſpectes, ſive doctrinæ ſoliditatem, facile ſecundus. Propoſuerat commentationes has B. Autor publice auditoribus ſuis ante hos tredecim annos, cum adhuc in Academia Julia Profeſſoris munere fungeretur: & quia has non tunc tantum avide exceptas, ſed & poſtmodum multorum precibus expetitas vidit præſens editor, rem non ingratam publico ſe facturum credidit, ſi eaſdem ex ſelectioribus Autoris manuſcriptis, quorum ſcilicet ipſe heres nominatus fuerat, depromtas publici juris faceret. Ita vero hoc in opere ſe geſſit Commentator noſter, ut propoſitis prius ipſis Conſtitutionis Carolinæ verbis (ad primum illud & antiquiſſimum exemplar, anno 1533 Moguntiæ autoritate Imperiali excuſum, correctis,) ſubjiciat ſingulis articulis argumentum ſuccinctum ac dilucidum, addatque deinde ſolidam ac methodicam cujuslibet exegeſin. Inprimis autem id

egit, ut non ſingulorum tantum criminum, ſed & omnium, quæ in proceſſu criminali extantiora deprehenduntur capita, naturam atque doctrinam locis convenientibus diſtincte, ac tanquam ex profeſſo tractaret ac proponeret. Præmittuntur operi ad præparandum melius Lectorem prolegomena, aliquot capitibus comprehenſa, in quibus generatim de delicti definitione, diviſionibus, ſpeciebus, libris denique juris noſtri, in quibus de his materiis tractatur, extenſe ſatis pro inſtituti ratione egit Autor.

JOURNAL DU PALAIS, OU RECUEIL des principales deciſions de tous les Parlamens & Cours Souveraines de France.

hoc eſt

Ephemerides Fori, ſive Collectio principalium deciſionum in univerſis Parlamentis & ſupremis Galliæ Curiis latarum. Pars Nona.

Pariſiis apud Dionyſium Thierry & Joh. Guignard. 1684. in 4.

PErquam laudabile conſiliũ eſt, quod ante annos aliquot inierunt Advocati duo Parlamenti Pariſienſis,)quorum nomina ſub initialibus literis C. B. & G. G. latent,) colligendi nempe elegantiores & notabiliores quæſtiones hinc inde in ſummis Galliæ dicaſteriis deciſas, easdemque poſtea conjunctim per certa temporum intervalla publici juris faciendi. Etenim cum tantum non quotidie novæ factorum ſpecies oboriantur, ſcriptis legibus aut non omnino, aut obſcurius certe comprehenſæ, utique non utile minus quam jucundum eſt, easdem tantorum judicum effatis ſubinde deciſas legere. Sed & in iis cauſis, quæ frequentiori ſtrepitu forum occupant, variantem pro temporum ratione curiarum obſervantiam perſpectam habere, omnibus conducit. Utrumque vero horum egregie præſtant præſentes ephemerides, in quibus inſuper non nuda tantum caſuum recenſio cum ſecuta deciſione exhibetur, ſed & integræ fere advocatorum utrinque diſputationes, ſatis quandoque prolixæ, ſiſtuntur:

tur; ut adeo æque & judicum in pronunciando dexteritas, & patronorum in orandis cauſis ingenioſa facundia exinde perſpici valeat. Imo inſeruntur quandoque cauſæ, quæ per ſententiam revera non deciſæ, ſed mediante tantum partium transactione finitæ ſunt; dummodo caſus ſingularibus circumſtantiis aut argumentis utrinque allegatis ſe commendet; ut videre eſt *pag. 88*. Nonam vero harum ephemeridum partem tantum exhibemus, recentiſſimam ſcilicet; anteriorum vel ideo minus curioſi, quod initia hujus laboris, Actorum noſtrorum natales longe, & integro quidem decennio tranſcendant, inchoati quippe jam anno 1672. Operam tamen, Deo ſecundante, inpoſterum dabimus, ne tomos inſequentes, ſi quos poſthac noviter editos inaudiamus, (quod nunc fere ſemel quotannis fieri conſuevit) intactos relinquamus. Cæterum ut pro more noſtro ex deciſionibus nonnullas per compendium & ſpeciminis loco referamus, ex aliis libuit ſequentes indicare. Nimirum judicatum fuiſſe perhibetur, donationem inter vivos omnium bonorum, factam a parentibus filio, cum onere eosdem ad vitæ tempus alendi, non egere inſinuatione, *pag. 24. ſeqq.* Filios naturales, tanquam per leges regni ſucceſſione omni excluſos, ne tum quidem ex patris teſtamento ſuccedere poſſe, ſi hic non alium heredem habiturus ſit, quam fiſcum, *pag. 63. ſqq.* Matrimonio cum defunctæ uxoris ſorore illicite contracto, per diſpenſationem tamen poſtmodum confirmato, corruere legata atque donationes, quæ in odium hujus matrimonii a fratribus & ſororibus uxoris in alios facta fuerant, *pag. 119. ſeqq.* Vigente conſuetudine, ne retractui lineari amplius ſit locus poſt tres menſes, a vaſalli in fidem receptione computandos, currere præſcriptionem, ex quo vaſallus ad jurandum ſemet obtulit, licet ipſam juramenti præſtationem ob Domini abſentiam differre juſſus fuerit, *pag. 186. ſqq.* Actionem hypothecariam Eccleſiæ contra tertium poſſeſſorem decem annis expirare, nec hoc in caſu quadragenariæ præſcriptioni eſſe locum, *pag. 214. ſeqq.* Valere teſtamentum, quod teſtator, per apoplexiam in tantum loquela privatus, ut non niſi per *ſit*, & *non* mentem explicare poſſet, fecerat ad interrogationem notarii, revocata alia ultima voluntate, quam ſanus antea condiderat, *pag. 230. ſeqq.* ubi etiam modus in interrogando adhibitus curioſe deſcribitur. Porro, publicanum civiliter teneri de delicto ejus, quem telonio

Digitized by Google

lonio præpoſuit, in tantum ut ſententia contra hunc lata ſtringat etiam illum, licet non vocatum in judicium, *pag. 247. ſeqq.* Viduæ Jus validé quæſitum eſſe per pacta nuptialia a cognatis utriusque contrahentium ſubſignata, tametſi ſponſus ipſe iisdem ſubſcribere neglexiſſet, & biduo poſt celebratas nuptias fuiſſet mortuus, *pag. 361. ſeqq.* Venditorem ratione pretii reſidui non habere privilegium præ reliquis creditoribus in fundo vendito, cui emtor antequam bonis cederet, ædificium ſuperimpoſuit *pag. 477. ſeqq.* Legato nomine 40000 librarum, cum heres inconſulto legatario tranſegiſſet cum debitore ob exactionis difficultatem, ut hic non niſi 27000 ſolveret; non poſſe legatarium ab herede integram ſummam petere, ſed eo contentum eſſe debere, quantum hic a debitore accepiſſet, *pag. 455. ſeqq.* Plura hujus generis addere ſuperſedemus, præſertim cum reliquarum deciſionum pleræque in explicandis aut interpretandis particularibus provinciarum ſtatutis occupatæ ſint, adeoque ad exteros minus ſpectent.

LE PLVTVS ET LES NVEES D' ARIſtophane, Comedies Greques, traduites en François, avec des remarques & un examen de chaque piece ſelon les regles du theatre, par Mademoiſelle le Fevre.

Plutus & Nubes Ariſtophanis. Comœdiæ Græcæ in Gallicum ſermonem converſæ: cum obſervationibus & cujusque comœdiæ examine, juxta regulas theatri inſtituto, ab Anna Tanaquilli Fabri filia.

Pariſis 1684 in 12

CUjus elegantiæ induſtriæq; *Anacreontis* & *Sapphus* odas e Græcis, & *Plautinas* tres fabulas e Latinis Gallicas factas annotationibusque eruditis illuſtratas debemus, *Ariſtophanis* quoque binas comœdias, *Plutum* & *Nubes*, Gallicum habitum indutas, doctiſſimis obſervationibus ac præfatione clariores reddere ſategit doctiſſima Anna Fabri filia. Nempe ut exquiſitæ ſuæ eruditionis ſtudium non in uno

in uno quodam Scriptore ſaltem, ſive Græco ſive Latino, ſed in omni genere doctrinæ, cunctisque bonis Auctoribus expoliendis, ac ſuæ genti cultioribus exhibendis verſari oſtenderet. Cum autem inter Græcos veteres elegantia, urbanitate ac ſolida prudentia, nemini philoſophorum aut poetarum quicquam concedere Ariſtophanem intelligeret, ejus duas comœdias, quas diximus, ſermone Gallico, ſtylo terſiſſimo exprimendas ſibi propoſuit: idque adeo feliciter executa eſt, ut cum ipſo Scriptore, quem vertendum ſumſerat, nativa pulchritudine certare videatur, & ambiguum eruditis relinquat, utrum Græci ſermonis rotunditas, an Gallica ſuavitas palmam ferat. Auctoris characterem laudesque, ac ingenii præſtantiam & reconditam prudentiam in *Præfatione* oſtendit: uti ſimul cauſſas affert, cur a paucis pro dignitate comœdiæ iſtæ ſatis æſtimentur, quas omnes dramatum leges exacte ſervare demonſtrat, ſingularumque ſcenarum argumenta expendit; quarum connexionem in *obſervationibus* ulterius exhibet, & non cuivis obvium auctoris ſenſum dilucide exponit.

CEREMONIALE HISTORICO-POLITICO di Gregorio Leti.

id eſt

Ceremoniale Hiſtorico-Politicum, VI voluminibus comprehenſum, autore Gregorio Leti.

Amſtelodami apud Janſſonios 1685. in 12.

Ex compluribus libris hiſtoricis atq; politicis, quos *Gregorio Leti* debemus, recentiſſime ad nos duo ſatis ampli, *Theatrum Britannicum* & *Ceremoniale Hiſtorico Politicum*, perlati ſunt. Et illo quidem, qui Amſtelodami anno ſuperiore excuſus ac quinque tomis abſolutus eſt, ſtatum publicum Britanniæ omnemq; gentis hiſtoriam ita perſecutus eſt, ut memorem ſe probet monitorum *Petri Ronquilli*, Regis Catholici ad Magnæ Britanniæ Regem legati, qui conſulenti noſtro, ex antiqua hiſtoria pauca ſed ſelecta adſpergenda, ex recentiori vero omnia, ſed inſigni brevitate & accuratione, expromenda reſponderat. Poſteriorem vero in uſum Legatorum a ſe compoſi-

Digitized by Google

tum profitetur, quorum pudendam ſæpe in hiſtoriis rebusque civilibus ignorantiam a ſe deprehenſam conqueritur.

Initio operis hujus prolixis querelis de adverſa fortuna ſe vindicat, quam tamen nimia ſcriptorum ſuorum libertate a ſe provocatam haud obſcure innuit, & quousque hiſtoriam ſcripturo, ubi de vitiis & occultis Principum ſenſibus dicendum eſt, progredi liceat, exponit. Inde dignitatem muneris Legatorum explicat, & Principes, qui ineptos illi admovent, multo ſale perfricat, & generalia quædam Legatos concernentia perſequitur. Sic Legatorum immunitates & characterem, & quomodo in utrumvis peccetur, diſtincte exponit, illosque perſtringit, qui ob canem cæſum, famulumve pulſatum, de violato charactere queruntur; inquirit etiam, utrum ſi binas pluresve ædes diverſis in civitatibus Legatus conduxerit, omnes immunitate gaudere debeant. Deinde diverſas legatorum ſpecies, Legatos, Ablegatos, Reſidentes, Agentes &c. enumerat, nec omnibus easdem immunitates deberi, primum vero locum illis, qui libera poteſtate inſtructi ſunt (Ambaſſadeurs Plenipotentiairs vocant,) præ aliis etiam primi ordinis Legatis tribuendum, contra Wicquefortium & communem fere uſum contendit. Libro II. tomi I, Hiſtoriam univerſalem orditur, integris tribus tomis continuandam, ita tamen ut non raro de itinere deflectat, amœnitatibus haud adeo intempeſtivis admonitus. Unde catalogum Romanorum Præſulum, Conciliorum, Regum Galliæ, Hiſpaniæ, Ducum Brabantiæ, Bavariæ, Sabaudiæ &c. reperire datur. Hiſtoriam etiam Antipaparum compendioſe exponit, & utrum illorum legatis tribuenda fuerit immunitas miniſtris publicis debita examinat; illam vero de Alexandro III, ficto ſub habitu Roma Venetias fugiente, quam putat fabulam prolixe refutat. Hierarchiam porro Eccleſiæ Romanæ, & Pontificum in infringenda poteſtate ſeculari artes prolixe exponit, & plurima mala ex nimio Pontificum, non religionem aſſerendi, ſed jurisdictionem ſuam protendendi ſtudio, in orbem Chriſtianum derivata, per temporum ſeriem demonſtrat, Eccleſiæ vero Gallicæ libertates proponit, & adverſus objectiones aliorum tuetur. Inſerta eſt etiam tractatio ſatis ampla, de origine Conclavis, & ritibus in electione Pontificum adhiberi ſolitis, de Cardinalium origine & dignitate, de Ordinibus Equeſtribus, aliisque materiis tractatu dignis.

Abſoluta

Digitized by Google

Abſoluta ſic hiſtoria univerſali, tomo V ſtatum Europæ præſentem & reditus ſingulorum regnorum accurate rimatur, & VI denique ad tractationem de Legatis poſtliminio redit, de receptionibus ſolennibus illis decerni ſolitis, aliisque copioſe ediſſerens; inter quæ potiſſimum notanda accurata enarratio omnium, quæ cum Ducis Sabaudiæ legatus Regiis honore in Aula Britannica æquaretur, evenere, aliunde haud ita facile repetenda. Unde colligere licet, hunc tractatum ob inſignem rerum varietatem, nec injucundum nec inutilem eſſe, adeoque prolixa commendatione noſtra non indigere.

TRAITE' DE LA NATURE ET DE la Grace, augmentée de pluſieurs Eclairciſſements,

id eſt

Tractatus de Natura & Gratia, plurimis explicationibus auctus.

Roterodami apud R. Leers 1684 in 12.

TRactatum hunc *Malebranchii* in nuperrimis menſis Junii Actis pag. 286 enarravimus. Reliquum eſt, ut, quas huc differendas putavimus, explicationes novæ libri de Natura & Gratia editioni a Malebranchio adjectas, promiſſi memores nunc recenſeamus.

Explicatione prima oſtenditur, quid ſit agere voluntate generali, quid particulari. Statuit nempe Autor, DEUM agere in nobis voluntate generali, cum agit ſecundum leges generaliter a ſe ſtabilitas, v. g. ut punctionem dolor ſequatur, globus a globo impulſus moveatur; particulari vero voluntate agere, ſi efficacia voluntatis ejus non eſt determinata ad effectum, per legem aliquam generalem. Hoc modo minime ait derogari providentiæ divinæ, ſed eam potius ſtabiliri, dum docetur, DEUM eſſe, qui omnia in omnibus agat, & quod Natura a Philoſophis perperam deſcripta, nihil ſit aliud, quam Lex DEI generalis, ſecundum quam ſimpliciſſimo & ſapientiæ ſuæ convenientiſſimo modo, & ut cauſa generalis, operatur. Signa deinde proponit, ex quibus dignoſci poſſit, utrum aliquid ex

Digitized by Google

voluntate generali, an ex particulari efficiatur. Pro illa tamen regulariter eſſe præſumendum ait, maxime ſi effectus immediate cauſam occaſionalem ſequatur, v. g. ſi lapis deſuper cadens hominem occidat: ſi vero effectus ſine cauſa occaſionali appareat, vel contrarius ſit legi generali, v. g. ſi venenum hauſtum non noceat, ſi pluvia non promoveat fertilitatem, tunc pro particulari voluntate argumentum ſumi poſſe. Applicat hæc ad diſpenſationem gratiæ, eamque fieri tradit per leges generales, Chriſtum vero ejus cauſam eſſe occaſionalem, quia intercedit pro fidelibus. Quamvis vero Chriſtus etiam ſit cauſa meritoria, meritus ſcilicet ut preces ſuæ occaſio gratiæ impetrandæ eſſe poſſint, neminem tamen ſalvari ex ſola cauſa meritoria, ſed occaſionalem a Chriſto accedere debere, ut nova vita in fideles influat, illique membra fiant corporis, cujus caput eſt Chriſtus, Eph. 4,16. Col. 2,19. Reſpondet poſtea ad aliquas objectiones, v. g. de ſalute fidelium Veteris Teſtamenti; cujus occaſionem non minus ait fuiſſe Chriſtum, reſpectu futuri meriti. Dein ſi dicatur, inutile eſſe novum hoc cauſæ occaſionalis inventum, quia DEUS voluntatem Chriſti determinet, adeoque res eodem recidat, & omnia DEO ſint adſcribenda; plurimis ad hæc avertenda ſtabilire vult ſententiam ſuam, de animæ Chriſti libertate, & volitionibus non infinitis ſed particularibus, & ex principio ſuo, quod DEUM non deceat voluntatibus particularibus ſingulis momentis agere & variare, demonſtrationem a priori molitur; a poſteriori tamen argumenta faciliora eſſe agnoſcit. Ita quia aliqui homines donis gratiæ abutentes pejores fiant, liquido apparere, quod gratia non detur voluntate ſpeciali; alias in Deum culpam abuſus & peccati recidere. Gratiam igitur generaliter cadere ſicut pluviam, adeoque etiam in pectora ſterilia, in quæ DEUS voluntate particulari non agat, quippe quod fruſtra nunquam eſſet facturus. Denique hac opinione ſua, quam novam eſſe non negat, & ideo Eccleſiæ judicio omnimodo ſubjicit, precum utilitatem non tolli, quia voluntate generali DEUS ſtatuerit, ut preces piorum exaudiendæ ſint, & peccatoribus advocatum Chriſtum dederit, occaſionalem ſalutis cauſam præbiturum.

Explicatione ſecunda oſtendit, Chriſtum præfiguratum eſſe per totam Scripturam, etiam in eventibus ante lapſum, & inde diſci, quod primarius DEI ſcopus fuerit Incarnatio Chriſti. Declarat hoc maxime

maxime ex dictis Pauli Eph. V, 22. & ſeqq. de myſterio conjugii ſpiritualis inter Chriſtum & Eccleſiam, cujus typus fuerit conjunctio Adami & Evæ ante lapſum; addit & alia ejuscemodi.

Explicatione tertia id agit, ut demonſtret, Chriſtum & Eccleſiam principaliter a DEO intendi. DEUM ait vere amare omnes homines, ſincere omnium ſalutem velle, dignoque ſapientia, bonitate, immutabilitate aliisque attributis modo agere, & exponit, qualis ſit ordo decretorum, quæ prædeſtinationem Sanctorum continent. Præmittit axiomata non pauca, per quæ adſtruat, etſi homo non peccaſſet, futurum tamen fuiſſe, ut perſona quædam ex Trinitate operi Divino creationis ſeſe uniiſſet, ut id ſanctificaret & dignum autore ſuo redderet, neque niſi interveniente alio, DEUM ſemetipſum honorare potuiſſe. Ita theorematí ſuo innixus, quod indignum ſit DEO compoſitis modis agere quæ ſimplicibus fieri poſſunt, & quod omnipotentia DEI non ita ſit intelligenda, ut ſapientiæ ejus contraria ſit, permiſſionem lapſus humani ſapientiæ divinæ omnino conveniſſe docet, & ad ſcopum tendiſſe, qui erat Chriſtus ejusque Eccleſia, ſive mundus futurus, cujus cauſa præſens factus ſit. Ex ſapientiæ hujus contemplatione impediri Deum, quo minus a ſimplici agendi modo diſcedat, nec abſoluta poteſtate omnium hominum converſionem & ſalutem operetur. Ordinem itaque decretorum prædeſtinationis non eſſe humanum, ut nempe decernat, prius hos & illos ſalvos facere, & poſtmodum de mediis conſultet, per quæ id exequatur, utque pœniteat, ſi non procedant; ſed ſapientiam ſuam in omnibus conſulere. Principium igitur prædeſtinationis eſſe ſapientiam & ſcientiam DEI, neque quidquam eſſe in homine, quod prædeſtinationem ejus determinet, & ita ſapientiæ ejus tribuendum, quod etſi velit omnes ſalvos fieri, particulari tamen & irreſiſtibili voluntate, obſtante ſapientia ſua, converſiones & ſalutem non procuret; alias enim omnes ſalvos fore. Ideo nihil durum eſſe in prædeſtinatione, quia DEUS aliter quam pro ſapientia ſua agere nequit. Ita ſufficit, ut ſcribit, liberaliſſima illa gratiæ generalis diſpenſatio, hominibusque imputandum venit, quod non evitent, quæ efficaciæ gratiæ reſiſtunt. Quanquam vero judicia DEI ſint abſcondita, & prædeſtinationis myſterium profundiſſimum, licere tamen cum *Auguſtino* & *Proſpero*, quantum analogia fidei permittit,

Digitized by Google

ſcrutari, & ad ſapientiam & ſcientiam Dei reſpicere, nec putare, quaſi Deus ex nuda voluntate & obſtinatione agat, ſed quod pro præſcientia ſua prævideat, quæ acturi ſint homines nec ne, datis gratiæ auxiliis. E contrario deſtrui religionem, ſi Deus credatur potens ſupra ſapientiam, & ad exemplum Regum quorundam terreſtrium, perverſa & obfirmata voluntate ageret. Naturam itaque, ſive rationem ſupremam & univerſalem Deo coæternam & ſubſtantialem eſſe, quam licet independenter, neceſſario tamen & invincibiliter, atque immutabiliter ſequatur, nihilque agat, quod non juſtum, ſapiens & ordinatum ſit. Cum Auguſtino quidem tenendum eſſe, Deum non fundare prædeſtinationem in meritis naturalibus, ſimul tamen reſpiciendum eſſe ad ejus ſapientiam & ſcientiam. Conciliat hæc cum Hieronymi & aliorum Patrum dictis, quæ meritis & differentiæ eligendorum aliquid tribuere videntur, & a Pelagianiſmo eos defendit, allegatque dicta Auguſtini *de bono perſev.* c. 9. & *Epiſt.* 107. de *cor. & grat.* c. 13. & *Autorem libri de vocatione gentium.*

Explicatione quarta probare vult, ex miraculis Veteris Teſtamenti concludi non poſſe, quod Deus ſæpe agat per voluntates particulares. Cauſam nempe miraculorum occaſionalem Angelis adſcribit, quorum voluntati particulari Deus voluntate generali obſecutus ſit. Hanc opinionem quomodo refutaverit *Antonius Arnaldus*, mox videbimus. Cæterum de omnibus hiſce explicationibus Theologorum eſto judicium, an ſalva fidei analogia, quæ demonſtranda ſumſit Autor, vere & legitime demonſtraverit, & an per tantam terminorum novitatem & ſubtilitatem ſcopum propoſitum aſſecutus ſit, ut nempe difficultates, quæ in negotio ſalutis & inprimis circa prædeſtinationem objici ſolent, hypotheſibus iſtis, de voluntate generali, de cauſa occaſionali, & de ſapientia & ſcientia Dei, facilius & efficacius removeantur, quam hucusque per alia Theologorum ſyſtemata factum eſt.

Addimus pauca ex defenſione, quam Autor adverſario, *Ludovico de la Ville* oppoſuit. Edidit hic Pariſiis a. 1680 librum cum approbatione & privilegio, & Archi-Epiſcopis ac Epiſcopis Galliæ dedicavit, in quo dogma *Carteſii*, *Gaſſendi*, & *Malebranchii*, quod extenſio ſit de eſſentia corporis, hæreſeos accuſavit. Ex eo enim *Tranſſub-*

ſubſtantiationis articulus infirmari videtur, cum de corpore Chriſti tranſubſtantiato extenſio prædicari non poſſit. Directe autem ad hanc objectionem non reſpondet Malebranchius, ſufficere ratus quæ in libro *de inquirenda veritate* ſcripſit, ab adverſario, ut putat, non ſatis intellecta: ſed per modum inſtantiæ demonſtrare nititur, hæreticum non eſſe, qui principium aliquod ſtatuat & agnoſcat, ex quo malæ conſequentiæ deduci queant, ſi capere non poſſit, quomodo conſequentiæ illæ ex principio ſequantur, aut ſi has neget & rejiciat, aut ſaltem Eccleſiæ judicio ſeſe ſubmittat. Exemplis vero tribus inſtantiam illam confirmat. Ex vulgari enim opinione, quod bruta animas habeant, & quod cauſæ ſecundæ dolorem & voluptatem efficiant, ut & ex negatione principii Carteſiani de extenſione, falſa & impia elicit poriſmata, neque tamen ideo condemnari oportere arbitratur, qui iſta principia amplectuntur, at conſequentias non agnoſcunt. Pro ſe itaque eandem poſcit æquitatem, & philoſophandi libertatem, qua fidei articulis minime putat præjudicari, & per quam ad majorem veritatis lucem perveniri poſſit.

DISSERTATION DE M. ARNAULD, DOcteur de Sorbonne, ſur la maniere, dont Dieu a fait les frequents miracles de l'ancienne Loy par le miniſtere des Anges &c.

i. e.

Diſſertatio Antonii Arnaldi, Doctoris Sorbonici, de modo, quo Deus tempore Veteris Teſtamenti, per miniſterium Angelorum frequentia miracula fecit; Reſponſi loco Autoris tractatus de Natura & Gratia novis Cogitationibus, in additamento, cui titulus eſt: *Miracula frequentia Veteris Teſtamenti nequaquam probant, quod Deus ſæpe voluntate particulari agat*, exhibitis, oppoſita.

Coloniæ, 1685, in 8.

Ex

Digitized by Google

EX præfatione apparet, ab Arnaldo refutationem totius tractatus *de Natura* & *Gratia* parari, cujus jam duos libros abſolviſſe ſe ſcribit, & tertii caput primum, per anticipationem huic ipſi diſſertationi adjunctum producit. Permotum autem ſe eſſe dicit, ut hoc ſcriptum præmitteret, tum quod impedimenta non deſint, per quæ editio refutationis integræ ſufflaminetur, tum ut *Malebranchio* aliquo modo ſatisfaceret, qui moram refutationis impatientius ferre videatur. Præſupponit ante omnia (*cap. 1.*) ſententiam omnium Theologorum & Philoſophorum, ut ſcribit, Chriſtianorum, Scripturæ Sacræ conformem eſſe, quod Angeli poſſint agere in corpora, eaque movere, quatenus id Deus præcipit aut permittit, & quod ita ſint executores voluntatis divinæ. At novi ſyſtematis autorem *Malebranchium* contrarium ſtatuere, nempe Angelos non executos eſſe voluntatem Dei, ſed Deum obſequutum eſſe voluntati Angelorum: ita nempe ut Deus, veteris Teſtamenti tempore, voluntate generali voluerit, ſive lege generali ſe obſtrinxerit, ut id quod vellent Angeli, quos populi Judaici gubernationi præpoſuerat, ipſe efficaciter præſtaret: unde inferat, non poſſe ex miraculis illo tempore frequenter editis probari, Deum ſæpe voluntate particulari agere. Verum Arnaldus nihil probari ait a novæ opinionis inventore, ex allatis Scripturæ locis, quam quod Angeli ſint miniſtri Dei, & quod Deus eorum miniſterio utatur, minime vero quod Deus agat ex voluntate Angelorum. Aggreditur inde duo axiomata quibus innitatur Malebranchii opinio, nempe quod Deus omnia agat, adeoque doctrina de concurſu & de efficacia cauſarum ſecundarum inter Chriſtianos locum habere non debeat; dein quod Deus potentiam ſuam cum creaturis etiam intelligentibus non communicet, niſi eatenus, ut cauſæ occaſionales ſint, per quas voluntas divina ad producendos effectus determinetur, indeque fiat, ut creaturæ tantum agant per deſideria, Deus autem ſolus vere & realiter: utrumque vero hoc dogma falſum eſſe arguit. Dein (*cap. 2.*) prolixe Malebranchii opinionem exponit, quibus conditionibus cauſæ occaſionales agant, indeque concludit, etſi concedatur, (quod tamen minime concedendum exiſtimat,) Angelos nullam poteſtatem realem ad movendum corpora habere, minime tamen ſequi, quod Deus non egerit voluntate particulari in miraculis veteris Teſtamenti. Falli ſcilicet *Malebran-*

branchium, & fallere, quod non ſufficienter diſtribuerit cauſas in reales & occaſionales: præter iſtas enim dari potentias non reales, quæ tamen non ſint occaſionales, eo ſenſu quem docet Malebranchius. Reſpondet ſpeciatim (*Cap. III*) ad omnia Scripturæ loca, quibus nova opinio, qua voluntas Dei particularis impugnatur, adſtrui poſſe videtur, Auguſtini ſententiam ſæpe allegans, & ejusdem & aliorum Patrum autoritate, ut & ex allatis Scripturæ locis (*Cap. IV*) contrarium docet, angelos ſcilicet non niſi juſſu & mandato Dei agere. Cum vero Malebranchius ex dicto Apoſtoli *Gal. III, 19* maxime urgeat, quod *lex ordinata ſit per angelos*, oſtendit Arnaldus (*Cap. V*) neque ex illo, neque ex aliis locis legitime inferri, quod Deus non agat voluntate particulari, etſi miniſterio angelorum utatur; itaque ignoratione elenchi aut petitione principii peccari. Probari enim debuiſſe, Deum neque legem dediſſe, neque miracula patraſſe ſuo conſilio, aut voluntate & deſtinatione particulari, ſed ſolum angelorum, ut cauſæ occaſionalis, conſiliis & deſtinatis obtemperaſſe: nam de hoc quæri, minime vero an Deus miniſterio angelorum uſus ſit; hoc enim facile concedi, & ex Interpretum tam Judaicorum quam Chriſtianorum conſenſu conſtare, quod quæ Deo in Veteri Teſtamento immediate adſcribuntur, per angelos peracta fuerint. Notat hac occaſione & miratur, quod *Hieronymus* locum *Exod. III, 2.* vertens, in apparitione Moyſi in rubo ardenti facta, vocem *angelus Domini*, quæ in fonte Hebræo & verſione LXX habetur, & a B. Stephano & D. Paulo allegatur, omiſerit. Super eadem materia (*Cap. VI*) preſſius inſiſtit adverſario, neque ſententiam ejus molliri poſſe ſcribit, ſi dicat, Deum nihilominus autorem legis eſſe, quia Angelis occaſionalem cauſam præbentibus, v. g. legiſlationem deſiderantibus, efficaciam & vires præſtiterit, veluti homini brachium movere deſideranti, motus facultatem præſtat. Nam ſi hoc tantum modo cauſa realis ſive efficax Deo adſcribatur, manifeſte ſequi, quod Deus etiam cauſa realis ſit actionum peſſimarum, eademque ratione v. g. autor Alcorani dici poſſit, Mahometo nempe ut cauſæ occaſionali, librum ſcripturo, vires commodans. Addit plura, quibus Malebranchio in hac quæſtione de Lege Dei generali & ordine immutabili, & quomodo ſapientia Dei ab omnibus, qui veritatem aliquam percipere volunt, conſuli poſſit & debeat,

multas difficultates & contradictiones impingit. *Cap. VII.* ſequelas quaſdam ex hypotheſi iſta deducit, honori divino contrarias, & ſtante illa regimen populi Judaici non Theocratiam, ſed Angelocratiam dici debere indicat. Opinionis vero tam novæ, omnibusque Patribus & Theologis incognitæ, fundamenta temere poni in præſuppoſitis, quæ autoris ſola aſſertione & perſuaſione nitantur, quibus negatis ſuperſtructa omnia corruant. Erraſſe inprimis, quod dum viderit Deum agere ex lege generali, ſibi ipſi præſcripta, putaverit idem dici, ac ſi dicatur Deum non agere per voluntates particulares; cum tamen ex innumeris exemplis demonſtrari queat, agere Deum ex lege generali, & tamen eodem tempore etiam agere voluntate particulari. E. g. Deus lege generali decrevit, ut anima creetur, & jungatur corpori humano, ſtatim atque id in utero matris concipitur, neque ab hac lege receſſit in incarnatione filii ſui. At ſine horrore ne cogitari quidem poſſe, quod Deus non egerit voluntate particulari, cum crearet animam Jeſu Chriſti. Addit, ſe Chriſtiani nomine indignum fore, niſi crederet animam ſuam voluntate Dei particulari creatam fuiſſe, etſi dependenter a prima formatione corporis ſui in utero matris; itaque pro Epicuræa cogitatione deteſtaturum eſſe, ſi putaret formationem corporis ſui ex fortuito naturalium concurſu factam eſſe, non vero ex ordine præciſo & determinato providentiæ divinæ. Tandem etiam in dubium vocat, quæ de idea entis perfecti *Malebranchius* præſupponit, & contradictionibus implicari exiſtimat, allegans *Meditationes* ejus *Chriſtianas Cap. VII, §. 6. & 7.* Ubi contra Atheos productionem creaturarum etiam minutiſſimarum voluntati divinæ particulari adſcribit. Ultimum demum effugium ejus de anthropologia Sacræ Scripturæ ita ereptum it,ut etſi quædam locutiones, v. g. ubi Deo os, manus, pedes, tribuuntur, a nemine ſano pro metaphoricis non habeantur, inde tamen minime liceat clariſſima dicta, quibus voluntas Dei particularis probatur, pro figuratis habere, aut indignum Deo judicare, ſi particulari voluntate agat.

Cæterum in adjecto ſpecimine ex libro ſuo inedito, Arnaldus ad hanc ipſam diſſertationem provocat, & iiſdem fere rationibus theſin *Malebranchii*, qua Chriſtum cauſam ſalutis occaſionalem eſſe tradit, oppugnare aggreditur, tria dogmata ex illa eliciens orthodo-

thodoxiæ adverſantia. *Primo* enim non recte negari, Chriſtum hominem ullam poteſtatem agendi in corpora habere, cum tamen ex tot Patrum dictis conſtet, vi unionis perſonalis Chriſtum divina operatum eſſe miracula in corpora & mentes hominum, & carnem ejus in ſacra cœna fidelibus divinæ vitæ vires conferre. *Secundo* male doceri, Chriſtum hominem ita cauſam eſſe gratiæ diſtribuendæ, ut Deus nulla particulari voluntate hujus vel illius peccatoris converſionem, aut Evangelii prædicationem in hoc vel illo loco procuret, ſed tantum deſideriis Chriſti, ut hominis, lege generali obſtrictus effectum præſtet. *Tertio* quod id fiat, ne moleſtia particularis voluntatis ſive curæ Deo indecenter tribuatur. Ex his enim ſequi notat Arnaldus, ſi indignum ſit Deo particulari voluntate agere, nihilque ei quam executio eorum relinquatur, quæ Angeli vel Chriſtus, ut cauſæ occaſionales, deſiderant, indignum etiam fore, ut illis deſideria particularia inſpiret, indeque futurum, ut Chriſtus deſideria ſaltem humana habuerit & habiturus ſit. Ex dictis vero Scripturæ, quibus *Malebranchius* firmare voluit, Chriſtum cauſam eſſe occaſionalem, nihil aliud ait probari, quam officium Chriſti mediatorium. Exigi autem omnino probationem evidentem a novarum aſſertionum autoribus, easque valide negari a receptarum ſententiarum propugnatoribus, donec noviter inventa rite probentur. Ea propter Epilogum addit, quo *Malebranchium* ad ſufficientem probationem cohortatur, & aſſenſum ſuum, ſi illam præſtet, non denegat, aut ſuccumbenti gratiam divinam apprecatur, ut veritati palmam porrigat, nec pernicioſa licentia alienum ſenſum Scripturæ affingat Præmiſſæ ſunt diſſertationi approbationes cenſorum *Mechlinienſium*, & Theologorum quorundam *Lovanii*, *Leodii*, & *Inſularum Flandriæ*, unde conjici poteſt, integram refutationem ab *Arnaldo* compoſitam in publicum prodituram eſſe, ſi approbatores ejusmodi invenerit, & in cenſorum manibus fortaſſis hucuſque hæſiſſe.

OBSERVATIO DE USU INTESTINI COECI in figurandis quorundam animalium excrementis.

Ex Transactionibus ſive Actis Philoſophicis Anglicis Januar. 1684 num. 155. pag. 455.

Digitized by Google

VIr Clariſſimus, Martinus Lyſterus Medicus Oxonienſis, innuerat in Transactionibus anni 1673 num. 95. inteſtini cœci uſum, colo & recto ſubſervientem, manifeſtum videri in animalibus, quorum excrementa determinatam habent figuram. Id vero *in Epiſtola ad Henricum Oldenburgium Societatis Regiæ, dum viveret, Secretarium meritiſſimum (quæ nunc primum editur)* ita explanat: determinatam figuram a ſe intelligi (1) in excrementis in multas minutas partes ſimilis figuræ diviſis, qualia ſunt ovium, cervorum, cuniculorum, leporum, ſoricum, murium, equorum, bruchorum, cochlearum quarundam, &c. (2) Laxiore ſenſu in omnibus excrementis quæ liquida non ſunt, qualia ſunt ſtercus columbinum, anſerinum, humanum, canis, felis, &c. Cœcum putat ambobus figurandis inſervire, ſed hoc maxime manifeſtum eſſe in prioris generis excrementis. Nimirum hujus inteſtini uſum in eo conſiſtere videri, ut excrementa in cavitatem ejus delata (quod ipſius opinione, in ſanis ſaltem animalibus, vel omnibus alvinis fæcibus, vel maximæ earum parti contingat) tam diu ibi ſerventur, donec ſatis exſiccata, indurata, ac juſtam conſiſtentiam nacta ſint (quemadmodum argilla formis attemperanda) ut figuram in colo & recto melius recipiant. Hoc in animalibus prioris generis ſibi manifeſtius apparere. Nam in mure majori, exempli gratia, cujus excrementa utique conſtanter figuram ſimilem ſervant, cœcum valde amplum eſſe, ipſoq; ſtomacho capacius, & mirabilem coli ſtructuram in hoc animali adjuvare conjecturam. Nam ſtatim infra valvulam inteſtini coli eſſe ſpirales quaſdam fibras, quæ cochleæ quoddam genus componant: unde colligit fæces mora in cœco juſtam conſiſtentiam nactas, atque inde propulſas in ſpirales iſtas plicas coli, non recta & ad perpendiculum, ut ante in tenuibus inteſtinis, deſcendere poſſe, ſed lente per cochleæ anfractus, atque inde figuram acciperre. Itaque ſi ligaretur cœcum, aut alia ratione fæces non admitteret, credit inevitabilem animali fore diarrhœam. Neſcire ſe quidem, an in univerſum & in omni animalium genere, quo magis figurata ſunt excrementa, eo capacius cœcum deprehendatur; illud tamen certum eſſe, in quibuſdam animalibus natura laxis cœcum aut nullum reperiri, aut perexiguum, ut in talpa, echino terreſtri, gulone, genere picorum quos Angli vocant *Wood-pecker*, genere accipitrum, aliiſque. Varias autem excrementorum figuras in non paucis animalibus

bus jam a ſe obſervatas, modumque quo & recipiuntur in cœco & ibi præparantur, & conjecturas quasdam ſuas de conſilio naturæ in figurandis excrementis, impediendæ primum diarrhœæ, deinde retardandæ famis cauſa (quemadmodum teſtudinibus tota hyeme plena ſint inteſtina) denique fermentationis ac digeſtionis in ſtomacho & tenuibus inteſtinis diutius perficiendæ gratia (de quo mox cogitationes ſuas alio loco publicaturus ſit) a ſe nunc præteriri.

EXPERIMENTA CIRCA INCREMENTUM ponderis in oleo Vitrioli aeri expoſito, una cum inventis quibusdam novis Hygroſcopicis, per VVilh. Gould, M. B. & Collegii VVadhamenſis, quod Oxoniæ eſt, Socium.

Ex Transactionibus Philoſophicis Anglicanis, Menſ. Febr. 168¾. n. 156. pag. 496. ſeqq.

EX quo Celeberrimus Boyleus doctrinam de magnete aereo erudito orbi communicavit, varie ulterior negotii hujus inveſtigatio curioſos occupavit. Obſervatum inter alia eſt, corpora quamplurima, per ignem nonnullis ſui partibus conſtituentibus exuta, avide poſtmodum particulas aereas imbibere, in tantum ut etiam pondere manifeſto augeantur: cujusmodi quid deprehenditur in calce, viva præſertim, itemque in capite mortuo ſalis, nitri, aluminis & vitrioli. Eodem ſpectat, quod omnia ſalia fixa, per deliquium fluida redduntur; quodque terra, ex qua nitrum fuerat extractum, ſpatio ſeptem annorum in loco umbroſo accumulata, plene per aerem impregnata de novo fuerit deprehenſa. Hactenus tamen hæc de incremento corporum ex aere indagatio fere circa ſolida ſubſtitit: de liquidis enim, cum proprio, quo conſtant, humore jam abunde ſatiata crederentur, parcior ſuſpicio fuit, ea novum ex aere pabulum appetere. Nihilominus cum caſu animadverſum a nonnullis eſſet, oleum vitrioli notabile ex ambiente aere incrementum capere ſolere, rem dignam Gouldius exiſtimavit, quam experimento inſtituto curioſius inveſtigaret. Rem vero ita adgreſſus eſt. Tres drachmas olei vitrioli, in tantum dephlegmati, ut filum craſſius corrodendo diſſolveret, vitro


Digitized by Google

aperto, cujus diameter trium pollicum erat, infudit, illudque bilanci accuratæ impoſitum ſtatuit in loco ab igne & Sole libero, poſteaque pondus aliquoties quotidie examinavit ac conſignavit, adnotatis inſimul curioſe tempeſtatum ventorumque variationibus. Senſit itaque pondus indies augeri, in tantum, ut intra ſpacium 57 dierum, a tribus drachmis, ad drachmas novem & 30 grana adſcenderet. Incrementum autem hoc neutiquam æquale quotidie fuit, ſed ſingulis diebus decrevit, & adeo quidem, ut cum primæ diei augmentum mox fuiſſet dr. 1. gr. 8, ultima dies vix dimidium granum adjeciſſe ponderi notata fuerit: quo magis enim liquor ſaturatus, eo minus quotidie incrementum accedere viſum, non æqua quidem deſcenſus proportione, ſed ea modo aucta, modo imminuta, pro diverſa aeris ventorumque temperie. Scilicet obſervatum eſt, incrementum largius fuiſſe tempeſtate humida, pluvioſa, nebuloſa aut nivoſa, flante item auſtro aut zephyro, quam tempore gelido, claro & ſicco, eurove aut borea ſpirante; nocturnis itidem, quam diurnis horis. Cauſam primariam hujus phænomeni non aliam ſuſpicatur Gouldius, quam humiditatem aeris, quam liquor hic tanquam ignis potentialis æque avide imbibat, ac nitrum ignis actualis depaſcit; ut adeo incrementum hoc non aliud ſit, quam mera aqua. Probat hoc non ex colore tantum hujus liquoris, qui cum antea ſaturate ruberet, limpidior poſtea evaſit; ſed & ex eo, quod de materia hac, deſtillationis examini ſubjecta, liquor primum prodiit æque inſipidus ac aqua pura, poſtea vero, igne magis intenſo, guttæ evaſerunt acidæ; remanens in Retorta oleum eandem corrodendi vim retinuit, ac initio habuerat. Obſervatum ulterius eſt, quo amplior liquoris ſuperficies proportione habita ad ejusdem quantitatem, aerj pateat, eo celerius eſſe incrementum. Sic tria hujus olei grana fruſto vitri infuſa ad latitudinem ¼ pollicis, mox primis 6 horis alia 3 gr. attraxerunt, & intra minus quam 48 horas liquor jam tantum non plene ſaturatus plus quam triplum primi ponderis exhibuit. Cæterum eundem effectum, quem recenſito hactenus modo oleum Vitrioli præbuit, expectandum credit inventor ab oleo ſulphuris per campanam, oleo tartari per deliquium, liquore item Nitri fixi, &c.

Cum vero Oleum Vitrioli, dicto modo ab aere humidiſſimo plene ſaturatum, poſtmodum aut retineat aut remittat acquiſitum pondus,

prout

TAB.VII.
ad A. 1685. pag. 317.



Google

prout aer magis minusve humoribus ſcatet; Gouldius exiſtimat, ope hujus obſervationis hygroſcopium conſtrui poſſe, accuratione nulli alii cedens. Scilicet liquore dicto modo comparato libræ impoſito, ſi ſiccior fuerit tempeſtas, pondera appenſa; ſin humidior, liquorem præponderare. Duplicem vero modum docet, libram talem conſtruendi, quo res accuratius procedat: nimirum ut aut axiculo in medio ſcapi poſito, lingula examinis in arcu anſæ applicato monſtret gradus humiditatis, prout videre eſt in *Fig. 1.* aut lance, quæ liquorem continet, proxime axem appenſa, alterum ſcapi brachium tam prolixum fiat, ut ejus cuſpis in tabula appoſita limbum, gradibus diſtinctum, commode ſtringat, uti oſtendit *Fig. 2.* Utroque modo jubet lancem liquori dicatam fieri ex vitro concavo, quatuor aut quinque pollicum diametrum habente, quo amplior olei ſuperficies aeri pateat. TAB. VII.

Occcaſione hujus inventi, aliud hygroſcopium facile parabile conſtruere docet *Fig. 3.* ex prolixiore nervo fidium (*Viol-ſtring.*) Jubet enim hunc ſuper aliquot trochleas ita protendi, ut altera quidem extremitas paxillo infixo alligetur; altera vero pondus appenſum habeat, cui prolixior ſtylus ſuper axiculo verſatilis ſit applicatus: ſtylum nempe hunc in appoſito limbo gradus deſignaturum, prout pondus, cui inhæret, aut chorda per aeris humiditatem laxata demittatur; aut per ſiccitatem contracta ſurſum elevetur. Commodius adhuc rem proceſſuram exiſtimat, ſi ſtylus index centro ultimæ trochleæ applicetur.

ADAMI ADAMANDI E SOCIETATE JESU, Kochanski Dobriniaci, Sereniſ. Poloniarum Regis Mathematici & Bibliothecarii, CONSIDERATIONES & Obſervationes Phyſico-Mathematicæ circa Diurnam Telluris vertiginem, a multis abſque certis Demonſtrationibus aſſertam; quarum aliquot Methodi proponuntur. Ex Epiſtola ad Actorum Collectores.

I.

CUm præfervido nimis ſtudio complura ſeculi noſtri Ingenia complexa fuerint Hypotheſin Philolaicam, a Copernico populari noſtro

ſtro excultam, eam ob rem prudenti conſilio, Purpuratus S. Inquiſitionis Romanæ Senatus, occaſione a Galilæo Florentino data, vetuit, ne opinio hæc in Theſin dogmaticam tranſiret, ac tanquam pura puta veritas ubique deprædicaretur. Quæ enim Hypotheſi illi, tanquam ſi reapſe vera eſſet, ſtabiliendæ, ejusdem Sectatores hucusque ſubſtruxerunt Argumenta, ſunt ejus firmitatis omnia, ut meræ probabilitatis limites haud tranſcendant, ac proinde nos minime cogant, ut apertas S. Codicis de Statione Terræ locutiones, aliter ac ſonant, interpretemur: Id enim tunc primum facere licebit, ac etiam oportebit, cum fuerit inventa, quam quærere cuique licitum eſt, inconcuſſa Demonſtratio Phyſico-Mathematica, vertiginem Telluris evincens. Tales equidem hoc loco prolaturum me non adpromitto, viſum tamen mihi eſt Viris per Europam Eruditis expendenda proponere ſequentia Cogitata, & Obſervata mea; ut ipſi quidpiam iſtis exactius cogitando, & ſi quidem tulerit occaſio, etiam diligentius explorando deprehendant.

OBSERVATIO I.

2. AD enodandam hanc oppido implexam difficultatem Aſtronomicam, plurimum, niſi fallor, faciet ſequens Obſervatio mea, quæ eſt hujusmodi. Cum Anno 1667. in Collegio noſtræ Societatis Florentino Matheſin publice prælegerem, contigit Menſis Aprilis die 17, in quam tunc Dominica in Albis inciderat, Hora Italica 11½. totam Urbem trina motæ telluris reciprocatione fluctuare. In quo Phænomeno, mihi nunquam antea viſo, duo mecum expendebam: Primum ſubitaneam Aeris, tunc ſumme ſereni, & tranquilli concuſſionem: Deinde vero, tres illas terræ vibrationes ab Oriente Æquinoctiali in Occidentem, & viciſſim, directas fuiſſe; ac tum eo ipſo momento mihi venerat in mentem, Phænomenon hoc idoneum fore ad probandam diurnam telluris vertiginem, ſi modo in omnibus Terræ motibus id ipſum conſtanter eveniret. Eam ob rem eo ipſo die ſollicite inquiſivi ab omnibus in illo Collegio Sociis, qui alias alibi terræ motum ſæpius fuerant experti, quamnam Mundi plagam agitationes Terræ in illis locis tunc ſpectaverint: ac tum a compluribus eorum didici, probe tamen prius intellecto ædificiorum ſitu, ab illis mihi expoſito,

ſito, vibrationes illas ſimili plane modo peractas fuiſſe. Contuleram poſtea Florentiæ meam hanc Obſervationem cum Doctiſſimo Viro, mihique amiciſſimo, Dn. Vincentio Viviani, celeberrimo per Europam Geometra, ac inſuper eadem de re egi per Epiſtolam, cum P. Jo. Bapt. Ricciolio noſtro, in Aſtronomia, & aliis ſcientiis verſatiſſimo; qui tamen in ſua Reſponſoria, quam etiamnum adſervo, non videbatur magni facere meam iſtam Reflexionem.

3. Cum vero Anni 1670 Menſe Januario Florentia Pragam iter agens, Venetias perveniſſem, ibidem fortuito intellexi, Dn. Franciſcum Travagini, Virum eruditum, idipſum obſervaſſe in illo Terræ motu, qui prædicto anno 1667 die April. 6. hor. 13 Ital. Urbem Raguſanam ſubverterat, & ipſas quoque ſuccuſſerat Venetias, ubi varias recenſet Obſervationes, quibus telluris ab Ortu in Occaſum, & viciſſim, fluctuatio manifeſte evincitur. Sed & in alio Terræ motu, quem Anno 1661 Aprilis 22, Flaminia (vulgo Romagna) ſenſerat, idem obſervaſſe ſe commemorat. Quibus ego intellectis, vehementer gaviſus ſum, meam illam Obſervationem, tot aliis eidem conſentientibus firmari; Quanquam in reddenda harum Vibrationum cauſa, a Dn. Travaginio tunc etiam diſſenſerim, prout paulo poſt ediſſeram.

4. Præterea Anno 1670, quo in Comitatu Tyrolenſi Urbs Oenipontana, & Hallenſis, terræ motu, ſæpius recurrente, divexabantur, a die 17 Julii, in ipſo fere Novilunii momento, per Menſem fere integrum, & ultra, ſi recte memini; dedi illuc Epiſtolas Praga, ubi tunc Matheſin profitebar, ut certius intelligerem circumſtantiam illam agitationis ab ortu in occaſum: ſed & illinc accepi Obſervationes prioribus illis congruentes; & inter cætera, quod nonnulla ædium altiora fumaria Orientem vel Occidentem verſus prolapſa fuerint. Tandem cum Mathemata tractarem in Academia Olomucenſi, quidam e noſtris Patribus teſtati ſunt, anno quem illi nominabant, mihique memoria excidit, terræ motu in Eccleſia Cathedrali dejecta fuiſſe ſcamna omnia leviora, nec inter ſe connexa, quorum longitudo porrigebatur a Boreali latere templi ad Auſtrale, ita ut hæc corruerint verſus Altare majus, quod ibi directe Orientem reſpicit.

5. His conſentiunt ſequentes Obſervationes: Anno enim 1681, die 19 Auguſti, Jaſſis in Moldaviæ Metropoli, hora poſt med. noct. 2. fuit Terræ motus, qui duravit fere ſemiquadrante horæ; Quem qui-

dam e noſtra Societate ibidem commorans, & a me ſcripto requiſitus, ſignificat ab Ortu in Occaſum, & viciſſim, vibrationes ſuas peregiſſe; quod ille colligebat ex ſitu ſui cubiculi, & lecti, quorum utrumque ab Ortu æſtivo in Occaſum hybernum porrigebatur: addit autem ſequentia verba: Idipſum fatebantur experti, a me, propriam experientiam tacente, diligenter examinati, qui etiam affirmarunt, ſonitum prævium ab Occidente æſtivo veniſſe, & ab eodem Occidente motum Terræ cœpiſſe, indeque ad Ortum tranſiiſſe, & iterum rediiſſe ad Occaſum, tandemque in Ortu deſiiſſe, aut in illum ulterius perrexiſſe. Hæc ille.

6. Idem ſignificat, eadem in Urbe priorem Terræ motum alios eodem anno ſubſecutos fuiſſe; videlicet 16 Novemb. cujus prævium ſonitum, tanquam e plurium tormentorum exploſione factum, ab Occidente æſtivo venientem, audiviſſe ſe aſſerit. Alius contigit 18 Novemb. quem ſe quidem non obſervaſſe ſignificat, alios tamen advertiſſe, ab Occidente proveniſſe. Denique poſtremus eodem anno ab eodem ibidem obſervatus, acciderat 27 Decemb. ſeſqui hora ante initium diei; audiebatur, inquit, primum mugitus Terræ, ſimilis illi ſono, qui excitatur ab incendio, in alto magnarum ædium fumario, quem ſonitum conſecutus eſt ipſe Terræ motus, brevis quidem, at violentus; uterque autem venerat ab Occidente, & progrediebatur in Orientem, ſucceſſiva propagatione. Addit & aliorum teſtimonia, hoc ipſum confirmantia. Quod autem affirmet, ab Occidente æſtivo ſonitum, motumque proceſſiſſe, crediderim id tribuendum montibus Carpathiis, qui Urbi illi ad prædictam plagam ſiti ſunt, & a quibus ſonitus ille aeris concuſſi, fortius reflectebatur.


7. Neque prætereundum videtur illud, quod habetur in Ephemeridibus Gallicis anni 1682 Menſis Junii die 1. Ubi in Reſp. ad Qu. III. habentur ſequentia =: *Mr. Panthot eſcrit de Lyon, que par l' agitation differente, qu' ont reſſentie ceux, qui eſtoient couchez, ſuivant la ſituation de leur lits, l' on a remarqué que le mouvement s' eſt fait de l' Orient, au Couchant.* Quod autem ibidem paulo inferius addatur: *Mr. Grillon dit, que les ſecouſſes furent du Septentrion au Midy &c.* intelligendum eſt, opinione mea, de fluctuatione & elevatione telluris undulantis, & ex hac, ædium inclinatione; hæc enim in iſto caſu, in omnem poſitionem vergere poteſt, dum interim primæ vibrationes,

absque

abſque ſuccusſione, vel fluctuatione terrenæ ſuperficiei, quæ non ſemper contingit, in Ortum ab Occaſu, & viciſſim, peraguntur. Atque hæc Cautela memoria probe teneri debet in obſervando: Quia Inclinatio ædium, præſertim altiorum, ex hac fluctuatione telluris orta, ſpeciem quandam præferre poteſt Motus a Borea in Auſtrum, & vicisſim, directi.

8. Cauſam vibrationum ab Ortu in Occaſum ſupra laudatus Dn. Travagini ſic explicabat. Sicut in navi clauſa, & tranquille fluente, tum primum obſervatur motus in certam aliquam poſitionem directus, quando motus navis, quem uniformem eſſe ſupponimus, derepente nonnihil retardatur, vel etiam acceleratur: Ita pariter quando quædam partes Telluris, diurna vertigine circumactæ, propter incluſas exhalationes intumeſcunt, & in arcum curvantur, neceſſe eſt, ut hinc earum quædam tardius, quædam velocius ferantur, quam ſi ſolo diurno motu circumagerentur. Ergo habitatores illius terræ advertunt, ſe in ſua motus tranquillitate turbari, ac etiam, quamnam in partem Motus is dirigatur. Ita ille in ſua Diſſertatiuncula, duobus circiter chartæ foliis comprehenſa.

9. Ego vero ſic diſcurro. Quando Rota quædam ad inſtar figulinæ, Horizonti parallela, vaſtique ambitus, ab Occaſu per Meridiem in Ortum velociter circumacta, ad extremitatem ſui ambitus ſecum defert corpora gravia, ſibi affixa glutine quodam, ejus tenacitatis & naturæ, ut in illo motu velocisſimo, nonnihil lenteſcere & laxari concipiatur, tum continget ut corpus quoddam B, medium inter A



Orientale, & C Occidentale, remittente nonnihil illa prima ad Rotam firma adhæſione, incipiat cedere in partem motui oppoſitam, hoc eſt verſus C. Verum dum impingit in C firmiter conſiſtens, ab illo reſiliet, & ſimiliter illiſum ad A, ab hoc repelletur in ſuum priſtinum locum B, vel etiam ultra hunc, iterum verſus C. Idque fiet toties, ac tamdiu, uſque dum B recuperata ſua priſtina fixitate, in ea perſiſtat.

10. Simile quiddam evenire oportet in Terræ motibus,ſi hæc diurna vertigine rotari concipiatur. Nam dum ſubterranei halitus ab ignibus ſubterraneis,vel aliter excitati,ingentem quandam terrenæ ſuperficiei cruſtam, quæ alioquin ſuamet Gravitate,vel quod alii ſentiunt, partium magnetiſmo, toti globo firmiter affixa fuerat, ab eo ſeparant, & attollunt,conſequens eſt,ut hæc Terræ pars,ab ejus unione nonnihil diſtracta, fortiter impingat in partes C firmiter obſiſtentes; & ab his repulſa, reflectatur & incurrat in partes A Orientaliores,quæ ſimiliter easdem B pertinaciter retrudunt in locum priorem, donec emiſſa magna parte halituum illorum,per rimas & hiatus,quos in tali caſu terra ſolet agere, ſegmentum illud B pondere nativo iterum ſubſidat, tellurique firmiter affigatur, & eundem cum ea motum pacifice continuet.

11. Porro ſubitanea illa Aeris ſuccuſſio, terræ motum concomitans oritur, ſi non ex halitibus ſubterraneis foras erumpentibus,& aerem huc illucve protrudentibus, tum certe ex eo, quod totus ille Cylinder aereus, qui Cruſtæ illi Telluris,in altum nonnihil ſublatæ, & lateraliter agitatæ, pondere ſuo firmiter affigitur, cum ſua illa baſi huc & illuc violenter, ac velociter transferatur: Et hanc ſuccuſſionem non modo aves in aere, ſed & naves in aqua ſentiunt; prout teſtantur, quibus id obſervaſſe contigit.

12. Ex dictis hactenus colligitr, validiſſimum fore pro ſtabilienda diurna Telluris vertigine argumentum, ſi quoties contigit terræ motus lateralis, obſervatum fuerit,vibrationes has,ab Ortu in Occaſum,& viciſſim, reciprocari; quod ipſum poſſet forſitan animadverti in illis violentis terræ ſuccuſſionibus, quæ ſurſum ac deorſum agitant univerſa. Quod ſi aliquando contingeret terram agitari, non directe verſus ortum æquinoctialem,ſed nonnihil verſus æſtivum,aut hybernum,non ideo tamen hæc Obſervatio priores illas everteret,niſi tunc, quando agitatio illa, (non autem ædium inclinatio, de qua ſuperius num.7.)recta Boream & Auſtrum reſpiceret: Nam declinatio illa poſſet attribui fortiſſimis quibusdam montibus, & rupibus, longo & obliquo tractu porrectis, quæ Cruſtam illam terrenam,directo alioquin motu agitandam, inſuperabili ſua reſiſtentia, ſituque nonnihil obliquo in latus aliquantum detorquere poſſunt. Quod autem in Obſervationibus illis Moldavicis ſuperius num.5.recenſitis, dica-

Digitized by Google

dicatur motus ab Occidente æſtivo proceſſiſſe, id videtur tribuendum obſervatoris apprehenſioni ſitui cubiculi alligatæ, quod ille diſerte memorat, eas mundi plagas ſpectaſſe.

OBSERVATIO II.

13 HUjus conſiderationis occaſionem, totumque fundamentum mihi porrexit Epiſtola Clariſſimi Deſcartes, qui ad P. Merſennum præſtanti Virum ingenio, Epiſtola (mihi 73) ſic ſcribit: *— Eſin ſi l' Experience, que vous m' avez mandé, vous meſme avoir faite, & que quelques autres ont auſſi eſcrite, eſt veritable; a ſcavoir, que les bales des pieces d' Artillerie, tirées directement vers le Zenith, ne retombent point, on doit juger, que la force du coup les portant fort haut, les éloigne ſi fort du Centre de la Terre, que cela leur fait entierement perdre leur Peſanteur.*

14. E quibus ego talem Conjecturam, ab illa longe diverſam, formavi. Globi illi tam alte fuerant e tormento excuſſi, ut pervenerint ad eam regionem Athmoſphæræ, quæ exiguo ſuo, & aeris altioris ſibi ſuperſtantis pondere preſſa, non poteſt firmiter adhærere huic inferiori Aeri, ideoque non omnino pari paſſu ſequitur ejus diurnam vertiginem, ſed plurimum ab ejus velocitate deficiendo, occidentem verſus rapidisſime progredi videtur. Unde fit, ut globus ille eandem in partem ab iſto pigro aere detortus, longius a tormento alicubi in terram relabatur.

15. Ad id autem facilius animum inducet, quiſquis ſibi perſuaſerit id, quod admodum eſt probabile, Aerem hunc noſtrum crasſiorem, ejuſque ſupremam ſuperficiem, ſimili modo ſe habere ad auram ſubtiliorem ſibi ſuperjacentem, quo Elementum Aquæ, ad Aerem infimum ſibi ſuperincumbentem. Ponamus jam flumen quoddam rapidisſimum ab Occaſu in Ortum velocisſime fluere; certum eſt, Aerem illi contiguum exigua ſui particula, nec niſi languide, curſum aquæ proſequi: Unde ſi piſcis aliquis eodem fluminis impetu abreptus, caput extra aquas porrigeret, ad captandum aerem, exiſtimaret ille ſe eodem loco in aqua quieſcere, ſe tamen vento ab ortu in occaſum flante impeti.

16. Fingamus ulterius eundem piſcem decem cubitis intra flumen poſitum, & ſolius aquæ vi abreptum, margaritam ore compre-

henſam verſus ſuum Zenith perpendiculariter ejaculatum eſſe, ad altitudinem cubitorum 9,aſcendet hæc, & recidet eadem via, hoc eſt juxta lineam perpendicularem Phyſicam, in aqua deſignatam, licet non juxta Mathematicam, & imaginariam, reſpectu fundi quieſcentis, & ſpatii Mundani (immo & Imaginarii, ſuppoſita Telluris ac totius mundi in illo quieta conſiſtentia) Quod ſi idem ille piſcis, eodemque loco conſiſtens, ejecerit margaritam ad altitudinem cubitorum 20, hoc eſt 10 Cubitis ultra ſuperficiem fluminis; tum vero margarita in aere conſtituta, ab hujus pigra reſtitatione in Occidentem, non aliter ac flatu quodam venti, in Occidentem tendentis,abripietur, nec recidet in idem punctum aqueæ ſuperficiei, e quo antea ſurſum proruperat, ſed ab eo longius Occidentem verſus, cubitis e. g. duobus; ac tum ſuo per aquam relapſu deſcribet perpendicularem, duobus cubitis a piſce diſtantem: Idem continget, ſi loco aeris ponatur aqua ſuperior in Occidentem fluens; quemadmodum in mari, oppoſitos ſuperioris, ac inferioris aquæ curſus, nautæ dicuntur obſervaſſe in locis, quos Currentes appellant.

17. Diſcurſus hic applicetur ad globum illum e tormento perpendiculariter excuſſum, ac duo ſpatia diverſæ denſitatis, ac motus permeantem; videlicet aerem hunc noſtrum, qui craſſis, ac ponderoſis Terræ, & Aquæ effluviis conſtat, & illum puriorem,a talibus effluviorum fecibus immunem. Ego interim obviam ibo cuidam oppugnationi, quæ contra hæc inſtrui poteſt ab iis Experimentis, quæ Doctiſſimus Gaſſendus enumerat, *Libro de Motu, a motore translato.* Sic enim me quiſpiam invadet. Glans plumbea e ſclopo manuali, juxta malum navis velociter actæ, perpendiculariter exploſa,recidit ad locum, e quo ſurſum projecta fuerat: Item pila, vel pomum, ſurſum projectum ab homine, dum is effuſo equo, vel carpento vehitur, in manus ejuſdem relabitur; prout Experientia conſtare narrat Gaſſendus: Igitur etiam globus e tormento perpendiculariter excuſſus, ad quamcunque altitudinem id fiat, ſequetur motum tormenti, cum tota Tellure Orientem verſus tranſlati.

18. Reſpondeo primum opponendo Experimentum Merſenni,ſuperius commemoratum. Deinde ajo, magnam eſſe diſparitatem inter illa Experimenta,quæ Gaſſendus in ejuſdem denſitatis medio peregerat, & inter iſtud a me conceptum,quod ſpatia, denſitate, ac motu diſ-

tu diſſimilia, ſupponit. Unde ſicut nec illa Gaſſendi ſucceſſum eundem habitura ſunt, ſi vento fortiter reflante inſtituantur, ita & in caſu noſtro, in quo Aer ille ſuperior æquipollet vento vehementi. An vero mea illa conjectura verior ſit, quam Clariſſimi Carteſii ſententia, id in quendam gravitatis magnetiſmum referentis, explorandum eſſet hujuſmodi Experimento.

MAGNVM EXPERIMENTVM

Ad Explorandam diurnam Telluris vertiginem.

19. MAgnum appello, non modo rei, quam ſpectat, dignitate, ſed etiam apparatus ad illud neceſſarii magnitudine, quæ proinde Magni Mecænatis auxiliarem manum depoſcat. Deligatur mons editus, cui Occidentem verſus ſubjecta ſit vaſta quædam planities: In ejus montis vertice ſtatuatur tormentum bellicum, ſitu ad horizontem exacte perpendiculari; ſitq; nec brevius nec longius pedibus duodenis; quod obſervatum ſit, ea longitudine pilas longiſſime projici. A loco tormenti ducatur Occidentem verſus linea, verticali primario, ſive occaſui æquinoctiali reſpondens; & in hac linea, ad competentem diſtantiam, potius magnam, quam exiguam, diſponantur milites, qui attendant ad relapſum globi, in monte illo ſurſum ejecti: Si enim repetitis aliquoties exploſionibus, compertum fuerit, globos Occidentem verſus conſtanter recidere, Argumento erit, Tellurem diurna vertigine circumagi. Contra iſtud tamen quidnam opponi poſſit, inferius commemorabimus.

20. Non videtur hoc loco ſilentio prætereundum eſſe id, quod aliquoties a me fuit obſervatum, altiora illa Meteora, quæ vocantur Dracones volantes, faces aut globi, ab Oriente in Occidentem plerumque dirigi. Ejus adverſionis occaſionem mihi dedit draco volans a me conſpectus Vratislaviæ, dum Cometam anni 1677. obſervarem. Ferebatur is velociſſime in Occidentem ab Ortu, & quidem contra validum ventum ab Occidente ſpirantem. Similiter illa Fax, quæ a. 1676 die 31 Martii transvolavit Italiam, ferebatur ab ortu æſtivo in occaſum hybernum, juxta Relationem mihi Florentia transmiſſam, ab humaniſſimis meis olim ibidem diſcipulis in Matheſi. Ea vero, quæ

Dan-

Dantiſci, & in vicinia anno 1680 Decembris die 17 viſa fuerat, trajiciebat a Sud Oſt, in Nord Weſt, juxta Relationem ibidem Germanice typis editam. Sed & Varſaviæ primis diebus Januarii, anni 1681 viſa fuit alia, quæ verſus eandem mundi plagam tendebat. Hæc porro declinatio ab Occidente æquinoctiali, in alterutram partem, tribui poteſt primo impulſui, a prima inflammatione dato, qui cauſa eſt, ut in alterutrum latus torqueatur; ſicuti fulmina quædam leviora, pro diverſa poſitione primæ accenſionis, ſurſum, deorſum, vel in latus excutiuntur.

21. Fortaſſe meretur & iſtud aliquam conſiderationem, & examen in pluribus terræ climatibus, quod ego notaveram Moguntiæ, Bambergæ, Olomutii, quæ urbes ſub eodem fere jacent climate: videbantur mihi illic venti Orientales fortiores eſſe Occidentalibus. Sed præcipue inter Tropicos, ubi Orientales perenniter ſpirare perhibentur, obſervandum eſſe, an nubes altiores velocius moveantur inferioribus; hæc enim cognitio uſui eſſe poſſet.

22. Verum contra hæc omnia, quiſpiam e ſectatoribus Ptolomaici Syſtematis, hunc in modum poterit opponere. Dato etiam caſu, quod globus ille ſurſum e tormento perpendiculariter excuſſus, procul a tormento verſus Occidentalem plagam recideret, dici poteſt, illum ad hanc partem depulſum eſſe a ſuperiori Athmoſphæræ regione, motu Raptus, ut vocant, ſive primi mobilis, in Occidentem tendente, ſuaque vi globum illum a prima ſua perpendiculari deturbante. Fateor huic Argumento vim ineſſe, neque mihi nunc occurrere, quod illi ſolide opponi poſſit: Succidit enim nervos omnes illius Experimenti; niſi forſan ope Barometri, vel aliter, oſtendatur, immenſa iſta mundi ſpatia, omni prorſus æthere, aliove ſimili corpore vacua, vel motus tam rapidi incapacia eſſe; Vel denique ob ſuam ſubtilitatem globum gravem, & incitatum, ſecum abripere non poſſe. Habebunt hic igitur eruditi, quo ſua exerceant ingenia, ut inveniant non ſpecioſas quaſdam congruentias, quibus plerumque Copernicani nituntur, ſed Phyſica Experimenta vel Obſervationes, contra quas non detur exceptio. Tales opinor fore illas a Terræ motu petitas, ſi in locis, ubi frequentius is contingit, ad eum obſervandum intenti ſint eruditi.

23. Iſtis vero & alterum hoc Problema Phyſicum diligentius expen-

pendendum propono. Opinio illa Clariſſ. Deſcartes, quod Gravia ad Tellurem vi quadam Magnetica trahantur, & accurrant, non videtur probabilitate ſua deſtitui. Nam præterquam quod aves grandiores, (quod prædictus Author obſervat) magno conatu a terra ſubvolent, ab hac autem altius ſublatæ, vix alarum remigio utantur; etiam ego notavi ſequentia. I. Legimus in Hiſtoriis, magnæ molis lapides ex aere decidiſſe: dici poſſet, hos non ibi generatos, ſed in incendiis Ætnæ, Veſuvii, Heclæ &c. in altum exploſos, extra Sphæram gravitationis attractivæ, in ſuprema aeris regione tam diu fluctuando oberraſſe, usque dum caſu quodam, terræ viciniores facti, ab hac e ſublimi detracti fuerint: maxime cum ejusmodi ſaxa legantur fuiſſe ferruginea, qualia montes illi eructant. II. Narrantur vi turbinis in altum ſublatæ fuiſſe res multum graves, ac tum in locis diſtantibus, e nubibus delapſæ: hinc fortaſſe lapidum & carnium pluviæ, inter portenta habitæ. III. Idem contingit in mari, ubi turbo ingentem aquæ columnam ſubvehit in altum, ad nubes usque, quæ, ni fallor, ibidem detinetur, aliquo ſaltem notabili tempore. IV. Grando prodigioſæ magnitudinis nonnunquam decidit, imo fruſta glaciei magnæ molis; hæc autem omnia veriſimilius eſt, non momento temporis formata fuiſſe, ſed longiore mora illud incrementum cepiſſe; nam ſolo lapſu per nubem roridam, non potuiſſent eousque excreſcere.

D. Philipp Jacob Speners / Predigern und Seniorn zu Franckfurt am Mayn / Evangeliſche Glaubens-Gerechtigkeit / wider D. Johann Brevings Canonici daſelbſt / Glaubens-Streits Anfang und Ende; ſamt einem Anhang wider deſſen heraus gegebene und ſo genandte Enge und Angſt; id eſt

D. Philippi Jacobi Speneri, Theologi Francofurtenſis, Evangelica Fidei Juſtitia, contra D. Joh. Brevingium, Canonicum ibidem; una cum Appendice contra ejusdem Scriptum editum ſub titulo: Enge und Angſt.

Francof. ad Mœn, ap. Joh. Dav. Zunnerum, 1684 in 4.

QUi Bernhardum hactenus in non paucis, ſtudio inprimis excitandæ augendæq; pietatis, Eccleſiæ reddidit, Vir Dei Spenerus; eodem etiam, quo Bernhardus olim, fato nuper contra votum ſuum in arenam pertractus eſt, ubi diſputantium in morem maſcule ipſi eſt pugnandum. Uterque nimirum non niſi coactus dolensque jacturam temporis, longe melius in exercitia & profectus veræ pietatis impendendi, arma induit, & cum Adverſariis eſt congreſſus. *Scito*, inquit Bernhardus de ſe in Prologo Apologiæ, ad Guilielmum Abbatem S. Theodorici, *non modico me hujusmodi ſcriptitationibus ferire detrimento, quia multum hinc devotionis ſubtrahitur, dum ſtudium orationis intermittitur, præſertim cum nec uſusſuppetat dictandi, nec otium.* Similia plane de ſe ſcribit Spenerus *in Præfat. ad Lectorem pag. 2. & 3.* ut quam recte Bernhardum ſecum hac in re contulerimus, ipſe non ſit negaturus. Niſi vero in eo a Bernhardo diſtinguendus eſt nobis, quod argumentum ipſi longe illuſtrius contigerit atque utilius. Cum enim Bernhardo diſputandum fuerit de vita & moribus Religioſorum, quæ ad res humanas, aut ſi malis, ad Eccleſiaſticas nec ultra eſt referenda; Spenero data eſt occaſio defendendi non minus quam declarandi divinam Eccleſiæ noſtræ de Juſtificatione doctrinam, quæ tantum eminet inter omnes fidei Articulos, ut merito ſuo Metropolis, Umbilicus, Nucleus & Medulla totius Theologiæ a Noſtris dicatur. Poſtquam nimirum ſermones ſuos, e ſuggeſtu pridem de hoc argumento ad populum pie docteque habitos, in commodum Eccleſiæ typis evulgaverat; Brevingius e Pontificiis oppugnavit illos, miſſis in lucem publicam quinq; Epiſtolis, & redactis in libellum, cui Titulus: *Initium & finis pugnæ de fide,* (Glaubens-Streits Anfang und Ende.) Huic Antagoniſtæ cum reſpondendum eſſet ob cauſas graviſſimas, quæ in Præfatione allegantur, nec tamen operæ pretium ſe facturum putaret Theologus prudentiſſimus, ſi in ſolis Adverſarii argumentis, ſolutu facillimis, tempus atque laborem conſumeret ſuum; occaſionem hanc arripuit, totamque de Juſtificatione doctrinam ſolide atque prolixe deduxit, & adverſus Pontificios quoscunque non minus quam Brevingium, fortiter ac feliciter defendit. Totius hujus utiliſſimæ tractationis XVII ſunt capita, quorum priora VIII jam edita ſunt, tanquam hujus Apologiæ pars prima; reliqua IX, quæ alteram Partem conſti-

tuent

tuent, brevi ſubſequentur. Methodus, quæ per totum Librum conſtanter adhibetur, eſt optima; Theſin enim noſtram ejusque, inprimis e Scriptura, poſt ex abundanti etiam e Patribus, imo nonnunquam e Scholaſticis ipſis, ſubjunctam probationem, ſequitur Antitheſis Pontificiæ Eccleſiæ, tum ex aliis Scriptoribus, tum e Brevingio fideliter adducta docteque refutata; non diſſimulatis etiam cauſis, propter quas Pontificii non ſine commodo ſuo, quod Religionis Intereſſe non male dicitur, ita ſentiunt atque docent. Brevingius vero cum ante hujus Apologiæ editionem, alium libellum evulgaverit, in quo Spenerum ad anguſtias eſſe redactum, ſed ſine cauſa oſtendere conatus fuit, vanum hunc ſtrepitum eſſe, in Appendice Spenerus breviter quidem, ſolide tamen & absque mora demonſtravit; pari felicitate non minus quam fortitudine pro cauſa optima, Deo ſanitatem, quod precamur, benigne conſervante, ulterius pugnaturus.

SELECTA HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ capita & in loca ejusdem inſignia Diſſertationes Hiſtoricæ, Chronologicæ, Criticæ, Dogmaticæ. Autore R. P. F. Natali Alexandro, Ordinis FF. Prædicatorum, in Sacra Facultate Pariſienſi Doctore Theologo, & in Majori Conventu & Collegio Pariſienſi ejusdem Ordinis Sacræ Theologiæ Profeſſore, & Studii Regente. Seculum XIII. & XIV.

Pariſiis, apud Antonium Dezallier, 1684, tomi tres in 8.

TRibus his voluminibus gemina cenſura præfixa legitur, una Conventus Dominicani, qui in opere hoc tripartito nihil fidei vel Chriſtianæ morum diſciplinæ contrariũ contineri declarat; altera Facultatis Theologicæ Pariſienſis, quæ itidem in hac hiſtoriæ eccleſiaſticæ continuatione nihil fidei Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ, aut Chriſtianæ morum diſciplinæ adverſum deprehendit, imo ſtudioſis lectoribus utiliſſimam, cæterisque ejusdem Autoris operibus eruditione minime inferiorem exiſtimat. Utrum ſimili judicio tria hæc volumina ſit approbaturus *Innocentius XI* P. R. valde dubitamus

Digitized by Google

mus, cum præcedentes tomos, duodecim priorum ſeculorum hiſtoriam complexos, una cum cæteris Autoris operibus, de Cardinalium quorundam conſilio, & ex ea, qua ſe pollere putat, Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine proſcribendos & damnandos cenſuerit, eorumque omnium & ſingulorum impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, & uſum omnibus & ſingulis Chriſtianis, ſub pœna excommunicationis, a qua nemo, niſi in mortis articulo conſtitutus a quoquam, præterquam a Pontifice Romano, abſolutionis beneficium obtinere valeat, ſevere interdixerit. Idem fatum tribus his, quæ nunc recenſemus, voluminibus vel jam eveniſſe, vel eventurum eſſe, quod menſe Julio anni ſuperioris cæteris contigit, obſcura non ſunt indicia.

Quamvis enim Autor quavis occaſione Romani Pontificis benevolentiam captet, ejusque primatum & cætera privilegia tueatur, *Albigenſes*, *Petrum Johannem Olivum*, *Fraticellos*, *Dulcinum*, *Lolbardos*, *Marſilium Patavinum*, *Jandunum*, *Wiclefum* & alios, ob impugnatam eccleſiæ Romanæ & Pontificis autoritatem, inter hæreticos recenſeat, *Johannem XXII* tam contra eos, qui ejus conſtitutionem de paupertate Chriſti & Apoſtolorum *Nicolai III* decretis adverſari aſſerunt, quam contra eos, qui ipſum erroneam de ſtatu animarum poſt mortem ſententiam propugnaſſe ſtatuunt, peculiari diſſertatione apologetica defendat, aliisque modis ſuum erga Romanam ſedem obſequium approbet: non pauca tamen inter has blanditias occurrunt, quæ Pontifici poſſeſſionem dignitatis ſuæ omnibus modis ſartam tectam conſervare cupienti non poſſunt eſſe non ingrata.

Nam, ut aliqua ſaltem ejus rei ſpecimina producamus, in Diſſert. 3. qua concilii Lateranenſis IV canon tertius illuſtratur, canonem illum Eccleſiæ, vel Romano Pontifici, poteſtatem in temporalia Regum & Principum ſaltem indirectam tribuere, contra *Perronium* & *Bellarminum* negat, doctrinam illam de poteſtate Pontificis R. in temporalia Regum & Principum falſam, erroneam, Sacræ Scripturæ & traditioni palam adverſam, ante Gregorii VII ætatem eccleſiæ ignotam, tetram, immanem, ſeditioſam multisque aliis nominibus deteſtandam eſſe docet, & *Barclajum* regii juris vindicem, a Bellarmino tanquam ethnicum & publicanum immerito traduci profitetur. In diſſertatione V, quæ de concilio Lugdunenſi I agit, artic. 3, *Fridericum II* non ab hoc concilio, ſed privato *Innocentii IV* auſu exautora-

autoratum cenſet,& quam injuſta fuerit illa ſententia demonſtrat, pronuncians zelum Fratrum Ordinis ſui, qui ſententiam iſtam publicandam ſuſceperunt, non ſecundum ſcientiam fuiſſe, quamvis quodammodo venia dignos cenſeat, cum veritatem variis opinionibus obnubilatam & præjudiciis concuſſam non cognoverint, nec Pontificis factum ad juris regulas, aut opinionem ejus ad Scripturam S. & traditionem expenderint. In diſſertatione octava admodum prolixa Regi ſuo, cujus autoritatem in temporalibus ab eccleſia vel Romano Pontifice prorſus independentem in ipſo limine profitetur, *Jus Regaliæ*, de quo Pontificem inter & Regem ab aliquot annis acerrime diſceptatur, ſaltem ex Senatus Pariſienſis & Jureconſultorum Gallorum ſententia, contra nuperum tractatus de Jure Regaliæ autorem ejusque aſſeclas vindicat, & citra violationem canonis in Lugdunenſi concilio conſtituti, a Rege juris illius extenſionem uſurpari poſſe contendit. In Diſſertatione IX, de diſſidio *Bonifacii VIII & Philippi Pulchri*, inter alia, quam inique Pontifex ſumma rerum ſpiritualium adminiſtratione non contentus, jura temporalia Chriſtianiſſimi Regis invaſerit, oſtendit, argumenta quibus iſte Pontifex in extravagante *unam ſanctam* duos eccleſiæ gladios, temporalem ſcilicet & ſpiritualem aſſerere conatus eſt, ex *Ægidio Romano* maxime & *Johanne de Pariſiis* refutat, & iniquis Bonifacii cenſuris,decretis & mandatis, ſucceſſorum *Benedicti XI* & *Clementis V* diplomata opponit. In diſſertatione XII,hanc F. *Johannis de Monteſono* propoſitionem: *Solius ſedis Apoſtolicæ eſt declarare, damnare, & probare, & eorum quæ tangunt fidem, ad ſolum ſummum Pontificem pertinet examinatio & deciſio*, ad examen revocat,& *Petri Alliaci* ſententiæ ſuffragatur, qui in tractatu pro vindicanda Facultatis ſuæ cenſura contra Monteſoni errores edito, propoſitionem hanc manifeſtam hæreſin continere ſtatuit, cujus concluſiones & argumenta Autor noſter ſuis annotationibus illuſtrat, ſubjiciens nonnullas Facultatis Theologicæ cenſuras, quæ epiſcoporum in judicandis fidei controverſiis autoritatem ſtabiliunt, eamque ſoli Papæ Romano perperam tribui demonſtrant. Diſſertationi huic ſubjectum legitur ſuffragium cenſorium, quod Autor noſter poſt centum & ſexaginta amplius Magiſtros ſe antiquiores, in generalibus comitiis, diebus 7 & 8 Maji anno 1683, in aula domus Sorbonicæ, pronunciavit de propoſitione ab Ampliſſimo

pliſſimo Senatu ad Theologici conſeſſus examen ac judicium doctrinale delata, & his verbis concepta: *ad ſolam ſedem Apoſtolicam Divino immutabili privilegio ſpectat de controverſiis fidei judicare.* Quam propoſitionem falſam, temerariam, erroneam, praxi eccleſiæ adverſam, verbo Dei contrariam, & doctrinæ alias a Facultate Pariſienſi damnatæ conſentaneam eſſe, refutatis adverſariorum objectionib9 demonſtrat.

Reliquæ diſſertationes, quarum mentionem hactenus nondum fecimus, agunt de actis & decretis concilii Lateranenſis IV, de orthodoxia *Joachimi Abbatis*, qui ab hæreſeos infamia vindicatur, de ſenſu canonis: *Omnis utriusque ſexus*, de Summa *Thomæ Aquinatis*, de actis & decretis concilii Lugdunenſis II, de concilio Viennenſi & cauſa Templariorum, de ſacrificio Miſſæ adverſus Albigenſes & Wicleſiſtas, & de bonorum temporalium poſſeſſione eccleſiæ non deneganda contra Wicleſum.

Diſſertationes hactenus enumeratas, juxta methodum in præcedentibus ſeculis obſervatam, hiſtorica Synopſis antecedit, quam Innocentii III ejusque ad Bonifacium usque IX in cathedra Romana ſucceſſores auſpicantur. Proximum his locum occupant hæretici & ſingularium opinionum architecti, quos excipiunt præcipui Scriptores, numero circiter 130, quibus recenſitis conciliorum nationalium & provincialium canones & acta ſubnectuntur. Hinc Autor, qualis politiæ Eccleſiaſticæ facies hoc ævo fuerit, exponit, a Metropolitanis & Epiſcopis ad Clericos, Canonicos & Monachos, nec non eccleſiæ bona, immunitates & onera progreſſus. Poſtremis vero ſynopſeos capitibus Imperatorum orientalium & occidentalium, Regum Francorum, Hiſpanorum & Anglorum hiſtoriam enarrat.

Utrobique nimirum, & in ſynopſi & in diſſertationibus, plurima occurrunt notatu non indigna. Verum ea huc transferre prolixitatis vitandæ ſtudio prohibemur.

LA GUERISON ASSURÉE DES FIEURES tierces, doubles tierces, en deux jours, quartes et doubles quartes en quatre par le Remede Provençal en tablettes, que le Sieur B. Alary maitre Apoticaire de la ville de Graſſe en Provence, fait & diſtribue par privilege du Roy. 12. Paris chez l'Auteur ſur le pont S. Michel, vis a vis le Quay des Auguſtins au page du Roy, 1685,

id

id eſt

Certa Febrium, Tertianarum duplicium non minus ac ſimplicium intra duos dies, Quartanarum vero itidem ſimplicium & duplicium intra dies quatuor, Curatio ope remedii cujusdam Provincialis in forma Tabellarum a Dn. B. Alary Pharmacopœo Provinciali confecti ac ex Privilegio Regio diſtributi.

Pariſiis apud Autorem 1685. in 12.

N*On conſuevimus in Acta noſtra referre libros, niſi qui nobis ipſis viſi ſunt ac pervolutati. Præſentem vero libellum, tametſi nondum ad manus noſtras pervenerit, prætereundum minime putavimus, quod multorum videretur intereſſe, ut de novo remedio febribus cujuscunque generis feliciter profligandis invento quam maturrime admonerentur. Utemur vero verbis clariſſimi* Sponii, *Medici Lugdunenſis ac Polyhiſtoris celeberrimi, qui litteris Lugduno nuper ad nos datis, & indicium libelli primus fecit, & argumentum ejus ſequentem in modum deſcripſit:*

Hoc decennio plus forte inquiſitum in febrifuga, quam omnibus anterioribus ſeculis, nec ſine fructu. Præter enim ſtupendam corticis illius Peruviani toties decantati vim, in febrili fermentatione ſedandæ plenius detectam, varia varii produxere, inter quos non minimum meretur locum Provincialis Galliæ (Provence) Pharmacopœus iſte B. Alary, qui nuper Lutetiam Galliæ metropolim petens inſigni hoc febrifugo celebratur. Cujus quidem notitia cum ad Chriſtianiſſimum Regem pervenerit, artium liberalium Mecænatem, is juſſit in noſocomiis experimenta fieri; comprobataque ipſius efficacia, arcanam compoſitionem reſcire voluit, tumque authorem Alarium munifico regioque dono compenſavit: utque ipſamet plebecula emolumentum inde percipere poſſit, pretium uniuscujusque tabellæ aſſium duntaxat quinque eſſe voluit. Tabellæ ipſæ (ſeu Frageæ) commodiſſimæ ſunt; absque ullo enim faſtidio aſſumuntur, utpote gratiſſimæ. Duæ in febribus tertianis & dupl. tert. ſufficiunt, quatuor aut quinque in quart. Jejuno ſtomacho comeduntur

Digitized by Google

tur, ſeptem horis ante paroxyſmum ſi longa ſit intermiſſio, ſin minus ineunte paroxyſmo. Superhauritur ſemicyathus aquæ aut vini, dein per quinque horas abſtineat æger a cibo ac potu, exactis vero quinque illis horis juſculum aut prandium ſumat. Effectus varii ſunt pro variis temperamentis, variisque quos in corpore reperiunt humoribus. Quandoque enim vomitum, quandoque ſeceſſum excitant, ſæpe utrumque. Alias per urinas, ſputum aut inſenſilem agunt tranſpirationem, ſemper autem ſine vi ulla. Prægnantibus enim tuto dantur, imo & pueris ad mediam doſim. Solita doſis eſt circiter unius ſcrupuli. Diutisſime ſervari poſſunt, ſed in loco ſicco: in humido enim liqueſcerent. Undequaque mittuntur in pyxidibus furfuri admixtæ: aſſeritque Autor in ſuo libello Regi dicato, Dominum Marchionem de Louvoy intra duos menſes viginti mille in caſtra miſiſſe. Sic cuivis in exteris regionibus non difficile fuerit, præſtantisſimum hoc remedium experiri, debitasque Deo medicinæ Autori gratias reddere, cum priſtinam ſanitatem recuperaverit.

RAYMUNDI VIEUSSENS DOCTORIS Medici Monſpelienſis Nevrographia univerſalis,

hoc eſt

Omnium corporis humani nervorum ſimul ac cerebri, medullæque ſpinalis deſcriptio anatomica.

Lugduni apud Joh. Certe 1684 in fol.

Quod ſi in ullius viſceris anatome recentiores Medici antiquorum ſuperarunt ſedulitatem, factum id eſſe in cerebri ac nervorum diſſectione, intrepide affirmare audemus. Etenim unusquisque cordatus, utrorumq; ſcripta remoto præconceptæ opinionis peplo legens, ultro nobiscum fatebitur, in illis denſa caligine omnia adhuc tecta, quæ in his experientiæ radio affulgente coruſcant eleganter. Exempli loco ſit nevrographia. Pudet ſane referre, quam mutilam, mancam, ſæpius etiam falſam illam tradiderint veteres; quicquid enim a primis proſectoribus neglectum eſt, id nec a poſteris inquiſitum fuit. Neque negligentiam talem inquirendi

quirendi nervorum diſtributiones de præcedentibus ſolum ſeculis accipias, noſtrumque ab illa penitus immune credas: leges namque a Clariſſimo *Diemerbroëckio* lib. 8. ſuæ Anatomes c. 7. exactam nervorum (præprimis cutaneorum) deſcriptionem pro abſolute impoſſibili haberi. Non diffitemur, arduum mireque laborioſum ac intricatum opus eſſe ſcrutinium nervorum, interim tamen non abſolute impoſſibile, quodque conſtanti opere ad optatum finem perduci haud poſſit. Sufficienter hoc jam ante aliquot annos *Thomas Williſius* in tractatu de cerebri ſtructura, & ne aliunde teſtimonia petamus, præſens noſter *Auctor* in ipſo hoc libro demonſtravit. Sic enim in præfatione refert, ex illo ſtatim tempore, quo Medici munus in noſocomio Monſpelienſi obire cœpit, nil magis in votis habuiſſe, quam ut aſſiduis cadaverum ſectionibus, quorum copia ipſi fiebat, nevrologiæ illam partem illuſtraret, quam cæteri anatomici fere intactam reliquerant. Quid præſtiterit improbo hoc decem annorum labore, quo curioſitate pene religioſa cerebrum luſtravit, hac Nevrographia in tres libros diviſa ſiſtit, ita ut in primo ex his, cerebri diſſectionem accuratam quatuor & viginti capitibus exhibens, cap. I. verba faciat de generatione & diviſione cerebri, II. de craſſa ſeu dura meninge, III. de vario craſſæ meningis uſu, IV. de motu cordis & arteriarum, V. de pia meninge, VI. de arteriis utramque meningem & cerebrum irrigantibus, VII. de reti mirabili, VIII. de infundibulo, IX. de glandula pituitaria, X de diſtinctis cerebri ſubſtantiis, XI. de cerebro ſtricte ſumto, XII. de cerebello, XIII. de medulla oblongata, XIV. de cerebri muniis in genere, XV. de natura & neceſſitate ſpiritus animalis, in quo & de ſucco nervoſo ſimul diſſeritur, XVI. de capitis aquoſis ductibus & emiſſariis, XVII. de muniis glandulæ pinealis & plexuum choroidum, XVIII. de materia ſpiritus animalis, de loco, & vera productionis illius ratione, XIX. de diſpenſatione ſpiritus animalis, in quo diſtinctæ viæ quas intra cerebrum inire ſolet, oſtenduntur, & variæ motus illius actiones explicantur, XX. de differentiis motuum, qui ſpiritus animalis ope peraguntur, in quo diſtincti ipſius fontes exhibentur, XXI. de Facultatibus animalibus, ac primo de ſenſibus externis, XXII. de ſenſibus internis, ac primo de imaginatione, XXIII. de ſenſu communi ac memoria, XXIV. de judicio ac ratione. Secundus liber medullæ ſpinalis examen in tribus capitibus ſuſcipit, e quibus


Digitized by Google

I. tractat de membranis, II. de vaſis ſpinalem medullam irrigantibus, eorumque muniis, III. de medulla ſpinali ejusque uſu. Liber tertius de nervis loquitur, & quidem cap. I. de nervis in genere eorumque muniis, II. de prioribus quatuor nervorum conjugationibus intra cranium oriundis, in quo insimul interna baſeos calvariæ foramina deſcribuntur, III. de quinta, ſexta & ſeptima conjugatione, IV. de nervis octavæ conjugationis, V. de nervis intercoſtalibus eorumque muniis, VI. de nona ac decima conjugatione nervorum, qui cerebro prodeunt, VII. de nervis ſpinalibus, VIII. de ſenſu tactus, IX. de ratione motus muſcularis.

Quam vero operoſe cuncta hæc in tractatione Autor noſter ſit proſecutus, prolixius diduci haud poteſt, niſi tranſcribere totum librum velimus: adeoque ſufficiet ſolum ex ſcripto hoc in ſpecie annotaſſe, quæ nova ſunt, quo ex illis tanquam ex ungue Lectori de Leone conſtet. Ex his primo loco ſtabunt ſinus quatuor duræ matris Lib. I. cap. 2. & 3. commemorati, de quibus quantum nobis conſtat, nemo Auctorum hactenus literatum monumentis conſignavit quicquam. Situs earum in ea eſt matris parte, quæ cranii baſi inſternitur, ad prominentiam ſellæ equinæ. Duo autem ex his ſuperiores ſunt & minores, & duo inferiores ac majores; illi, quorum veſtigia petroſis oſſibus, ſupra foramina quæ ſeptimum nervorum par ſubit, ut plurimum leviter inſcripta cernuntur, ex ea parte, qua ſellam equinam reſpiciunt, receptaculis ſellæ ejusdem lateribus appoſitis inhiant, altera ex parte in ſinus laterales abeuntes, ubi ſcilicet ii ad calvariæ baſin deflectunt: iſti vero, quorum veſtigia binis oſſibus, petroſo nempe & cuneiformi paulo profundius inciſa ſunt, ex una parte in prædicta receptacula, ad ſellam equinam exſculpta aperiuntur, & ex altera venas jugulares internas ſubeunt, ubi in eos ſinus laterales deſinunt. Uſus horum ſinum eſt, ut una cum ſanguine ſuperfluo, etiam depluentem e cerebro aquoſum humorem, ad venas jugulares internas demandent. Etenim in receptaculis ad ſellam equinam factis, excipitur non ſolum ſanguis ex oſſis cuneiformis ſubſtantia refluens, ſed etiam omnis ſeroſus latex ex cerebro per infundibulum, & glandulam pituitariam in cavitates ipſorum deſcendens. Clarius quo cuncta hæc pateſcant, neceſſarium viſum fuit, in tabula ænea ſinus cum dictis receptaculis expreſſos adnectere. Sequitur ſinus hos novos, alterum novum inventum,

TAB. VIII.

TAB. VIII.
ad A:1685.
pag. 337.



E Andre· Sohn ſc:

Digitized by Google

tum, nempe alia longe fibrarum muſculoſarum cordis deſcriptio, quam hactenus innotuit, vid. cap. IV. cit. Libri. Cap. XVI. inquirit in originem pituitoſi humoris, qui in narium emunctione vel per ſcreatum ſolenniter rejicitur, deque illo ſequentem illam nondum omni ex parte notam adſtruit opinionem. Scilicet organon hujus ſecretionis primarium pituitariam eſſe membranam, variis hunc in finem muciferis vaſis a natura exornatam; in ſinubus autem oſſium maxillæ ſuperioris & calvariæ baſeos, tanquam in ciſternis aſſervari iſtum mucum e ſanguine ſecretum, usque donec data occaſione ad narium cavitatem, aut in patentes ad fauces meatus deponatur. Numerum horum ſinuum externorum determinans, ad duodenarium extendit, & duos in ſphæroide oſſe, ſex in ethmoide, binos in frontis & par in maximo maxillæ ſuperioris oſſe, recenſet. Concludit itaque ex horum, prout vocat, aquoſorum ductuum & emiſſariorum præſentia, catarrhi deſcenſum a capite mere imaginarium eſſe, cum ne guttula quidem ſeri, niſi per ſinus ſellæ equinæ ſupra deſcriptos, e cranii cavitate deſtillet. Adderemus huic inventorum novorum catalogo plura alia, præprimis tamen illa, quæ integro Lib III de diſtributione nervorum, cauſisque, quamobrem pro variis ſoni rationibus, variæ in quibusdam ſubjectis animi & corporis motiones ſequantur; Item cur in ſpaſmo correptis brachia frigida evadant, & quæ ſunt alia ſexcenta hujus farinæ; attamen brevitati ſtudentes, ſicco, ut ajunt, pede tranſilimus, remittentes Lectorem curioſum ad ipſum librum, ubi breviſſimis nunc indigitata, prolixius non ſolum expoſita, ſed etiam æri inciſa obſervabit. Reperiuntur enim in hoc ſcripto triginta exactiſſimæ tabulæ æneæ, naturali magnitudini partium, quas exhibent, reſpondentes, de quo Lectorem adhuc circa finem monendū duximus.

Explicatio Figuræ. TAB. VIII.

A. A. A. A. Interior cranii baſis craſſa meninge obducta.
B. Criſta galli cum adjacentibus nervis olfactoriis.
C. Foramen cranii maximum medullam ſpinalem transmittens cum vaſis ſanguiferis & nervis.
D. Poſticus ſellæ equinæ proceſſus.
E. Infundibulum.
F, F. Receptacula ſellæ equinæ appoſita.

 G, G, Si-

G G. Sinus duo inferiores ſellæ equinæ adjacentes.
H.H. Sinus duo ſuperiores ſellæ equinæ appoſiti.
I. I. Sinus duo laterales, in quos poſtica ſua parte ſinus ſuperiores ſellæ equinæ deſinunt.

ANNALES ECCLESIASTICI FRANCORUM Auctore Carolo le Cointe Trecenſi, Congregationis Oratorii D. N. Jeſu Chriſti Presbytero. Volumina octo.

Pariſiis, e typographia Regia, 1665 --- 1683 fol.

VAſtum nempe opus eſt & octodecim minimum annorum, quod Carolo Cointio eruditus Orbis debet; nec dum abſolutum tamen, ſed morte Auctoris, cum dimidium noni poſt Chriſtum natum ſeculi vix attigiſſet, abruptum. Adeo late diffuſæ ſunt res Eccleſiæ, ut ne unius quidem gentis Hiſtoria Sacra, quam juſto ſtudio componere vir doctiſſimus inſtituerat, octo ſpiſſis tomis, qui luci publicæ expoſiti ſunt, comprehendi integra potuerit. Superſunt enim octo, & quod excurrit, ſecula, quæ ſi quis pari, qua cœpit Cointius, apparatu curaque enarranda vellet ſuſcipere, non poſſent non octo alia, imo longe plura volumina Eccleſiaſticæ Francorum Hiſtoriæ naſci: creſcente eo magis ſcribendi materia, quanto longius a religionis Chriſtianæ primordiis Hiſtoria digreditur. Quo minus mirandum, Acta Sanctorum, quibus componendis poſt *Johannem Bollandum* & *Godefridum Henſchenium* operi immortuos, ſtrenue hoc tempore incumbit clariſſimus Societatis Jeſu Presbyter *Daniel Papebrochius*, & poſt ejus fata incumbent alii, quæque Sanctorum omnium, quotquot toto orbe noſcuntur, vitas complectentur, in quinquaginta tomos excretura. Nec exiſtimandum tamen, in Cointianis his Annalibus nihil pertractari, niſi quod Sacræ Hiſtoriæ illuſtrandæ inſerviat. Tametſi enim præcipuus ille Auctoris ſcopus fuit, Eccleſiaſtica Francorum geſta tradere, non diſſimulandum tamen, interſpergi paſſim, quæ Hiſtoriæ Francorum civili lucem affundant clariſſimam; Regum inprimis Genealogiam, quam in prima præſertim Merovæorum ſtirpe intricatiſſimam eſſe nemo ignorat, incredibili ſtudio evolvi, & Chronologicas etiam difficultates, collatis examinatisque *Sigeberti*

berti, *Bucherii*, *Valeſii*, *Henſchenii*, *Labbei*, aliorumque calculis, felici induſtria expediri; ut adeo univerſa Hiſtoria Francica, a prima gentis origine usque ad Lotharii Imperatoris annum imperii 29, orbis redempti vero 845 deducta, & ex omnibus quotquot ſuperſunt & comparari ab Auctore potuerunt, civilis ſacræque antiquitatis monumentis collecta, hic exhibeatur. Cæterum uti ex tam grandi opere excerpta dare prolixum nimis foret, ita non gravabimur tamen, ſingulorum tomorum periochas, ſed quam paucisſimis indicare.

Tomus I, qui jam *anno 1665*. lucem adſpexit, præmiſſo Apparatu Chronologico ad Annales Eccleſiaſticos, ab anno Chriſti 235, quo prima Francorum mentio reperitur, incipit, & ad annum usque 561, quo Clotarius I ſeu Senior, Franciæ tum univerſæ dominus, e vita diſceſſit, protenditur, resque adeo annorum 326, quorum priores 261 ſteriles Auctori fuerunt, reliqui uberiorem dicendi copiam præbuerunt, poſtquam nempe Clodoveus Magnus, everſis idolis, Chriſtianam fidem ſuſcepiſſet, comprehendit.

Tomus II, qui *anno 1666* prodiit, ab anno 562 ad annum 632 progreſſus, ea quæ regnantibus in Francia Clotarii Senioris filiis, nepotibus ac pronepotibus, intra annorum 71 ſpatium contigerunt, enarrat.

Tomus III, *anno 1668*. editus, annos tantum 47 complectitur. Incipit enim ab anno 633, quo Dagobertus I filium ſuum Sigebertum Regem Auſtraſiæ conſtituit, deſinitque in anno 680, quo nepos Dagoberti illius Theodoricus III univerſa iterum Franciæ monarchia ſolus potiri cœpit.

Tomus IV, *anno 1670* publici juris factus, ab anno 681 exorſus ad annum 737, quo Theodoricus IV e vivis exceſſit, progreditur, annorum 57 geſta recenſens. Quo temporis intervallo qui Franciæ præfuerunt Reges, ſummæ ignaviæ vulgo accuſari, nec niſi umbratiles ac ſcenici ab omnibus fere rerum Francicarum ſcriptoribus deſcribi ſolent. *Miſeranda* (ſic Johannes de Busſieres Hiſt. Franc. l. 4. n. 6.) *poſteriorum Regum conditio, quibus luculentiſſimo Regno interdictis, prædium ruſticum dabatur in ſumptus, cum aliquot famulis, potius inopiæ teſtibus, quam regiarum opum adminiſtris. Semel in anno in urbem vecti plauſtro junctis bobus, ut Regis larvam induerent, promiſſamq; oſtentarent cæſariem (nam is unus character ſupererat tanta potentiæ) mox iisdem quadrigis redibant in villam, toto deinceps anno pompam*

abſumente; interim dum Magiſtri Palatii jus belli & pacis, vitæ & necis, poteſtate ſumma exercerent. Sed tantam labem poſteriorum e Merovæis Regum memoriæ adſperſam indignatus Cointius, id paſſim, & primus quidem, ut profitetur, hoc tomo egit, ut productis variis monumentis, a tam turpi, quam vocat, calumnia Franciæ Reges illos vindicaret, & a tam ignominioſo commento Hiſtoriam ſuæ gentis repurgaret; ratus aut ætatem plerorumque minorennem, aut quod longam non duxerint vitam, nec regno diuturno fuerint potiti, anſam fabulæ præbuiſſe.

Tomus V, *anno 1673.* editus, ab interregno, quod poſt Theodorici IV obitum cœpit, & per annos ſex & amplius, donec filius tandem ejus Childericus III Regnum ſibi aſſeruit, continuatum eſt, orditur, recenſitaque Regni a Meroveadis ad Carolinos translatione, quæ ſub Pippino & filiis ejus, Carolo ac Carolomanno ad annum usque 771 geſta ſunt perſequitur.

Tomus VI, *anno 1676.* editus, geſta Caroli Magni, poſtquam ſolus Francorum Monarchiam ſuſcepit, per annos 33 complectitur, ac in anno 804, quo bello Saxonico totidem annis geſto finis impoſitus eſt, deſinit.

Tomus VII, qui *anno 1678* publici juris factus eſt, ultra metas annorum 25 non protenditur, ad annum usque 818 Hiſtoriam contexens.

Tomus octavus denique, qui *anno 1683* impreſſus eſt, in anno 845 deſinit, adeoque licet reliquis mole non inferior, annos tantum 17 continet, augeſcente cum ſeculis ipſis, imo annis ſingulis dicendorum materia, ut vel hinc pateat, non unius hominis laborem eſſe, quem Eccleſiaſtica Francorum Hiſtoria juſto apparatu componenda requirit. Et Cointius quidem, cum ad quadringenteſimam paginam tomum hunc perduxiſſet, vivis ereptus eſt. Reliqua ex ſchedis auctoris *Gerhardus Du Bois* Congregationis item Oratorii Presbyter adjecit.

Singulis tomis ſubjuncti ſunt accuratiſſimi indices, primus rerum & verborum, alter Epiſcopatuum & Monaſteriorum. Ultimo etiam præmiſſa præfatio eſt, qua Auctoris, anno 1611 Trecis nati, anno 1681 Pariſiis defuncti, vitæ curriculum ab eodem Gerhardo Du Bois deſcriptum exhibetur.

MI-

MICHAELIS ETTMULLERI, PH. ET MED. D. & Prof. Publ. Lipſ. Chimia Rationalis & Experimentalis Curioſa, cura ac ſumptibus Joh. Chriſtophori Auſsfeldi Med. Doct.

Lugduni Batavorum, 1684 in 4.

MEDICUS THEORIA ET PRAXI GENERALI inſtructus, hoc eſt, Fundamenta Medicinæ vera, olim a D. Michaele Ettmüllero, Medico & Practico Lipſ. celeberrimo, Prof. Publ. privatim tradita, luci publicæ nunc primum donata.

Francofurti ac Lipſiæ, Sumptibus Michaelis Güntheri. 1685 in 4.

MICHAELIS ETTMULLERI, PH. ET MED. D. & quondam in Acad. Lipſienſi Prof. Publ. celeberrimi Opera Omnia Theoretica & Practica, in quibus univerſa Praxis Medica exhibetur; accedit Chirurgia Medica, ut & Methodus Conſultatoria &c.

Lugduni, 1685 in 4.

EO avidius excepta a multis Opera hæc fuiſſe non dubitamus, quæ ſub Ettmülleri noſtri nomine nuper divulgata ſunt, quanto majorem is, dum viveret, æſtimationem famamque ſibi comparavit. Utique enim vir fuit ſolidisſime, non arte tantum Medica, quam theoria & opere profitebatur, ſed ſcientiis omnibus, quæ illi adjumento ſunt aut ornamento, doctus, miraque ſemper ac felicisſima dexteritate, & in erudienda ſtudioſa Medicinæ juventute, & in experimentis, quibus hæc diſciplina magno hoc tempore cum fructu exco-

excolitur, capiendis, & in exercenda medendi arte ægrisque ad ſalutem reducendis uſus. Unde non Lipſiæ tantum noſtræ, cui ſtudia ſua operamque conſecraverat, ſed Orbi litterato dolendum, vivis hunc virum in ipſo ætatis flore (annum enim trigeſimum nonum non exceſſit, die 26 Maji anno 1644 natus, denatus d. 13 Martii anno 1683) immaturo fato ereptum. Neque dubitandum eſt, profectura ab illo ſcripta publica fuiſſe ſeculo, & ſplendore illo, quo ſe Medica hodie ſcientia effert, digniſſima, ſi vitam illi Divinum Numen prorogaſſet. Sic enim ſecum vir prudentiſſimus conſtituerat, nonniſi provectiore ætate ad libros componendos animum applicare, & comparare interim ſubſidia, quæ experientia diuturnior, Auctorumque plurium lectio ſubminiſtrant. Quo major eos, qui Ettmüllero noſtro familiariter uſi fuerunt, cepit admiratio, quando eodem fere tempore diverſis locis edita conſpexerunt memorata ſuperius opera, Ettmülleri nomen præferentia: ut Vidua etiam ac Hæredes Ettmülleriani, famæ beati Viri conſulturi, neceſſitatem ſibi impoſitam cenſuerint, publico programmate, ſcripta illa ſuppoſititia eſſe, certe luci publicæ nunquam a beato Auctore deſtinata fuiſſe, declarandi. Atque id quidem, nullo licet monente, deprehendent facile omnes, quibus pervolutare libros hoſce viſum fuerit, contineri iis nonniſi diſcurſus maximam partem extemporaneos, nec caute ſemper ab auditoribus exceptos, ſed hiulco verborum concurſu & tautologiis fœdos; quos qui tribuere Ettmüllero velit, tanquam opus ea methodo curaque, ut in publicum prodire poſſet, elaboratum, næ is in beati clariſſimique viri manes foret injurius. Cæterum ſicut hanc ipſam ob cauſam argumentum librorum horum uberius recenſere ſuperſedemus; ita ſperamus futurum, ut quod in ſe Vidua ac Hæredes receperunt, ex ſchedis Ettmülleri, a viro quodam in Arte Medica maxime excellenti revidendis, edantur aliquando Opera ejus limatiora, & famæ beati Auctoris convenientia.

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipſiæ
Calendis Auguſti Anno M DC LXXXV.

Herrn Veit Ludwigs von Seckendorff Chriſten-Stat in drey Bücher abgetheilet. Im erſten wird von dem Chriſtenthum an ſich ſelbſt/und deſſen Behauptung/wider die Atheiſten und dergleichen Leute; Im andern von der Verbeſſerung des weltlichen/und im dritten des geiſtlichen Standes/ nach dem Zweck des Chriſtenthums gehandelt.

ſive,

DOMINI VITI LUDOVICI A SECKENDORFF, Chriſtianiſmus in libros tres diviſus: quorum primo de Chriſtianiſmo ipſo agitur, ejusque adverſus atheos & ſimile hominum genus defenſione: Secundo de Politici: Tertio de Eccleſiaſtici ordinis emendatione, ad ſcopum Chriſtianiſmi exacta.

Lipſiæ, apud Joh. Fridericum Gleditſch. Anno 1685 in 8.

IN virtutum & artium numero, quas literatus orbis in Autore admiratur, ſcientiam architectonicam ſic enitere, ut inter ætatis noſtræ Heroas togatos eum (Cl. *Morhofio* in Epiſtola dedicatoria elegantiſſimi tractatus de Patavinitate Liviana, quem *in Actis Menſis Decembr. ſuperioris anni p. 570* memoravimus, judice) reponat, perſuadebitur haud difficulter, qui tractatum cedro dignum curatius evolvere ſuſtinuerit. Nam ſi alias ullibi, hoc certe ſcripto clariſſimum in oculis, in luce omnium, excelſæ hujus artis documentum, Vir facile (ut abs Hieronymo vocatur Pammachius) omnium nobilium Chriſtianiſſimus, & Chriſtianorum nobiliſſimus ſtatuit. Quo ipſo non obſcure ſimul intelligitur, quanti ad veram ſolidamque pru-

dentiam acquirendam intereſt, ex piiſſimi quondam Ducis Saxo-Gothani ERNESTI diſciplina velut alumnum prodiiſſe, nec educatum modo in illius aula, ceu in auguſtiſſimo pietatis, religionis, & ſapientiæ ſacrario a teneris, ſed negotiis quoque publicis adminiſtrandis mature admotum fuiſſe. Quo minus mirandum etiam, eundem Virum celeberrimum per annos ſeptendecim Cancellarii munere apud laudatiſſimæ virtutis Principem MAURITIUM, Ducem Saxoniæ, Adminiſtr. Epiſc. Numb. dexterrime eſſe functum, & omnia ejus negotia ſumma cum fide & ſucceſſu felici curaſſe, donec morte optimi Principis otium exoptatum nec ſine dignitate fuit conſecutus.

Propoſitum vero Illuſtri viro hoc in opere non fuit, ſyſtema integrum pro defendenda Chriſtianæ religionis veritate conſcribere, multo minus dogmata, quibus Chriſtianorum fides nititur, & controverſias ordine ſingulas excutere; ſed ſpecie libere potius & absque præjudicio diſſerentis, calamum non adverſus atheos ſolum, qui eſſe DEUM negant, ſtringere, ſed adverſus Deiſtas etiam, qui non ad modum revelatum divinitus agnoſcunt eum, ſolam naturalem notitiam concedentes; aut providentiam Numinis & gubernationem univerſi in dubium ac incertum vocant: ut & contra hypocritas, qui externa quidem profeſſione religioni alicui adjungunt ſeſe; vera tamen animi ſententia, nullo aut viliſſimo omnem habent loco, factisque nil niſi contraria, quam profitentur, fidei oſtendunt. Quocunque nomine jam hujusce ſortis homines uſurpentur, ſive dicas Atheos, ſive Deiſtas, Pyrrhonios, Epicureos, Scepticos, Libertinos, Politicos, diſſolutos, impios, contemtores Numinis, empæctas, vel, quod familiare Gallis, *Eſprits forts*; ſuſcepit refutationem eorum non ad methodi ſcholis tritæ probatæque normam, quod exquiſitiorem, ut monet, ſententiarum quas fovent, inſtantiarumve quibus uti non verentur, dijudicationem poſtulaſſet; ſed ſequi ingenui leges diſcurſus maluit, easve cumprimis exceptiones attingere, quarum mentionem facere frequentius monſtra hominum iſta conſueverunt, ſepoſitis tantiſper ſubtilitatibus, ex Metaphyſicorum forte ſcriniis, vel etiam Scholaſticæ Theologiæ depromendis.

PRIMO librorum itaque immotum jacturus fundamentum, cui ſtructura omnis reliqua imponi tuto queat, de DEO, de Scriptura Sacra, de æterna ſalute, de viribus hominis, de fide ſalutifera, & Sacramentis,

mentis, velut de Chriſtianæ religionis objecto, principio, fine, ſubjecto, ac mediis copioſe ſapienterque diſſerit. Sententiarum quippe de Numine Divino divortiis enumeratis, diverſisque atheorum conſtitutis claſſibus, docet inter alia, nullum voluptatis genus eſſe tanti, ut ejus fruendæ cauſſa, avertere quis a felicitate vera debeat animum; id quod inductione vitiorum aliquot maxime regnantium ad oculum oſtenditur. Atque cum *θεογνωσία* ſalutifera hauriri non aliunde, quam e Scripturis queat, harum autoritatem contra eosdem adverſarios tuetur ſtrenue & vindicat, a DEO aſſerens perhiberi teſtimonium Scripturarum veritati ipſis in credentium cordibus, ſine ingenioſo humano ratiocinio; efficaciſſime eandem probari ex impletis vaticiniis; invictum quoque argumentum pro religionis veritate ab excellentia Scripturarum, internaque virtute peti, conſtantique ejus fructu, utpote cujus ope ſublatus & everſus fuerit Ethnniciſmus. Hinc explicare aggreditur, quam gravis admittatur ab iis culpa, qui finem homini in verbo propoſitum, divinoque beneficio revelatum, juſto expendere ſtudio ac quærere detrectant: cum dici tamen non poſſit, quantum adjumentum idipſum afferat oneri in quovis ſtatu hominum levando, pellendisve morbis. Gravius adhuc ab iis peccari, qui finem habent cognitum, vaniſſimis tamen ſeculi deliciis ſic immerguntur, ut ad ejus dictamen & amuſſim nolint actiones ſuas dirigi, aut ullo modo componi vitam. Neceſſariam porro homini commendat *αὐτογνωσίαν*, viriumque, quas non niſi DEO acceptas ferre poteſt, notitiam. Tandem & de mediis agit, ad ſupremæ ſalutis portum hominem perducentibus fide nimirum, & Sacramentis, ad eum modum, qui divino verbo legitur præſcriptus, concluditque falſis dogmatibus deſtruendis ſimplicem Chriſtianam veritatem ſufficere, Verbo DEI non fallaci exiſtente regula; ejus vero atque Sacramentorum extremum contemtum graviſſimis querelis dare materiam, & præcipue naſci ex ſecularium amore voluptatum.

SECUNDO libro, ex hactenus aſſerta fidei profeſſione evicturus, quod innumeris gravibusque corruptelis, quovis in ſtatu deprehenſis, occurri non alia ratione felicius poſſit, quam ſi primum pietatis fundamentum excutiatur probe, & princeps totius Chriſtianiſmi ſcopus, æterna felicitas pro actionum regula habeatur; tres hierarchias divinitus inſtitutas curatius contemplatur, & quomodo geri

Digitized by Google

officia tributa ſingulis, exigente fidei demonſtratæ norma debeant; quam procul inde vero re ipſa (quod dolendum) abeant, imo quam ſæpe adverſentur eidem e diametro, expendit. Cuncta ſiquidem in quibus Chriſtiani hominis officia verſentur, multo facilius, rectius, atque plenius Chriſtianiſmo, ſinceroque ejus exercitio emendari, repurgari, & ſanctificari poſſe, quam lege aliqua aut politici Magiſtratus diſciplina; quanquam nec hoc coactionis genus moveri loco ſuo fas ſit, propter hypocritarum & improborum ſegetem, vel optimo cœtui ſeſe immiſcentem.

Enumeratis itaque bonis, quæ ſtatum œconomicum ornant, ut ſunt: integra valetudo corporis, victus & veſtitus copia, nec non cætera ſeu neceſſitatem vitæ, ſeu commoditatem attinentia; pro ætatis item conditione, matrimonium exoptatum, *εὐτεκνία*, extentum vitæ ſpacium, nec inuſitato mortis genere interimi: quorſum referas & publicam ſalutem, libertatem, & jus ſtatuendi de rebus propriis, juſto inter cives haberi loco ac pretio, tranquillitate etiam ac defenſione adverſus vim & injuriam frui: malis quoque privatorum vitam affligentibus excuſſis; in moleſtorum ac turpium cauſſas inquirit, ſtatuens juſto nunquam eas loco quæri, ſed tribui ut plurimum viris in aliquo imperio conſtitutis: raro admodum contingere, ut ſe quis probet ipſum, ſuamque ipſius vitam & rem privatam in cenſuram vocet, absque philautiæ & adulationis patrocinio, propriæque excuſatione culpæ: neglecto vero hoc examine, emendationem ullam in exigui etiam momenti rebus, neminem ſperare poſſe: principem ſcopum ut plurimum commutari in ſecundarium, veramque beatitudinem mundanis voluptatibus longiſſime poſtponi. Quibus in genere monitis, ire per ſingula bonorum genera juvat, & oſtendere, quam commoda ratione obtineri eorum unumquodque, conſervari, augerive poſſit, natis ex Chriſtianiſmo regulis conſultis, bonaque fide ſervatis ſemper & expreſſis. In malorum contra exaggeratione ſic verſatur, ut origine cujusque detecta, remedia etiam probata & ex Chriſtianiſmo derivata ſingulis opponat.

Ab œconomico, ad Politicum progreditur ordinem; de quo ſcribere cum res non minoris difficultatis ſit, quam periculi, cauto ait circumſpectu opus eſſe viris Eccleſiaſtici muneris, quando in vitiis huic ordini familiaribus reprehendendis occupantur. Probaturus itaque

Digitized by Google

itaque, geri officium magiſtratus ſeu ſuperioris,ſeu inferioris,emendative non poſſe rectius,quam e Chriſtianiſmi præſcripto, divinam initio urget Magiſtratus originem, obſervatque ſolenni titulo, DEI GRATIA, confirmari non modo poteſtatem & autoritatem Principum in ſubditorum animis,ſed magnates quoque ipſos per eundem non minus,quam per juramenta, & Capitulationes, officii ſui admoneri. Inde ex Chriſtianiſmi fundamentis tyrannidem deſtruit ac dominatum, commodi privati cauſſa uſurpatum, firmatque in ſubditis obſequium. Magiſtratum Chriſtiani hominis officio non ſolutum eſſe, inde efficit maxime,quod obtingere imperanti ſalus non alia ratione poſſit,quam parenti: quodque Chriſtiana fide, ſed vita profana Magiſtratus majori ſit ſuis offendiculo, quam fuere ipſimet ethnici: ab eodem porro omnem eo, Chriſtiana doctrina & conſcientia duce, conferri curam,ut bona fide Chriſtiani ſint & ſubditi, licet aliud in ethnicis appareat, poteſtate ſua ideo minime privandis. Quo loco docetur etiam, quam enervata poteſtas Imperatorum fuerit in rebus religionem concernentibus; quam contra, quave occaſione creverit Papalis: & quamvis epiſcopali jure Magiſtratus ſecularis gaudeat, præſcribere tamen eum fidei articulos,conſcientiasve cogere, conſentientibus vel maxime Epiſcopis,nequaquam poſſe.

Capite libri decimo de regionum pretioſiſſimo, ſalutem animæ ſi exceperis,theſauro,pace paciſque cuſtodia,nec non de bello,& juſtis belli cauſſis,eoque prudenter gerendo ſic agitur,ut & malorum, quæ militia ſecum adfert, principia & remedia exponantur. De militum delectu cum ſermo eſt, fatetur quod Principis externi militiam ſequi res ſit, cujus juſtitia difficulter ex regulis Chriſtianiſmi defendatur: bellicæ fortitudinis autorem & magiſtrum, Chriſtianum eſſe animum, de bona conſcientia & meliori a morte vita quam certiſſimum. Ut prætereamus,quæ de expeditione equeſtri Ducibus præſtanda, ejus juſtitia, conditione, & uſu; nec non de pedeſtri provinciarum defenſione hoc loco ſubjiciuntur. Qui ſequuntur diſcurſus, officium partim Magiſtratus univerſe, in adminiſtranda juſtitia tam in proceſſu, quam ex officio, poſitum, abuſumque proceſſuum pro argumento habent: partim mala & damna, quæ invehuntur in civitatem imperantium avaritia: ut & æris ſignati valorem, & modos augendi Principis ærarium. Poſtremus eorum officium Magiſtratus

 explicat;

Digitized by Google

explicat, quod in ſubditorum variis vitæ generibus ornandis, promovendis cujusque commodis, & oneribus minuendis verſatur, & concludit, plurimum intereſſe Magiſtratus, ut bene benigneque agatur cum agricolarum, opificum, ac militum ordine.

TERTIO libro de ſtatus Eccleſiaſtici ad religionis amuſſim emendatione tractat: ita quidem, ut ponderato momento hujus inſtituti, eorum hæreſin redarguat, qui contendunt, commune omnibus Chriſtianis eſſe Miniſterium Eccleſiaſticum, quanquam verum ſit, quod omnes Chriſtiani ſuo modo ſint ſacerdotes, & Scripturas legere teneantur non ſoli Presbyteri, ſed Chriſtiani omnes; nec eccleſiam ex ſolis clericis, verum & ex auditoribus conſtare: Eccleſiæ miniſtris ſalaria & ſtipendia deberi: antiquiſſimum erudiendi in religione genus eſſe, quod per Patres atque Patriarchas præſtitum. Hinc proponuntur, quæ ad ſcholarum & academiarum, ſtudiorumve tractandorum in iis emendationem: ad dignam candidatorum Miniſterii præparationem: ipſumque maxime, Eccleſiam per ſacras conciones in fide & moribus ædificandi ſtudium, rectius excolendum & exercendum faciunt, quemadmodum & reliqui diſcurſus de Miniſterii capite ſolo Chriſto, de diſcrimine Epiſcopos inter verbique miniſtros cæteros, de miniſterii gradibus, de Epiſcoporum ſucceſſione, vocatione Miniſtrorum, de Eccleſiarum ſubordinatione, & unius prærogativa præ alia: de ſcopo Eccleſiaſtici regiminis primario, puræ nempe doctrinæ, bonique conſervatione ordinis, de Conciliorum neceſſitate & autoritate; de poteſtate monarchica, num in regimine ſacro habeat locum, de Conſiſtoriis per Germaniam inſtitutis, de cenſura Eccleſiaſtica & ſatisfactionibus deprecatoriis, de uſu legitimo juris Patronatus, ac Epiſcopalis, de componendis in religione controverſiis, de religione vera inter infideles propaganda, aliisque gravisſimis æque ac utilisſimis argumentis pro modo inſtituti tractant.

ADDITIONES quæ ſubjunguntur, ſelecta teſtimonia ex priſci ac recentioris ævi ſcriptoribus proferunt, ad confirmationem & illuſtrationem totius operis facientia plurimum, cum monitis eidem dilucidando non parum ſervientibus. Ad quam quodque pertineat partem, numeri deſignant lemmatis præfixi.

In Additionum denique *Supplementum*, quove transferri tanto facilius ad uſum posſint, quæ ſecunda & tertia parte pro emendando Politi-

Politicorum,&Eccleſiaſticorum monuit ordine, leguntur in extremo *Conſcientiarum Scrutinia*,ex celebratiſſ.*D.Speneri* Tractatu *de uſu & abuſu querelarum ſuper Chriſtianiſmum corruptum* moveri ſolitarum huc translata, una cum perſpicuo rerum potiorum per totum opus diſperſarum indice.

MISCELLANEA ERUDITÆ ANTIQUITATIS, in quibus Marmora, Statuæ, Muſiva, Toreumata, Gemmæ, Numiſmata, GRUTERO, URSINO, BOISSARDO, REINESIO, aliisque antiquorum monumentorum collectoribus ignota & hucusque inedita referuntur ac illuſtrantur: cura & ſtudio JACOBI SPONII, Lugdunenſium Medicorum Collegio, Patavinæ Recuperatorum, & Regiæ Nemauſenſi Academiæ Aggregati.

Lugduni, apud Thomam Amaulry, ſumptibus Auctoris, 1685. in fol.

INcredibilem quandam inſcriptionum,quæ vetuſtis ſaxis continentur,eſſe præſtantiam,& late diffuſam per omne genus priſcæ ac reconditæ doctrinæ varietatem,ingentemq; in Hiſtoriam veterem & omne litterarum genus ex iis redundare utilitatem,jam pridem oſtenderunt, qui in colligendis iis & a ſitu ac interitu vindicandis operam ſalutarem poſuerunt: quos immortali beneficio demeruiſſe ſæculum & poſt futuras ætates, quivis & eruditorum agnoſcit. Omnium in hoc genere ſtudia collegiſſe & congesſiſſe exiſtimandus GRUTERUS, evulgato ſub initium ſæculi hujus vaſto opere, quod *æterni* nomine pasſim ab eruditis inſignitur, & veris elogiis a doctisſimis ejus ævi viris decoratum eſt, quæ præfixa auguſto operi leguntur. Poſt ejus tamen tempora e parietinis & ruderibus ipſisque terræ viſceribus eruta, aut alibi obſervata multa fuerunt, & in hunc uſque diem proferuntur,non minori obſervatione & cura digna monumenta,in quibus aſſervandis eodem ſtudio incenſi operam collocant exquiſita doctrina viri. Inter quos primum merito tenet locum JACOBUS SPONIUS, varia & recondita eruditione inſignis, cujus inſtitutum in

Actis

Digitized by Google

Actis anni 1683 menſe Sept. p. 369. ſeq. jam laudavimus, ut nunc, quando id feliciter executum ipſum eſſe intelligimus, tanto paucioribus verbis recenſere, non ſine laudis tamen præfatione, poſſimus. *Tribus libris* ſe collectionem ſuam includere velle conſtituerat prius; quod conſilium mutavit, *unico* omnia monumenta ſi includeret, ſatius futurum exiſtimans.

Decem autem *ſectionibus* iſtum diſtinxit: quarum tres ſuis diſcretas articulis, quæ ſuperioribus annis prodiere, loco indicato in Actis memoravimus; *ſeptem* reliquas, quæ nunc demum acceſſerunt, jam enarraturi.

Nimirum poſtquam prioribus *tribus* ſectionibus eas incluſiſſet epigraphas, quæ Deorum gentilium cultum mentionemve exhiberent; *quarta* iſtas complexus eſt, quæ illuſtrium virorum, & tam bellica laude quam ſcientiis ac artibus clarorum hominum memoriam tradunt. *Quinta* ad hiſtoriam geographicam urbium, municipiorum, coloniarum & pagorum ſpectantia monumenta repræſentat. *Sexta* officiorum & artium, *ſeptima* militaria, *octava* Cæſarea & Imperatoria, *nona* varia ad rem funerariam pertinentia monumenta, amuleta item, bullas, collaria, pondera, teſſeras, menſuras, regulas, toreumata, ſcrinia, & ad antiquariam rem ſpectantia alia profert. Cognitionem enim antiquorum monumentorum non e ſaxis ſolum accerſendam, ſed undique ex ædificiis, ſtatuis, gemmis, & omnis generis inſtrumentis depromendam eſſe, in Præfatione tradit: ubi & octo ſcientias archæographicas, quas vocat, ſtatuit: *numiſmatographiam* quæ nummorum; *epigrammatographiam* quæ inſcriptionum; *architectonographiam* quæ ædificiorum; *iconographiam* quæ imaginum; *glyptographiam* quæ gemmarum cælatarum; *toreumatographiam* quæ tabularum exſculptarum; *bibliographiam* quæ librorum; & *angeiographiam* quæ omnis generis inſtrumentorum notitiam indagat, & in harum rerum perſcrutatione verſatur, easque in vetuſtis monumentis venatur. Quibus accenſendum addit *dipnographiam* quæ convivia; *bimariographiam* quæ veſtimenta; *dulographiam* quæ ſervos; *taphographiam* quæ funerum ritus explicat.

Græciam autem æque ac Italiam cum ſtudioſe Auctor doctiſſimus perluſtraſſet, cujus eruditæ peregrinationis commentarios Gallico ſermone edidit, ac plurima egregia aliis antea non obſervata marmora

marmora annotaſſet, quorum multa in Itinerario iſto leguntur; plura jam afferre, nec repetere tamen, quæ jam evulgaverat, eaque *decimæ* ſectioni includere, & ſic integrum opus abſolvere libuit clariſſimo auctori. Qui & eruditis obſervationibus iſtud illuſtrare, & æri inciſis pulcherrimis formis exornare ſategit, oculis æque ac animo elegantiarum hujusmodi ſtudioſorum abunde ſatisfacturus.

MARTINI LISTERI MED. D. OBSERVATIOnes de natura & origine terræmotus ac fulminis.

Ex Tranſact. Philoſ. Anglic. M. Martii 168$\frac{3}{4}$ num. 157. pag. 511. ſeqq.

MAgnam eſſe terræ motus cum tonitru affinitatem, circumſtantiæ utrumque horum comitantes haud obſcure indicare videntur. Scilicet non ſtrepitus tantum utrinq; ſimilis, teſte experientia, percipitur, deſultorius nimirum & tractim quaſi impulſus; ſed & fœtor iſte ſulphureus, quem res fulmine tactæ plerumque ſpirare deprehenduntur, non obſcure ante & poſt terræmotum in aquis æque ac aere ſentiri ſolet. His ergo & ſimilibus rationibus permotus Liſterus autumat, utrumque hoc meteorum ex uno eodemque principio dependere: id vero non alibi quærendum eſſe ſtatuit, quam in pyrite, cujus exhalationem inflammabilem vult eſſe unicam cauſam materialem fulminis pariter atque terræmotus: id modo diſcriminis intercedere, quod illic quidem exhalatio iſta, quam dicit eſſe ſulphur ex tota ſubſtantia, ignem concipiat in aere libero; hic vero in meatibus & cavitatibus ſubterraneis. Fundamentum hujus opinionis in eo potisſimum ſitum eſt, quod firmiter credit Liſterus, non dari ſulphur, quin originem ſuam pyritæ debeat. Scilicet exiſtimat, nullum minerale aut foſſile eſſe ſulphureum, niſi quatenus aut ex toto, aut ex parte ſit pyrites; nec dari poſſe mineram, quæ naturaliter contineat ſulphur, quin mediante magnete in ea oſtendi valeat adeſſe ferrum ſimul, & conſequenter pyriten, ſub alia licet forma latentem. De ferrifero enim pyrite ipſi potisſimum ſermo eſt; non de eo qui cupro eſt impragnatus, cujus fere ſolius notitiam

Digitized by Google

veteres habuiſſe perſuaſus eſt. Præterea confirmat ſententiam ſuam ex eo, quod non niſi unica detur ſpecies ſulphuris, quæ quidem ipſi ſit cognita: ea vero cum naturaliter & unice ex pyrite proveniat, conſequens eſſe ait, vaporem quoque ſulphureum, ubicunque tandem deprehendatur, non aliunde, quam ex pyrite prodiiſſe. Cumque hic Liſtero objici potuiſſet ſulphur vivum ac nativum, quod circa montes ignivomos præſertim magna copia eruitur, occupat hoc dubium, negatque dari ſulphur tale purum, quin aliquando mediante vi ignis ex pyrite productum fuerit per ſublimationem: quod igitur prædictis in locis tanta copia reperiatur, cauſam eſſe ait, tum longam durationem ac vehementiam ignis ſubterranei; tum ingentem pyritæ copiam, qui præterea ibi locorum ſulphure magis ſcateat, quam in Anglia aut alibi terrarum. Ad aliam objectionem, qua negari poſſet, effectum prædictum unice adſcribi poſſe pyritæ, dum alia præterea reperiantur mineralia inflammabilia, reſpondet, dari utique talia, ſed ea tota ſpecie differre a ſulphure: præterea nullibi, quod quidem ipſe ſciat, in notabili quantitate aut copia reperiri; idque bono, ut credit, generis humani, dum talia fere mera venena ſint; exemplo auripigmenti, quod auri mineram eſſe dicit, uti pyriten ferri. Cæterum quod ſpontaneam accenſionem prædicti vaporis ex pyrite oriundi, in fulmine ac terræ motu attinet, poſſibilitatem ejus experientia comprobari docet, dum v. g. fœnum humidum accumulatum ex ſemetipſo ignem concipiat; homo in acceſſu febrili abſque externo movente vehementiſſime incaleſcat; foſſores denique metallarii vapores multoties ſponte inflammari teſtentur. In ſpecie vero aſſerit, pyriten tam in corpore ipſo, quam in vapore naturaliter aptum eſſe ad ſpontaneam accenſionem. In teſtimonium hujus rei adducit Vulcanos ſeu montes ignivomos, utpote quos magna ex parte e pyrite conſtare, conjicit tum ex ingenti ſulphuris quantitate, ibidem modo antea dicto ſublimati, tum ex applicatione magnetis ad ejectos inde cineres. Nimirum hos quoque montes ex ſeipſis flammam concepiſſe arguit, partim ex eo, quod eorundem incendii initium omnem hominum memoriam tranſcendat, partim quod non conſtet de ulla cauſa externa, quæ fomiti hotum flammam admovere potuerit: ſtatuit proinde montes iſtos mox a creatione ardere cœpiſſe, nec minus naturale credit, geocoſmum igne actuali, quam

mari

mari aut aquis inſtructum eſſe. Quod de cætero pyrites præ omnibus aliis mineralibus durabilem fomitem Vulcanis iſtis præbere valeat, confirmat exemplo anthracum ſeu carbonum foſſilium, quos ſcilicet tanto diutius igni reſiſtere ſe expertum ait, quo plus pyritæ in ſe habeant: in ſpecie allegat carbonem talem, ex quadam Hiberniæ fodina, Chriſtophori Wandsfordii propria, erutum ſe vidiſſe, qui 24. horis candens manſerit ſalva propemodum figura, quam primum habuerat: hunc vero, teſte pondere ac calore, maximam partem e pyrite conſtitiſſe. Denique pro confirmatione prædictæ ſuæ ſententiæ *Liſterus* adducit unum alterumque exemplum ex hiſtoricis, teſtantibus diverſis temporibus fruſta, jam majora, jam exiliora, ferri, ut & cupri quandoque, non vero alius metalli, ex aere ac nubibus in terram decidiſſe: exiſtimat igitur, ſiquidem hiſce autoribus fides habenda ſit, iſtud ferrum aut æs nubigenum concretum fuiſſe ex iſtiusmodi pyritæ exhalationibus, quas ipſas ſcilicet eſſe pyriten ex tota ſubſtantia, alibi a ſe demonſtratum eſſe dicit.

COMMENTARII SUPER LIBRUM PROPHETIArum Jeremiæ Tomi II, opera Sebaſtiani Schmidt *S. Theol. Doctoris in Univerſitate Argentoratenſi Profeſſoris Senioris & Conventus Eccleſiaſtici Præſidis,*

Francof. ad Mœnum apud Zunnerum, 1685 in 4.

JEremiæ inter Prophetas poſteriores primum, Ezekieli ſecundum, Jeſaiæ tertium, duodecim minoribus quartum veteres aſſignaſſe locum, traditio eſt Rabbinorum, quæ in *Talmude Babyl Bava Bathra* f. 14. 1. legitur, *a R. Davide Kimchio* in præfatione ad Jeremiam repetita. Rationem ordinis producunt hanc: cum liber Regum terminetur in excidio, cumque initium Ezekielis ſit de excidio, finiaturque in conſolatione, cumque totus Jeſaias ſit de conſolatione, excidium cum excidio, conſolationem cum conſolatione debuiſſe conjungi, licet alias tempore præceſſerit Jeſaias Jeremiam & Ezekielem. Hinc etiam ejus memoriam præ omnibus aliis Prophetis viguiſſe apud Judæos, ex *Matth. XVI, 14*; & Jeremiæ citatione, aut totum volumen Prophetarum, quia primum ibi tenuit locum, aut ejus partem quamcunque,

Digitized by Google

cunque, perinde ac Pſalmorum libro *Luc. XXIV, 44.* omnem Hagiographorum codicem, utpote in quo primam occupavit ſedem, notari ex *Matth. XXVII, 9.* conjicit oculatiſſimus Anglus *Ligtfootius*. Quicquid ſit de ordine, non minus inſigniter locare videntur operam, qui Jeremiam, quam qui Prophetas reliquos ſumunt explanandos. Etenim ut de temporum Jeremiæ hodiernorumque conformitate maxima nihil dicamus, non perſuadebimur unquam, adeo ignobilem eſſe & ſubruſticum hunc Prophetam, ſive res ipſas, ſive dicendi genus conſiderare lubeat, ut indignus debeat cenſeri, cujus vaticinia veſtigentur curatius. Nulli potius dubitamus, quin de Eccleſia, inprimis orthodoxa, meritus ſit immortaliter *Venerandus Argentoratenſium Præſul*, quando Annotationes ſuas in *Jeremiam* prælectionibus publicis pridem propoſitas, & privato ſtudio iis, quæ deeſſe videbantur, auctas publicis diutius noluit invidere deſideriis. Certo nimirum certius auguramur fore, ut eo majori cum applauſu ab omnibus excipiantur, quo pauciores hactenus ex noſtratibus extiterunt, qui arduum hunc Jeremiam illuſtrandi laborem in ſe ſuſcipere non ſunt gravati. Ea omnino Noſtro relinquitur gloria, adeo plenas & perfectas eſſe has lucubrationes, ut commentariis aliis a Lutheranis adornatis, quotquot hactenus lucem ſubierunt publicam, merito præferantur. Totum Opus abſolvitur Tomis duobus, eadem omnino methodo ac ordine concinnatis, imo ſi tractandi rationem attendas, fere per omnia cum aliis ejus commentariis, & inprimis cum commentario in librum Judicum, a nobis in Actis anni 1684 menſe Novembri pag. 532 enarrato conformibus. Ex Præfatione ad Lectorem ac inſpectione ipſius libri, ſequentia de ſcopo Autoris uberius teſtantia obſervare non abs re erit. Præmittit videlicet unicuique capiti reſolutionem, parteſque ejus non modo primas & immediatas ſive principales, ſed minus principales quoque indigitat, adeo ut ſit inſtar accuratæ delineationis omnium eorum, quæ in ipſo capite continentur. Dein textum Hebræum cum Latina verſione ad ſingulos verſus præponit, ne opus ſit ex Commentario ipſo demum conquirere. Aliquando Vulgatam, Tremellianam vel aliam aliquam ſequitur, aliquando ubi ſatius videtur, propriam addit, inque ea verba textus fideliter premit, niſi quod particulas fere cohærentiæ faciendæ commodiores ubivis eligat. Inprimis ſollicitus eſt de vera copu-

z 2 læ He-

læ Hebrææ Vav, quæ alias omnibus aliarum linguarum conjunctionibus æquipollet, in quovis loco expreſſione, ex conſequentia rerum diſpiciens, quam vim habeat, & quomodo verti poſſit aut debeat. Verſuum ſingulorum verſioni, quam olim elaboratam tempore excluſum accuratius conferre ſe nequiviſſe fatetur, aſt haud difficulter, ſi quæ in eam deſcribentis incuria irrepſerint vitia, corrigi poſſe pronunciat, commentationes ſubnectit, nihil quicquam prætermittentes, quod vel ad verum ſenſum eruendum, vel ad tollendas difficultates a philologis aut adverſariis motas pertinere viſum eſt. Capitibus ſingulis Locos Communes ſubjicit, non præter neceſſitatem multiplicatos, ſed ita fere ordinatos, ut fœcundi plerique ſint & feraces novorum, ſicubi conſequentia textus legitima & neceſſaria plures poſtulat, & negotio exiguo ab iis, qui numeroſiores expetunt, vel ſecando & diſtinguendo, quæ in unum contracta ſunt, vel adjiciendo omiſſos & breviter indicatos extendendo augeri queant.

Indices in fine tomi utriusque conſpiciuntur tres, quorum primus dicta ſcripturæ Sacræ, quæ vel conciſe vel fuſius in hoc commentario explicata ſunt, alter vocabula Hebraica, tertius res præcipuas complectitur.

RESOLVTIO BREVIS CVM PARAPHRASI Verborum Evangelii D. Johannis Apoſtoli in Univerſitate Argentoratenſi quinque ſolennibus Diſputationibus propoſita Auctore & Præſide Sebaſtiano Schmidt *Doctore Theologo &c.*

Argentorati apud Sporium 1684 in 4.

Videbatur omnino *Evangelium D. Johannis Apoſtoli & Evangeliſtæ*, non minus ac alia V. &. N. T. monumenta requirere, ut qua *Venerandus Autor* hactenus ſuevit methodo dilucidaretur, commentariusque prolixior in illud ipſum adornaretur, quippe quod ſublimiſſimum fere & abſtruſiſſimum omnium Scripturæ ſacræ voluminum ſemper eſt habitum. Nec diffitetur idem *Cl. Autor*, quando in præfatione ad lectorem, cur juſtum non dederit commen-

 tarium

Digitized by Google

tarium, rationem aſſignat hanc, quod opus nimis prolixum & (quæ ſumma ejus eſt modeſtia) forte ſuis etiam viribus præarduum ſit viſum. Exoptans tamen quodammodo aſſurgere bonorum expectationi, brevem ejus analyſin ſive reſolutionem & paraphraſin ſuſcepit compendioſam, ex qua de ſenſu verborum ſententia *Autoris* ſufficienter intelligi, quæque commentariorum locum explere, & laborum lectionisque breviarium quoddam non incommode dici poſſet. Quamobrem dubium eſt nullum, quin etiam acutisſimos viros, quibus ſæpe vaſta commentatorum volumina, utpote mole laborantia ſua, non adeo placent, opera hæc ſit habitura præcones. Non unius certe approbationem indeptum eſt ſimile quid ab Autore circa Epiſtolam D. Apoſtoli Jacobi triennio abhinc tentatum, cujus quidem prior tantum pars Diſputatione ſolenni propoſita in eruditorum manibus eſt, altera ad prelum parata (verbis præfationis utimur) ſua occaſione & tempore, ſi DEUS clementer conceſſerit, ſequetur. Summa præſentis ſcripti huc redit. Poſtquam in prooemio commendationem Evangelii Johannæi & Autoris ejus cum Auguſtino potisſimum loquens inſtituerat, argumentum libri exponit, eundemque in partes duas, materiam ſcripti & ipſum Salvatorem duces ſecutus, dividit, quarum prior a *cap. I* uſque *ad cap. XII* incluſive adventum Filii DEI in mundum, quo omnia, quæ aſcenſum ejus ad Hieroſolymam, mortem & abitum e mundo præceſſerunt, referri debent; poſterior a *Cap. XII* ad finem uſque libri abitum Chriſti e mundo declarat. Dehinc capita ſingula partitur, paraphraſi verſuum quorumvis & ſubdivioſione partium particularumque textus fideliter ſubnexa. In toto autem opere ſe non tam ſuum ingenium ſecutum, quam egregiorum virorum deſideriis ſatisfacere conatum eſſe cum fateatur ipſe, nihil relinqui nobis videtur, quam ut eandem ei felicitatem a Divina expremus benignitate, quam clarisſimo Philologo & Theologo *Dn. Caſpari Hermanno Sandhagen*, clarisſimi juvenis, qui reſpondentis vices ſuſtinuit in diſquiſitionibus præſentibus, fratri germano eſt comprecatus, ut habeat Eccleſia orthodoxa, quod de tanto ſui columine & præſide diu glorietur.

CHRI-

CHRISTOPHORI CELLARII SMALCALDENſis Hiſtoria Antiqua multis acceſſionibus aucta & emendata, cum notis perpetuis & tabulis ſynopticis.

Cizæ apud Jo. Bielkium, 1685. in 12.

Cujus doctiſſimos fœtus non unos Actis noſtris jam inſeruimus, Vir indefeſſæ diligentiæ Cellarius jam ante decennium Hiſtoriæ Antiquæ Synopſin ediderat, eamque ad natum uſque mundi Soſpitatorem perduxerat. Ex eo tempore uti defixiſſimus fuit in optimis autoribus evolvendis, ita oculatior indies factus (nam dies diem docet) id Compendii in ſecunda hac editione ultra limitem jam dictum exporrexit. Nimirum cum non imæ caveæ ſcriptores, quales Tacitus, Suetonius, Plinius aliique æquales fuere, etiam poſt reparatam humani generis ſalutem floruerint, non in Auguſti Imperio ſubſiſtere amplius, ſed filum hiſtoriæ ſuæ ad incrementa Imperii Romani, quæ ſub Trajano longe maxima erant, imo ad Conſtantinum uſque Magnum extendere voluit. Hunc enim Imperatorem veluti terminum antiquæ hiſtoriæ & Gentiliſmi conſtituit: medii ævi hiſtoriam, quæ tempora Imperii Chriſtianorum Conſtantinopolitani complectitur, ad Conſtantinopolis expugnationem; novam vero, quæ novam orbis regnantis & rerumpublicarum faciem recenſet, ad noſtra uſque tempora deducens. Enimvero non longius tantum ſummarium hiſtoriæ ſuæ jam produxit Autor clariſſimus, ſed & auctius multo atque emendatius illud reddidit. Quæ enim in vulgatis hiſtoriarum compendiis aut prætermiſſa ſunt plane, aut leviter ſaltem attacta, ea accurate fuit perſecutus, & optimorum ſcriptorum, in quibus verſatiſſimus eſt, autoritate in notis perpetuis pagellæ cuique ſubſtratis confirmavit. Diviſit autem Autor Hiſtoriam hanc Antiquam in V libros, inque primo res Chaldæorum, Aſſyriorum & Medorum, in II res Perſarum, in III res Græcorum, in IV res Romanorum ſub Regum & Conſulum imperio, in V res Romanorum & Eccleſiæ ſub

ſub Ethnicis Imperatoribus exponit. Et Græcorum quidem res dum enarrat, Regnum Macedonicum Aſiaticum non in Antigono, uti compendia id genus pleraque omnia referunt, exſpiraſſe, ſed poſt Antigonum ſatis diu duraſſe in Regibus Bithyniæ, Pergamenis, Ponticis, Cappadociæ aliisque, luculenter oſtendit. Cæterum ut memoriæ diſcentium, quorum ſtudiis unice hoc opuſculum addictum eſt, tanto melius conſuleret formator juventutis dexterrimus, etiam Tabulas Synopticas editioni huic addidit, & in illis Hiſtoriam antiquam omnem, imo plura (ut illæ videlicet hujus complementum eſſent, & quæ vel prætermiſſa vel breviter enarrata antea fuerant, uno conſpectu repræſentarent) fuit complexus. Exhibet autem primum in Tabulis jam dictis, poſt Monarchiæ I vulgarem, Scaligerianam & Uſſerianam diſpoſitionem, Reges Orientis a Chr. Schotano recenſitos: deinde Reges Judæ & Iſraelis, quibus duplicem Iſraelitarum deportationem, & quatuor Judæorum captivitates annectit, cum antiquis Ægyptiorum & Lydorum Regibus. Porro bella Græciæ liberæ tam externa, quam civilia, nec non prælia belli Peloponneſiaci graviora, & Reges, Græciæ domitores. Macedoniæ poſtea Reges poſt mortem Alexandri, ut & Ptolemæos ſeu Lagidas cum vetuſtis Cyrenæorum Regibus, Seleucidas item, Reges Commagenos, Principatus Haſmonæorum, Regulos Emeſenos, Principes Chalcidenos, Reges Nabathæos, Principes Ituræorum, Reges Arſacidas ſeu Parthicos, Regesque reliquos Trans-Euphratæos, quin & Reges Edeſſenos ſive Oſroenos, Armeniæ majoris ac minoris Reges, Reges Ponticos, Reges Cappadociæ, Reges Boſphoranos, Reges Paphlagoniæ, Reges Bithyniæ, Reges Ciliciæ, Galatarum Principes, Reges Epirenſes, Numidiæ ac Mauritaniæ Reges, Reges Romanorum, horumque poſt ejectos Reges bella Italica, Punica, Macedonica, Hiſpanica, Aſiatica, & externa reliqua, ut & bella eorundem civilia; Romanos tandem trium ſeculorum ſeu Ethnicos Imperatores, & perſecutiones Eccleſiæ graviores. Supereſſe dicit Autor Reges Siculos, & Germanorum Duces inclutos, quos meliori otio ac curæ reſervat. Quo ipſo inſtituto cum ſalivâ erudito orbi moverit Autor doctiſſimus, non poſſumus non calcar ei occaſione hac addere, ut non propoſitum tantum illud ſuum de ducibus Germanorum nobilioribus perſequatur, ſed & medii ævi hiſtoriam, imo & novam eadem, qua antiquam, brevitate & concinnitate adornet, vel jam adornatam propediem in publicum emittat.

ספר

ספר הזוהר
על התורה

מאיש אלהים קדוש והוא נורא מאד׃ התנא רבי שמעון בן
יוחאי זלה״ה עם חידושים רבים. והמה סדרי תורה׃
ומדרש הנעלם׃ ותוספתא על קצת פרשיות וכל חיבור
הרעיא מהימנא׃ וחדושי הבהיר׃ מדרש רות׃ ומדרש חזית׃
ומאמר תא חזי׃ ורזי דרזין׃ והיכלות וכו׳

נדפס פה ק״ק זולץ באך ע״י המחוקק משה בר אורי שרגא
ז״ל ממשפחת בלאך בשנת ויכתבם על שני
לו״חת אבנים לפ״ק

id eſt,

LIBER SOHAR IN LEGEM, SCRIPTUS a Viro divino, ſancto, maximeque Venerabili, Rabbi Simeone ben Jochai, cum novis acceſſionibus quam plurimis ex Sidre Thora, Medraſch hannehlam, Toſiphta, Rahja Mehemna, Bahir, Medraſch Ruth, Medraſch Chaſith, Ta Chaſi, Raſe deraſin, Hechaloth, aliisque libris Cabbaliſticis, paſſim interſperſis.

Sulzbaci, apud Moſen bar Uri Scherga, cognomento Blach, Anno 444. ſupputationis minoris (i. e. Chriſti 1684.) in fol.

DE ipſo libro Sohar, cabbaliſticorum omnium palmario, & ut e Juchaſin eum R. Schabhtai *in Siphte Jeſchenim* laudat, על פני קבלה עמוק עמוק מי ימצאנו *Cabbaliſtico admodum profundo atq; impervestigabili*, deque ejus Autore, Rabbi Simeone ben Jochai, quæ dicenda forent, jam pridem Buxtorfius *in Bibliotheca Rabbinica*, & *in Abbreviaturis Hebraicis*, רש״בי, Plantavitius *in Bibliotheca Rabbinica Num. CXX.* Capellus *in Exercitatione ad locum Zoharis Diatriba de Ebræorum literis Buxtorfio oppoſita adjuncta*, pluresque alii, obſervarunt abunde, potiſſimum vero Kabbalæ denudatæ, nobis ſuperiore anno menſe Julio, p. 310. commemoratæ Autor idem Perilluſtris, cui ἐργοδιώκτῃ novam hanc Soharis editionem

debemus. In qua quid poſt Mantuanam, Venetam, Cremonenſem, & Lublinenſem præſtitum ſit, non Præfatio tantum nomine Moſis bar Uri Scherga Typographi præmiſſa, ſed ipſa cumprimis ſplendidiſſimi operis perluſtratio docet. Nempe textus ipſiusmet Soharis quadratis literis emendatiſſime recenſetur,ita quidem, ut ipſa emendatio, quoties & quomodo facta, literis rotundis compareat,varias quippe lectiones e R.Iſaaci Lorjenſis & R. Moſis Korduero monumentis, itidemque e Manuſcriptis Sapientum terræ Iſraeliticæ, & ex impreſſis editionibus excerptas,ſimulque emendationes libri *Derech Emeth* inſcripti,ſuo ubivis loco exhibentibus. Deinde defectus quam plurimi,undecunque fieri potuit, ſupplentur, inſerti quidem textui eodem, quo textus excuſus eſt, typo, ſed binis incluſi lunulis: perinde uti parentheſi quadratæ incluſa ſunt, quæ ſupervacua quidem, at ſuo tamen loco relinquenda, nec plane eliminanda videbantur, quandoquidem nec circa minutiſſima caſtrari hæc editio debuit, etſi nulla religio fuit, plurimas diſſertationes in aliis editionibus loco non congruo poſitas ſuo reſtituere ordini. Acceſſiones vero illæ & ſupplementa, quæ ex Sidre Thora, Medraſch hannehlam, & cæteris libris Cabbaliſticis in titulo commemoratis paſſim inſeruntur, peculiarem ſemper columnulam a textu abſciſſam, literis rotundis occupant. Porro vocum difficiliorum explicationes, quas R. Iſaſchar Beer in *Imbre bina* (qui illius in Sohar Commentario titulus eſt)planiſſime tradidit, ad cujusque columnæ finem adſcriptæ ſunt, cum locis libri Sohar parallelis; plane uti in recentioribus libri *Rabbos* editionibus Commentarius *Mattanoth kehunna* appellatus comparet. Neque omiſſæ Commentatiunculæ Cabbaliſticæ e Scriptis ſapientum Orientalium hinc inde compilatæ, imo & loca Biblica in textu more Rabbinico citata, ſummo ſtudio ad marginem qua libros, capita & verſus, quod allegandi compendium Chriſtianis hodie ſolenne eſt, conſignatum. Cumque Mantuana editio Orientalibus maxime atque Italis uſurpata aliter paginas numeret, quam Cremonenſis, quæ cum Lublinenſi convenit; & vero ab utraque præſens hæc diſcedat, ipſe quoque paginarum numerus intra geminas cujusque faciei columnas, Mantuanæ quidem editionis minoribus, majoribus vero characteribus Cremonenſis & Lublinenſis exprimuntur. Tandem, ne quid deſit, index etiam Locorum Scripturæ

pturæ abſolutiſſimus e libro *Petach Enajim* ſubjungitur. Atque hæc editionis libri omnium obſcuriſſimi ſtructura eſt, cujus ſi verſionem, quam molitur, Latinam Vir Perilluſtris abſolvet, tale exiget profecto opus, quale in hoc literarum genere Sol nunquam vidit. Nam de abſtruſa rerum pariter & verborum difficultate queruntur ad unum omnes, quotquot in illius lectione deſudarunt, & fatetur Epiſcopus Lodovenſis, Plantavitius (*fol. 569.*) *ſe quidem hactenus neminem inveniſſe, etiam inter Hebræos, qui mentem illius plane ſit aſſecutus.*

CASPARIS SAGITTARII, P. P. ANTIQVItates Regni Thuringici.

h. e.

Gründlicher und ausführlicher Bericht von dem Nahmen und alten Zuſtande des Thüringiſchen Landes/ inſonderheit aber von dem alten Thüringiſchen Königreich/ deſſelben Königen und dero Thaten/ wie auch endlich deſſen Zerſtörung und Theilung unter die Francken und Sachſen/ nicht weniger auch von dem Nahmen und Erbauung der Stadt Erfurt etc.

Jenæ apud Matthæum Bircknerum, Anno 1685 in 4.

CUm Thuringiam non illiberalem & honorum & bonorum diſpenſatricem expertus ſit Autor clariſſimus, in inferiori alias Saxonia oriundus, velut ex lege gratitudinis Thuringicum monumentum quoddam, idq; muneri ſuo Academico non diſconveniens condere induxit animum. Sepoſitis autem, nunc quidem, cæteris ad Hiſtoriam Thuringicam ſpectantibus, in *Antiquitates* tantum *Regni Thuringici* hoc in opere inquirit, quod & in *epiſtola de antiquo ſtatu Thuringiæ*, quam anno 1657, occaſione ex *Johannis Mauritii Gudeni Hiſtoria Erfurtenſi* arrepta, edidit, jam fecerat; cumque in duos id operis diviſerit libros, in primo, qui IV conſtat capitibus, de nomine Thuringiæ, nec non de origine Thuringorum adventuque in has regiones agit; non diffitens inſimul, ſibi ob defectum fide dignorum de priſcarum gentium nomenclatura & migrationibus

Hiſtoricorum, infallibilem in multis deeſſe certitudinem. Exiſtimat autem, rejectis aliorum opinionibus, Thuringos dictos eſſe a *Thor*, Idolo Gothorum vetere, & *ing*, quod progeniem ſignificet, quaſi Gottes-Kinder/ hosque, ſi ad majores vetuſtisſimos reſpicias, poſt Japhetum ejusque poſteros, a Gothis, ſeptentrionali populo; ſi ad propiores, non ex Wandalis, quæ Ægidii Bucheri fuit ſententia, ſed ex Saxonibus originem ſuam deducere. In II libro capita XIV continente operoſe oſtendit, Thuringiam peculiare olim fuiſſe regnum, recenſetque non Regum tantum antiquorum quorundam nomina, ſed & proſapiam, vitam, res geſtas & obitus, ex Græcis Latinisque Scriptoribus, Clodionis puta, Merovei, Baſini, ejusque filiorum Baderichi, Bertharii & Hermenfridi. Qui Hermenfridus cum Regum Thuringicorum fuerit ultimus, paulo fuſius & bella & fata ejus extrema exponit. Narrat autem, ut rem in pauca contrahamus, Hermenfridum a Francis in acie victum, arcemque ejus regiam Scheidingam a Saxonibus, qui Francis ſubſidio venerant, expugnatam; ipſum poſtea Hermenfridum a Francis interfectum, & ſtemma tandem Regum Thuringicorum omnino fuiſſe extirpatum. Nam & filium ejus Amelfridum, quem mater Amelberga, Theodorici Oſtro-Gothorum Regis ex ſorore neptis & hujus belli fatalis fax & tuba, in Italiam ſecum abduxerat, poſt egregia virtutis bellicæ ſub Juſtiniano contra Gepidas ſpecimina edita, in Oriente obiiſſe; Baderichum quoque & Berthariumjamdudum inſtinctu Amelbergæ ab Hermenfrido ſublatos; Berthariique filium, a Clotario, Francorum Rege, qui captivam ejus ſororem Radegundem in matrimonium duxerat, interfectum. Cæterum cum regnum Thuringicum poſt fata Hermenfridi inter Francos & Saxones diviſum, Thuringiaque adeo faciem longe aliam nacta fuerit, Annales Thuringicos interſpergit Autor, & quoniam Erfurtum, ampliſſima celeberrimaque Thuringiæ urbs, famoſiſſimi Tyranni Attilæ tempeſtate extincta fuiſſe creditur, tum de bellis Attilæ (ubi & quæſtionem, an unquam in Thuringiam pervenerit Attila, ventilat) tum de nomine Erfurti, & quo tempore condita ſit, probabiliter differit. Annectit etiam corollarii loco *Petri Albini Specimen Hiſtoriæ Thuringorum novæ*, nunquam antehac editum, idque ab *Antonio Weckio*, olim Sereniſſ. Electori Saxoniæ a Secretis & archivis, donatum. Promittit præterea in præfatione ad Lectorem non *Antiquita-*

quitates tantum *Gentiliſmi Thuringici* cum *Hiſtoria Bonifacii*, quæ & nundinis hujusdem anni vernis prodierunt, ſed & *Antiquitates Thuringiæ Francicæ* ut & *Antiquitates Thuringiæ Landgravicæ*, quæ non minus, quam *Hiſtoria Comitum Glichenſium*, aliaque affecta doctiſſimi Autoris ſcripta, ab erudito Orbe impatienter deſiderantur.

Gründlicher und ausführlicher Bericht von dem Heyden- und Chriſtenthum der alten Thüringer / worinnen abſonderlich dargethan wird / daß ſchon längſt vor den Zeiten Bonifacii gute Chriſten in Thüringen geweſen / und dieſer alſo mit nichten der Thüringer Apoſtel ſey etc.

ſeu

CASPARIS SAGITTARII ANTQVITATES Gentiliſmi & Chriſtianiſmi Thuringici, in quibus Bonifacium non primum Thuringorum Apoſtolum fuiſſe oſtenditur, & univerſa ejusdem vita percenſetur.

Jenæ 1685 in 4.

PRomiſerat diligentiſſimus Autor in præfatione *Antiquitatibus Regni Thuringici* præfixa, ſe his, præter alia affecta, *Antiquitates Gentiliſmi Thuringici* cum *Hiſtoria Bonifacii* mox ſubmiſſurum. Promiſſis itaque ut fidem faceret, non pigratus eſt id opuſculi in lucem publicam emittere. Diviſit iſthoc in tres libros. In I poſt communes Deos, quos Thor ſeu Jovem, Wodan ſeu Mercurium, & Fream ſeu Venerem, ut & Crodonem, Saxonum deaſtrum, fuiſſe conjicit, ſpeciatim de Pieſtero, Germanice Püſterich / Idolo illo Thuringorum, quod Sondershuſæ hodieque aſſervatur, & Jecha agit; ut & de cultu Idolorum Thuringicorum, adoratione nempe & ſacrificiis, inter quæ & ἀνθρωποθυσία extitit, de auguriis item, incantationibus aliisque paganis ſuperſtitionibus. In II id unice Autor diſpicit, an Bonifacius primus Evangelium in Thuringia prædicaverit, hominesque a Gentiliſmo ad Chriſtianam fidem converterit, ipſeque adeo Thuringorum imo Germanorum Apoſtolus appellari jure poſſit. Pro-

ductis ſcriptoribus, Bonifacium pro Germanorum, & inprimis Thuringorum Apoſtolo venditantibus, negat Autor Bonifacium primum Germanorum fuiſſe Apoſtolum, eo quod jam ante ejus tempora Evangelium prædicatum in Germania fuerit, ut puta primo, ſecundo, tertio & quarto poſt C. N. ſeculis. Thuringiam Hermenfrido Rege imperante, quod Amelberg Theodorici Regis ex ſorore neptem, Arrianam quidem, at Chriſtianam tamen, in matrimonium duxerit, Chriſtianam ſuſcepiſſe fidem conjectat. Id autem clare oſtendit, Bonifacium Chriſtianam fidem non tam intuliſſe Thuringiæ, quam in ea inſtauraſſe, & quamvis puram Evangelii doctrinam prædicarit primitus, poſtmodum tamen decretis Papalibus plus quam verbo divino inhæſiſſe, multasque adeo traditiones, ad quas juramento adſtrictus fuerat, in Germanam Eccleſiam invexiſſe; effeciſſe etiam, ut ſacerdotes ſibi obloquentes, anathemate Papali ferirentur; prohibuiſſe eſum certarum carnium, oraſſe pro mortuis, & ſacrificium miſſaticum in Thuringiam introduxiſſe; ſanctos & invocaſſe ipſum, & horum invocationem non minus, quam cultum reliquiarum promoviſſe; monaſteria præterea pro monachis & monialibus hinc inde per Germaniam extruxiſſe &c. atque adeo Bonifacium non ſanctum, ſed magnum fuiſſe peccatorem, multosque adeo Chriſtianos factos non tam convertiſſe, quam pervertiſſe. In III libro *Johannis Letzneri* & *Cyriaci Spangenbergii* exempla ſecutus, totam Bonifacii vitam percenſet. Quam ſi in nuce quaſi velis exhibitam, en eam ex XXXVIII Capitibus excerptam ſic habe: Natus eſt in Anglia Bonifacius A. ſecundum quosdam 684, ſecundum alios 689, & quidem Kritonii in Devonia, parentes nobiles ſortitus, & Winfridus in fonte luſtrico appellatus. Adultior factus monaſterium Exceſtrenſe, renuente patre, fuit ingreſſus; in Nuzellenſi dein cœnobio inſtruxit alios, cognitaque ejus aptitudine anno ætatis XXX ſacerdotio inauguratus; cumque in Anglia occidentali ſchiſma obortum eſſet, ad Epiſcopum Cantuarienſem miſſus. Transfretavit poſtea in Friſiam, ſummam ejus tenente Radbodo. Regreſſus exin in patriam Romam ſe contulit, Epiſcopi Danielis ſyſtaticis inſtructus, acceptoque a Pontifice diplomate, quo poteſtas ipſi plenaria juxta Papales traditiones hinc inde docendi conceſſa fuerat, diſceſſit. In itinere reliquias Roma allatas donavit Luitprando Longobardorum Regi, perque Bavariam in Thuringiam digreſ-

greſſus magnates ejus ad Pontificis decreta amplexanda animavit. Ex Thuringia poſt mortem Radbodi tetendit in Friſiam, & cum Willibrordo Epiſcopo cultum idolorum pro virili evertit. Structo in Haſiſa Hamelburgi cœnobio, converſisq; a ſe & ſociis ad Chriſtianam fidem quamplurimis, Romam denuo petiit, nec Epiſcopatum tantum, & nomen Bonifacii ob res bene geſtas, ſed & tres literas commendatitias, ad Corolum nempe Martellum, ad Epiſcopos & alios Prælatos, nec non ad reliquum Clerum & univerſum populum a Pontifice obtinuit. Susceptus etiam fuit a Carolo Martello in patrocinium, & literis ſalvi conductus ad Epiſcopos, Principes, Comites, aliosque Magiſtratus inſtructus. In Haſſia poſtea Caroli Martelli indultu convertit, qui a Chriſtianiſmo defecerant, & Idola paſſim, v. g. Stuffonem, Fortunam, Retonem, Bielum, Lahram & Jecham deſtruxit. Ex Haſſia perrexit in Thuringiam, & remotis prioribus, novos conſtituit ſacerdotes ac diaconos, templa etiam & cœnobia in Thuringia extruxit, interque illa & Cathedrale templum Erfurtenſe. Evocavit etiam ex Anglia collaboratores plures, ut & ſanctas fœminas ac virgines, easque monaſteriis immiſit. Accepto a Gregorio III epiſcopali pallio, templum Frizlarienſe condidit, & ſolenniter dedicavit; perſecutus deinceps Ehrenhulſum doctorem quendam in Bavaria, Romam venit vice tertia, & loca ibi ſancta viſitavit. Digreſſus inde, Epiſcopatus in Bavaria IV, Salzburgenſem, Ratisbonenſem, Friſingenſem & Paſſavienſem inſtituit; inſtituit etiam Eichſtetenſem, eique Wilibaldum nepotem ex ſorore ſuum præfecit, ut & Wurtzburgenſem in Franconia. Interfuit non ita multo poſt Synodo Lesdunenſi A. 743 a Carolomanno inſtitutæ, ut & Sueſſionenſi A. 744 a Pipino indictæ. Primus Moguntiæ Archiepiſcopus factus, Sturmium adjuvit in monaſterio Fuldenſi extruendo, qui & primus Fuldenſium Abbas fuit conſtitutus. Inunxit etiam Pipinum Francorum Regem, ſucceſſoremque in Epiſcopatu Moguntino nactus eſt Lullum. Abiit etiam tertium in Friſiam; ſed cum aliquot hominum millia in ea convertiſſet, a Friſiis idololatris una cum ſociis A. 755 fuit trucidatus. Corpus ejus Ultrajecti primum fuit repoſitum; ſed exinde Moguntiam, ubi & inteſtina ejus ſunt condita, & poſtea Fuldam, prout juſſerat, transportatum ac ibi tumulatum. Scripſit alias non epiſtolas tantum, ſed & vitam Livini Epiſcopi & Martyris, ut & vitam Libvini Epiſcopi, item

con-

contra hæreticos librum unum, pro rebus Eccleſiæ librum unum, de fidei unitate librum unum, Inſtituta Synodalia, de ſuis in Germania laboribus, ad Ethebaldum Regem librum unum, de ſua fide, doctrina & religione librum unum. Nec defuerunt & olim & propioribus temporibus, qui vitam Bonifacii monumentis literarum conſignarunt. Ex veteribus nominandi veniunt *Wilibaldus*, Epiſcopus Eichſtetenſis, & Bonifacii ex ſorore nepos, *Ludgerus* primus Monaſterienſium in Weſtphalia epiſcopus, *Ruthardus* Monachus Hirſavienſis, *Radbodus* XIV Ultrajectinus Epiſcopus, & *Othlo* Monachus, qui ſub exitum ſeculi X floruit; Ex recentioribus M. *Johannes Spangenbergius*, *Joh. Letznerus*, & *M. Cyriacus Spangenbergius*, Lutherani Paſtores, & Jeſuita *Nicol. Serarius* in rebus Moguntiacis. Hæc nimirum ſumma eorum eſt, quæ a clariſſimo Sagittario per capita XXXVIII libri tertii percenſentur. Additæ ſunt huic opuſculo duæ vetuſtæ Bonifacii imagines æri inſculptæ, & in frontiſpicio cum titulo exhibitæ, tum tria Fuldenſia Sigilla p. 330 & 331 Bonifacium repræſentantia; ut & duo indices, alter autorum citatorum, alter verborum ac rerum.

JOH. VVILH. ITTERI, JUR. LIC. ET ADvocati Mœno-Francofurtenſis, De Feudis Imperii Commentatio Methodica.

Francofurti ad Mœnum, apud Georg. Erh. Martium, 1685. in 8.

DUm de feudis Imperii inſcripſit Autor hanc ſuam commentationem, mox apparet ejus inſtitutum non fuiſſe, materiam feudorum in genere pertractare, talem ſcilicet, quæ multorum jam nimis calamos in commentariis & compendiis concinnandis occupaſſet. Quin potiꝰ circa illuſtria regalemq; dignitatem annexā habentia Imperii feuda unice verſatur ejus labor; ita ut non niſi leviter ea tangere fuerit dignatus, quæ cæteris inferioribus & levioribus beneficiis communia videri, aut in vulgatis Feudiſtarum ſcriptis ſatis explicata reperiri poterant. In tractandis vero ac dilucidandis ſublimibus hiſce mate-

materiis non unice jus commune, qua civile, qua feudale ſequendum ratus eſt; nec ſolas etiam Imperii conſtitutiones illo excluſo ſibi ad hoc ſufficere putavit; ſed utraque hæc adminicula utiliter combinare ſategit, vocata etiam in ſubſidium, ſicubi opus erat, hiſtoria Germaniæ. Cæterum in examinandis ac decidendis Juris Publici quæſtionibus præprimis occupatus eſt, adductis ubique in medium præſtantiſſimorum hujus generis ſcriptorum ſuffragiis, recentiſſimorum præſertim; quorum nempe doctrina vel ideo antiquioribus plerumque præſtare creditur, quod iſti ſæpenumero juris Juſtinianei veſtigiis nimis preſſe inhærentes, jus publicum inibi traditum Imperio noſtro applicare allaborant, tametſi id & temporum & publicæ rei mutata conditio tantum non in totum reſpuat. Teſtatur etiam inſuper autor, in concinnando hoc opere varia Imperii acta & monumenta, partim etiam inedita, a ſe adhibita fuiſſe; quemadmodum v.g. *pag. 262.* lectori communicavit ex certo MSC. indicem Italicorum feudorum, una cum accurata recenſione contributionum, quas ſub initium hujus ſeculi Conſiliarius Imp. Aulicus, D. Paulus Gerzvveilerus juſſu & autoritate Cæſaris ab Italicis Principibus & Vaſallis exegit, & partim etiam impetravit. Denique non immerito diſſertationem hanc Methodicam appellavit autor, dum non capita tantum ipſa ſatis concinno ordine ſeſe excipiunt, ſed & eorum cuilibet præfixa epitome ſynoptica ad oculum demonſtrat, materias inibi tractatas non indigeſte disjectas, ſed juſta & commoda ſerie propinatas exhiberi.

DE ADORATIONE EUCHARISTIÆ LIBRI duo. Quibus accedit Diſquiſitio Theologica de Præcepto Divino communionis ſub utraque ſpecie: autore Jacobo Boileau, Theologo Pariſienſi, Eccleſiæ Metropolitanæ Senonenſis Decano.

Lutetiæ Pariſiorum apud vid Edm. Martini, 1685. in 8.

Autor hujus libri clariſſimus, cujus in *Actis anni ſuperioris p. 172.* propter editam *Confeſſionis Auricularis hiſtoriam*, a nobis mentio jam facta eſt, heic methodo non diſſimili molitur *Adorationem*

Digitized by Google

Euchariſtiæ, ex Patrum ſecundum ſeculorum a Chriſto nato ſeriem adductorum, ſcriptis probare: ut preſſis & tantum non oppreſſis in Gallia Reformatis, cultum hunc Romanenſium antiquæ Chriſtianæ Eccleſiæ autoritate niti, facilius perſuaderet. Laudat quidem aliorum ante ſe circa hoc argumentum inſumtam operam: ut Joannis Gropperi, Claudii Eſpencæi, Gilberti Genebrardi, Claudii Sancteſii, Bellarmini & *Perronii*, cujus cineribus in Eccleſia Senonenſi requieſcentibus, & ſpiritu ædium, quas incolit, ad hoc ſcribendi genus inſtigatum ſe fuiſſe arbitratur. Verum cum memorati modo ſcriptores adorationem corporis Chriſti, & ejusdem præſentiam ac tranſubſtantiationem promiſcue tractaverint, aut adorationem ex eadem præſentia, conſecutione (ceu loquitur) naturali comprobaverint; ipſe omiſſis de præſentia & tranſubſtantiatione quæſtionibus, *Adorationem ſolum*, ex hiſtoria eccleſiaſtica, inde ab ortu rerum Chriſtianarum obſervatam & notatam, demonſtrare ſatagit. Imo cum alii doctores Pontificii ritum & cultum externum Euchariſtiæ præcipue adſtruxerint; internum, ſcilicet mentis & cordis in ſpiritu & veritate conſiſtentem, probare heic laborat. Ad quod lucubrationis genus ſe inprimis incitatum fatetur, quod ex *Voto pro pace Chriſtiana*, *Oxonii in Theatro Sheldoniano anno 1678 a D. Andrea Sall* edito intellexiſſet, cultus exterioris cerimonias nihil officere reſarciendæ paci inter Proteſtantes & Catholicos; quia ille in libro allegato *numero VI.* ſcripſiſſet: *Tantam* (quanta nempe in Eccleſiis Anglicanis ſpectatur) *magnorum Præſulum demiſſionem*, *tam eximiam Principum & populi reverentiam*, *in S. Euchariſtia adminiſtranda & recipienda*, *nusquam ego vidi apud Romanenſes*, *qui tamen ſe unos ſacramenti iſtius cultores jactant*. Itaque ſibi tantum incumbere putat, hoc libro *internum cultum*, ſeu ſinceram & intimam adorationem Euchariſtiæ defendere, quam in cultu ac veneratione ſummi rerum omnium Domini ac Creatoris, & in obſequio ſincero, atque animi propenſione ac converſione ad perficienda mandata ejus ſicut in cælo & in terra, conſiſtere ait. Hinc *libro I.* ex Patribus Græcis & Latinis, ſecundum ſeculorum periodos, teſtimonia conquirit varia, quæ adorationem illam Romanenſium ſtabilire debent. In *II. libro* Dallæum aggreſſus, argumenta viri contra adorationem hanc ex Patribus allata & alia confutare nititur. Qua ἀκριβείᾳ hoc labo-

labore perfunctus ſit, ex inſpectione Patrum allegatorum, & collatione doctiſſimi *Jo. Dallei libri de cultus religioſi objecto*, eruditus lector judicare poteſt.

Sub finem *libri II. Diſquiſitionem Theologicam de præcepto divino communionis ſub utraque* annectit. In qua hanc præcipue quæſtionem pertractat: an abſolute neceſſarium ſit ad ſalutem procurandam, corpus Domini ſub ſpecie panis comedere, & ſanguinem ſub ſpecie vini bibere. Quam ut reſolvat, varios Novi Teſtamenti locos, qui communionem corporis & ſanguinis Chriſti ſpectant, ſingulari (ut videri vult) cura examinat, atque allata trita Pontificiorum exceptione, præceptum Chriſti de bibendo Matth. XXVI, 26. 27. Marc. XIV, 22. 23. & 24. Luc. XXII, 19. & 20. negat omnes fideles ſpectaſſe, ſed ad ſolos præſentes ac cum Chriſto ſpeciatim ac nominatim diſcumbentes Apoſtolos pertinuiſſe. Et quia *Claudius* Charentonienſis Eccleſiæ miniſter doctiſſimus, in *Explicatione vernacula ſectionis LIII. Catechiſmi typis Haga-Comitis anno 1682. impreſſa*, ſcripſerat: *ſi præceptum his verbis expreſſum*, Bibite ex eo omnes, *non ſpectat ad laicos, nihil in inſtitutione ſacramenti erit, quo ejus participatione teneantur, nihil quo jus habere videantur percipiendi ſive panis, ſive calicis*; nihil reſpondet magis ejusmodi ratiocinationis genere vanum ac ſupervacaneum eſſe: quippe cum Chriſtus ſuos Apoſtolos non inſtituerit ſacerdotes & miniſtros, niſi ad uſum populi; ac conſecrationem, ſeu confectionem Euchariſtiæ in eorum poteſtate non poſuerit, niſi ut eam plebi Chriſtianæ porrigerent & adminiſtrarent. Quamvis lege ſpeciatim ſancita non ſignificaverit, ejusmodi adminiſtrationem ſub una, aut ſub utraque ſpecie fieri debere. Deinde cum *Claudius* locum 1. Cor. XI, v. 27. *quicunque manducaverit panem hunc ET biberit calicem Domini indigne* &c. pro communione ſub utraque urſiſſet; ipſe ibi non legendam eſſe particulam *copulativam* καὶ πίνῃ, ſed *disjunctivam* ἢ πίνῃ, magnopere contendit. Quia admiſſa hac lectione conſequi putat manifeſte, S. Paulum exiſtimaſſe, poſſe vel ſolum comedi panem, vel bibi ſolitarium vinum; atque utrovis indigne ſumto, hominem polluti corporis & ſanguinis reum extitiſſe.

Digitized by Google

L' ART DES EMBLEMES, ou s' enſeigne la morale par les figures de la fable, de l' hiſtoire, & de la nature. Ouvrage rempli de pres de cinq cent figures. par le P. C. F. Meneſtrier de la Compagnie de Jeſus.

i. e.

Ars emblematum: in qua morum diſciplina per imagines ex fabulis, hiſtoriis & natura depromptis traditur. Opus quingentis ferme iconiſmis inſtructum, auctore P. Claudio Franciſco Menetrerio Soc. Jeſu.

Pariſiis, apud R. J. B de Caille, 1684. in 8.

P*Hiloſophiam morum & naturæ totam in emblematis occupari* Claudius Minos aſſeruit, in oratione quam Lutetiæ habuit anno 1576, cum interpretationem emblematum Alciati auſpicaretur: idque non ſolum ipſe ex Alciati venuſtiſſimis ingenioſiſſimisque in hoc ſtudiorum genere monumentis, antehac in commentationibus ad iſta oſtendit, ſed Menetrerius editis hactenus inſignibus libellis idem demonſtravit, quorum bini in Actis anni 1683, p. 17, & 344. jam recenſiti ſunt. Ipſam emblematum artem in hoc tractatu, quem ſuperiori anno emiſit in publicum, tradidit: originem, naturam, materiam, formam, diverſasque eorum ſpecies & partes diſtinctis veluti capitibus executus. Cumque vaſtiſſimum ſit hujus artis objectum, nec quidquam in orbe exiſtat, unde non peti poſſit argumentum emblemati conficiendo, quod præ cæteris apologi & fabulæ ſubminiſtrant; iſtud ſtudioſe Auctor inveſtigavit, & eorum varia genera diſtincte enarravit: ſacra, moralia, politica, doctrinalia, chymica, heroica, ſatyrica, pathetica: ſingulorumque exempla ſelectiſſima e melioris notæ emblematographis adduxit, ea etiam quæ in palatiis hinc inde conſpiciuntur exhibuit, imagines ipſas ligneis minuſculis formis inciſas conſpectui ſiſtens. Eas quæ erudire nos poſſunt, quatuor tradit eſſe generum: mathematicas, philoſophicas, theologicas, morales; quibus

bus jungi poſſe ait ænigmaticas, quales ſunt ſteganographicæ, cabaliſticæque figuræ, characteres magici & taliſmani, chymicæque & occultæ figuræ aliæ: de quibus tamen obiter ſaltem agit, omnem eo curam adhibens, ut oculis & animis lectorum icones & epigraphas ac lemmata ingenioſa objiciat.

DE CONCHIS FOSSILIBUS SEU LAPIDE Conchite Obſervatio Griff. Hatleji, M. D.

Excerpta ex Tranſact. Philoſ. Anglic. M. Jan. 168$\frac{4}{5}$ Num. 155. pag. 463.

Cum in Comitatu *Cantii* prope *Huntonienſe* oppidum in loco, quarta milliaris parte a flumine *Medway* diſſito, piſcina amplificanda eſſet, inter fodiendum argilla primum reperta eſt trium pedum profunditate; inde marga cærulea optima trium pedum cum dimidio; dein ſtratum durum ex conchis, ſeu conchiformibus lapidibus ſatis denſe coagmentatis, quorum interſtitia itidem marga replebantur. Stratum hoc pollicis ſaltem craſſitie ac ita planum, ut in eo commode ambulari poſſet, procurrebat, quemadmodum ſolent venæ ſilicis in terra cretacea; ac ſub eo rurſus marga pedis circiter profunditate deprehendebatur. Concharum iſtarum pleræque ex turbinatarum, reliquæ ex bivalvium claſſe erant; ex his tamen poſterioribus nullæ ambabus valvis invicem cohærentibus repertæ, ſed non niſi ſingulæ ſeu ſeparatæ. Ac turbinatas quidem ſeu contortas quod attinet, craſſities earum erat a vicia ad avellanam; figura omnium eadem, niſi quod in nonnullis latera nonnihil depreſſa eſſent: color, abluta marga ſeu terra lapidoſa, lapidi Bezoar ſimilis apparebat: coctæ tamen albeſcebant & cretacei quid in digitis tangentis relinquebant; quo ipſo a cochleis fricatione ablato, ſubtiliſſimæ ſtriæ nigricantes extrorſum emergebant. Obſervatum quoque, conchas has in aceto fortiter & cum bullis efferveſcere. Ex bivalvibus pleræque non excedebant craſſitiem phaſeoli, paucæ fabam majorem latitudine æquabant: valvæ tamen adeo erant tenues, ut conſimilibus animalium exuviis multum hac in parte cederent. Color idem, qui turbinatarum, niſi quod in paucis lineæ oblongæ, circula-

 riter

Digitized by Google

riter ad commiſſuram, qua valvæ jungi ſolent, tendentes obſervatæ. Una tamen inter reliquas reperta ex diſtinctis quaſi lamellis compoſita, cujus convexa facies pulcherrimo nigrore ſplendebat, interiore margaritæ colorem referente. Ex bivalvularibus hiſce multæ imperfectæ apparebant, & ut ſcholæ loquuntur, in fieri; non quantum ad figuram, ſed quantum ad craſſitiem & duritiem: & in aliquibus velut prima ſtamina, in aliis quaſi gradus & profectus varii ad perfectam figurationem.

Ex hac ipſa jam imperfecta in nonnullis formatione, ut & in jam completis valvarum ſingularitate arguit Hatlejus, conchas iſtas nunquam exuvias animalium fuiſſe; præſertim cum non auditum fuerit, exundans flumen eousque unquam pertigiſſe, aut locum iſtum antea fuiſſe detectum. Quin potius exiſtimat eas eſſe lapides ſui generis, tales ſcilicet ex quibus Conchites, ut vocari ſolet, conſtat. Confirmat hoc ex eo, quod fruſta prædicti concreti diſſimilaris, ubi marga induruit, perquam ſimilia appareant vulgari iſti marmori, quod circa *Pluckley* in *Cantio* effoſſum adhiberi ſolet viis ſternendis; nam & hoc non aliud credit eſſe quam coagmentationem ejusmodi lapidum conchiformium, quibus interfuſa marga firmam ſoliditatem ac duritiem adquiſiverit: unde & fieri ait, quod marmor iſtud aeri expoſitum ſenſim exiguas oſtendere cavitates incipiat, interjectis ſcilicet margæ portionibus, tanquam minus duris, per temporis tractum eroſis. Pro alio adhuc ſuæ opinionis argumento allegat Hatlejus, quod non longe a loco illo priori in agro Huntonienſi, & quidem profunditate eidem horizontaliter parallela ex quadam margæ fodina effoſſum fuerit marmoris fruſtum, quod teſſellato quaſi opere diſtinctum appareat lapidibus ejusmodi conchiformibus; quodque adeo veriſimiliter eadem cum compoſito antea deſcripto principia agnoſcat.

DE MODO ELICIENDI AQUAM DULCEM ex marina mediante halitu plantarum marinarum, ut & de ventis Tropicis, Obſervationes Mart. Liſteri, Med. D.

Excerptæ ex Tranſact. Philoſ. Angl. M. Febr. 168¾ Num. 156. pag. 493.

De

DE aqua marina ejusque edulcoratione, quid ſentiat Liſterus, ex libro ejus *de Font. Med. Angl.* eruditis innotuit. Statuit ſcilicet, initio nonniſi aquam marinam ſeu ſalſam a Deo conditam eſſe; dulcem vero ex accidenti poſtea ſubnatam, origines ſuas maximam partem debere vaporibus plantarum, halitui animalium & exhalationibus a Sole excitatis: putatque, cum in Scriptura omnia flumina e mari prodire aſſeruntur, non alia via id expediri, quam per exhalationes atque vapores. Ut vero, quod in ſpecie de halitu ſeu vapore plantarum hac in materia aſſeruerat, facilius perſuaderet, novam commentus eſt methodum, naturæ, ut credit, apprime conformem, ex aqua marina dulcem educendi. Videlicet cucurbitæ vitreæ oblongæ, aqua ſalſa propemodum repletæ indidit communem algam marinam: vitro ſic penitus impleto aptavit Alembicum una cum Recipiente; absque omni tamen lutatione, ſeu juncturarum obturatione; viditque hac ratione ex plantis iſtis quotidie, licet exigua quantitate, deſtillare aquam apprime dulcem potuique aptam, absque omni empyreumate aut ingrato ſapore; quæ tamen incommoda fere deſtillationem per ignem factam comitantur. Facilem ergo hanc methodum navigantium neceſſitatibus commendat; aitque alias etiam maris plantas huic uſui inſervire poſſe, v. g. crithmum petroſum, braſſicam marinam, aliasque quæ aut non niſi in mari, aut in terra quidem, ſed non aliter tamen quam aqua ſalſa quotidie irrigata provenire ſoleant. In ſpecie vult Sargaſſum ſeu Lenticulam marinam commodiſſime hanc ad rem adhiberi poſſe, ut quæ in ſuperficie maris, profundiſſimi etiam, maxima in quantitate creſcere reperiatur, a gradu 36. ad 18 latitudinis Borealis, & alibi. Et ex uberrimo quidem plantæ hujus proventu arbitratur reddi poſſe rationem famoſi iſtius Venti Generalis ſeu Tropici, qui in zona torrida continuo ex ortu ſeu plaga orientali ſpirare in mari deprehenditur. Nimirum cum juxta Liſteri hypotheſin, præcipuam ventorum materiam ſuppeditent plantarum exhalationes; non mirum eſſe ait, quod in tractibus iſtis, ubi unice hæc planta & quidem copioſe adeo creſcit, ventus gignatur uniformis: quod enim in terra aut prope eandem ventus tantopere varier, ex magna iſta arborum herbarumque halitus adeo confundentium varietate deducendum eſſe conjicit. Quod vero ventus iſte Tropicus circa meridiem invaleſcere fere obſer-

vetur

vetur; exiſtimat ex eo fieri, quod ea diei parte Solis radii plantam hanc quam validiſſime inſtigent ad vapores iſtos emittendos. Quod vero ventus iſte præciſe ab oriente in occaſum tendat, cauſam adſignat duplicem; partim ſcilicet generalem maris motum ad eandem plagam vergere ſolitum, adeoque ventum ſimili modo ſecum rapientem, quemadmodum videmus in fluminibus lenes auras ſecundum currentem undam ſpirare; partim vero, quod plantæ ſingulæ hoc reſpectu quadantenus heliotropii naturam habeant, dum Solem verſus ſemet extendant, eorſumque conſequenter vapores ſuos emittant; ut adeo mirum eſſe nequeat, quod ventus ex his enatus Solem etiam perpetuo ſequatur.

D. GEORGII MOEBII, SS. THEOL. PROF. Publ. Primarii in Academ. Lipſ. Tractatus Philologico-Hiſtoricus de Oraculorum Ethnicorum origine, progagatione & duratione &c. cum vindiciis adverſus D. Anton. van Dale, aliisque acceſſionibus.

Lipſiæ apud Juſtinum Brand, 1685. in 4.

CUm Academiæ huic Philureæ poſt expurgatum Pontificiæ Religionis fermentum nunquam defuerint Theologi perpetua laude digni, tum illi maxime memorari & vindicari ab oblivione merentur, qui ſcriptis in lucem editis doctrinam Evangelii repurgatam, quæ Lutherana audit, contra hæreticos invicte propugnarunt; quales hoc ſeculo præter cæteros in hac Alma floruere *Heinricus Höpfnerus, Johannes Hülſemannus, Johannes Benedictus Carpzovius, Hieronymus Kromayerus*, & cujus mortem ne nnnc quidem perdoluimus, feliciſſimus præceptoris ſui *Hülſemanni* æmulus, *Joh. Adamus Scherzerus*. Sed nec ſua laude defraudandus eſt, qui primi Theologiæ Profeſſoris partes in eadem Philurea jam tuetur, maxime reverendus *D. Georgius Mœbius*. Poſtquam enim ex Gymnaſio Martisburgenſi, cujus faſces per annos bene multos geſſerat, in hanc Academiam ad obeundum Theologicæ Profeſſionis munus fuit evocatus, tum libros Biblicos explanando, tum contra hæreticos diſputando ſuarum partium probe ſat-

be ſategit, nec ullum propemodum ex eo tempore dilabi paſſus eſt annum, quin unum itemque alterum Theologicum fœtum in lucem evulgaret. Edidit autem, ut potiſſima tantum ejus ſcripta, quæ in mentem nunc veniunt, referamus, *Vindicias Hutterianas pro Compendio Theologico D. Leonbardi Hutteri, Marco Friderico Wendelino oppoſitas: Aſylologiam ſacram: Exercitationes de æneo ſerpente ex Num. XXI.* (quæ primum A. 1674 editæ, ſecunda vice jam ſub prelo ſudant) quibus addendum & *D. Johannis Aſſelmanni Syntagma Exercitationum Academicarum*, in duas partes ab eodem diſtributum, reviſum item, a mendis repurgatum, novisque indicibus auctum, & publici juris eodem anno factum. Edidit porro *Moſcbolatriam populi Iſraelitici ex Exod. XXXII: Hiſtoriam Bileami ex Num. XXII, XXIII & XXIV: Theologiam Canonicam: Diſputationesque Theologicas* alias non paucas, interque illas *Conſilia Pacifica Marcelliana*, ſive diſcusſionem mediorum & conſiliorum pro reconciliatione univerſali omnium diſſentientium, qui Chriſtiano nomine gaudent, & *Diſputationem ſolennem de Gratia Irreſiſtibili*, ejusque *Apologeticam* contra *D. Johannem Heinium*, irreſiſtibilem gratiam propugnantem. Primo alias loco nominandus erat *Tractatus* ejusdem *Philologico-Theologicus de Oraculorum Ethnicorum origine, propagatione & duratione*, utpote jam anno 1656 editus, & A. 1660 una cum duabus diſſertationibus recuſus, quarum altera agit de ſacrificiorum origine & materia, & ſpeciatim de ἀνθρωποθυσία ſeu immolatione hominum; altera id quæſtionis ventilat: An Evangelium ab Apoſtolis etiam Americanis fuerit annunciatum? Sed quoniam ille hoc ipſo anno cum vindiciis adverſus *Antonium van Dale*, & nova quadam oratione prodiit, non abs re poſtremo a nobis loco jam ponitur. Quem ipſum tractatum cum in VI capita Autor diſtribuerit, in I, ubi autorem Oraculorum Ethnicorum facit Diabolum, *Antonium van Dale*, cujus librum de Oraculis in Actis ſuperioris anni p. 207 recenſuimus, confutat inſimul, adverſantem quippe ſibi in libro iſto, & oracula ethnica ex meris artificiis ac fraudibus hominum, honorem, autoritatem & lucrum captantium conſtitiſſe contendentem; in II præcipuas oraculorum Ethnicorum ſedes & domicilia excutit, & oſtenſa in cap. III & IV tum convenientia, tum diſconvenientia Ethnicorum Oraculorum cum Divinis, in V id diſpicit, unde oracula ethnica multa-

rum futurarum, aliarumque obſcurarum rerum notitiam hauſerint; & in VI, quousque Oracula Ethnica durarint, & quo tempore deſierint. Subnectit poſtmodum præter duas præmemoratas Diſſertationes *Conſultationem*, qua *Johannis Matthiæ*, Epiſcopi Stregnenſis in Suecia rationes, quas *Carolo Guſtavo*, Potentiſſimo Sueciæ Regi pro ſyncretismo ineundo propoſuerat, expenduntur, una cum rerum ac verborum indiculo.

REGALE SACERDOTIUM ROMANO PONtifici aſſertum, & quatuor Propoſitionibus explicatum, Auctore EUGENIO LOMBARDO *S. Theol. & J. U. D.*

Typis & expenſis Cyriandri Donati 1684 in 4.

IN parænesi ad Lectorem Auctor, ut videtur perſonatus (nam nec locus editionis expreſſus eſt) perſuaſum eundem eſſe cupit, ſe nullo aut partium ſtudio, aut odio, nullis præmiis obſtrictum, ſtadium hoc decurriſſe. Roma ſe & Pariſiis abeſſe, ut parum ſua intereſſe debeat, utri magis, Luparæ an Vaticano placeat; in ſolam quippe veritatem intentum, & ab hac una gratiam relaturum, Cœlo teſte, pugnare. Enimvero ſi *quatuor propoſitiones in Conventu Pariſienſi a. 1682. editæ*, Regiisque edictis armatæ, intra Galliam ſtetiſſent, nec eo devolaſſent, ubi hoſtibus potentibus Romana Eccleſia cingitur, ſatius fuiſſe ſilere, Galloque eam curam relinquere, ut ſedem, quam calamo infeſtabat, imperio & potentia adverſus hæreticos in regno ſuo paucos debilesque tueretur. Aſt ubi doctrina Pariſiis deprompta totum orbem pervaſit, nec hæretici (quos Lombardus putat) circumſcripta Pontificis auctoritate molliti ſint, nec in partes Romanæ Eccleſiæ tracti, (quod tamen Propoſitionibus illis prætexatur) ſed potius Papiſtas Pontificiam majeſtatem tentantes riſerint, triumphum de Gallis ipſis & Eccleſiaſtico præſertim ordine in ſuam velut ſententiā perducto egerint, evaſerintq; alieniores a Religione Romana, ſtupidi plane gelatiq; animi eſſe, ſilentium tenere, optimamq; cauſam deſerere, quæ Scripturis, Canonibus, Patribus, Conciliis, ſacris Doctoribus, antiquitate, uſuq; perpetuo ac ratione nitatur. Nec illam doctrinam Eccleſiæ Gallicanæ eſſe, quam Conventus Pariſienſis nuperis propoſitionibus expoſuit, cum Concilio Lugdunenſi, Viennenſi, Patribus Conſtantienſibus

ſibus, Doctoribus Gallis, Cardinali Perronio, toti Clero Gallicano, denique Galliæ Regibus aperte repugnet. Quare *Ludovicum Maimburgium*, qui inter præclaros ſcriptores aliquando cenſeri potuerit, ſi amœnitatem floremque Gallici ſermonis, pari in ſedem Romanam reverentia æquaſſet, nimiamque Aulam demerendi cupidinem prudentia viciſſet, præter profeſſionem ſuumque inſtitutum in arcana Imperii calamum merſiſſe, ſeque regnantium litibus miſcuiſſe, ac veluti ſtipendio conductum Pontificiam auctoritatem ex compoſito carpſiſſe. Æquius fuiſſe, Eccleſia tot hæreticis obſeſſa bello abſtinere, eoque calamum ac ingenium vertere, ubi plus gloriæ, plus præmii, minusque periculi oſtendebatur.

Nos pari candore, quo Maimburgii Tractatum pro decretis Cleri Gallicani regiisque edictis ſcriptum, menſe Majo hujus anni pag. 216. retulimus, hunc adverſum illa editum excerpemus. Narrabimus cauſam controverſam, non judicabimus.

In præludiis in Tractatum ipſum factis, contentionis inter Pontificem & Regem Galliæ de Jure Regaliæ ſive cuſtodiæ fructuum vacantium Eccleſiaſticorum univerſorum in Gallia, ortus & progreſſus enarratur, ex quá in multos Galliæ Prælatos a Regis parte ſtantes Romani Pontificis indignatio, & in Gallis par indignationis offenſa extiterit, qui ipſi deinde injuriæ, quam putabant, arcendæ cauſa Pariſiis congregati propoſitiones illas contexuerint. Ad quorum illuſtrationem & confirmationem ſubjungit *Brevia* ut vocant *Apoſtolica* tria ad Regem, *literas Pontificis* ad Conventum Pariſienſem & ad moniales Sciarenſes, *literas Cleri Gallicani* ad Regem ſuum ex Gallico Latine verſas. Et cum quidam Pontificia ad Regem diplomata mollius ſcribi oportere cenſuerint, recitat *fragmenta epiſtolarum, a Pontificibus ſubinde ad ſummos orbis Principes miſſarum*, ex quibus colligit, Pontificum animum & morem ſemper eundem fuiſſe.

Verum cum Regaliæ argumentum non modo hac noſtra tempeſtate, ſed jam olim per graviſſimas contentiones agitatum fuerit, & Eccleſiam diu multumque afflixerit, ut merito dubitare poſſis, plusne illi dirimendo calamis certatum an armis fuerit; operæ pretium ſe facturum credidit Lombardus, ſi rem totam a ſuis principiis evolveret, maxime cum vix aliud in hiſtoria Eccleſiaſtica obſcurius occur-

Digitized by Google

rat magiſque implexum, dum tot Canones decretaque Conciliorum, aliter ſemper aliterque ſtatuant.

Ut ergo claritatem huic nocti affundat, *Jus Regaliæ* ex quatuor juribus conflatum eſſe ait; ex jure videlicet eligendi, jure inveſtiendi, jure conferendi beneficia ſede Epiſcopali vacante, ac tandem jure proventus fructusque, dum nova electio exſpectatur, percipiendi: hoc ultimum temporalem Regaliam vocari, cætera ad Regaliam ſpiritualem pertinere.

De omnibus ſigillatim agit. *Eligendi ad cathedras Epiſcopales rationem variam* & multiplicem obſervatam fuiſſe dicit, obſervariq; poſſe putat, cum ille *ritus* nullo divino aut naturali jure ſancitus, ſed *ex voluntate hominum pendens*, ſicut alia humana jura mutari potuerit, novis hominum moribus leges novas expoſcentibus. Initio naſcentis Eccleſiæ, & multo poſt tempore, *non Epiſcopos tantum ſed etiam populum* ad electionem Paſtoris conveniſſe; attamen populum proprie non elegiſſe, ſed aut optaſſe tantum petiviſſeque, aut teſtimonium de vita & moribus eligendi tuliſſe, exemplo non præcepto Apoſtolorum, aut tantum conſultum fuiſſe, aut facta electione populi conſenſum expetitum eſſe, non quia neceſſarius, ſed ne invitis Paſtor obtruderetur. Deinde paulatim etiam *populum* ab electionibus *remotum* fuiſſe, donec partim conſuetudine, partim latis Canonibus penitus *excluderetur*. *Principum* ſola voluntate primis Eccleſiæ floreſcentis annis Epiſcopos fieri, graviſſime fuiſſe vetitum; *aſſenſum vero eorundem expetitum*. Imo cum magna neceſſitas, aut metus civilium diſcordiarum premeret, Epiſcopos jus eligendi Imperatoribus demandaſſe, & iſtorum præcepto totam electionem ſletiſſe. In eodem neceſſitatis publicique periculi caſu etiam *Romanos Pontifices a multis Imperatoribus electos conſtare*, maxime cum ſchiſma votis certantibus Eccleſiæ immineret: neque tunc proprio jure Imperatores, ſed delegato uſos, & nomine ac voto Cleri populique. *Principes autem intra limites non ſletiſſe*, ſed ultra provectos neceſſitate in morem converſa, poteſtatem inſtituendi & deponendi Pontificem Romanum uſurpaſſe: ex quo magnæ & exitiales Eccleſiæ & Reipubl. turbæ, reſiſtentibus ſubinde Pontifice & Clero, exortæ ſint. *Omnium obſtinatiſſime* pro Eccleſiarum libertate contra Imperatores *pugnaſſe Gregorium VII*, ſuoque rigore & ardore, qui nimius videri poterat, effeciſſe

effeciſſe, ut tandem anno 1122 ſub Calliſto II Henricus Imperator cederet, libertas electionum Epiſcopalium, & præſertim Pontificiæ concederetur, inveſtituræ quoad ſpiritualia abolerentur, & pax tandem reduceretur. Ab hoc tempore pacem inter Sacerdotium Regnumq; ſancitam fuiſſe, jactaque illius altiſſimæ quietis fundamenta, qua Romani Pontifices modo fruantur. Electiones Epiſcoporum extra Germaniam, præſertim ſummorum Pontificum, ab omni Principum aſſenſu exemtas; in Germania Clero quidem permiſſas, ſed tamen præſente Imperatore ejusve legatis, eaque conditione, ut a Clero electi ab Imperatore per ſceptrum regalia & feuda acciperent. Anno 1274 Concilium Lugdunenſe II a Gregorio X celebratum, totum jus Pontificem Romanum eligendi in ſolos Cardinales, non ſolum excluſis Principibus, ſed etiam populo, cujus a longiſſimo tempore votum & optio electionem præceſſerit, contuliſſe.

Ex illo autem tanto, quod ſibi in Romanorum Pontificum electionem ſumſerint Principes ſeculares jure, facile conjici ſcribit, multo plus illos ſibi arrogaſſe in Epiſcopos. Ergo vix aliquas in Germania, Gallia, Hiſpania electiones Antiſtitum reperiri, quæ non ex Principum aut conſenſu, aut voto, aut imperio fierent, quamvis id graviter Canones prohiberent; cum Principum voluntas pro imperio eſſet, imperium pro neceſſitate, ſicque electionum libertas peſſum iret. Huic malo ut Concilium Pariſienſe III mederetur, anno 507 prohibuiſſe electiones regio imperio violari, & a Rege electos omnino ſacerdotiis amoviſſe: anno tamen 549 Concilium Aurelianenſe V, licet electiones Epiſcoporum ſolis Clericis & populo conceſſerit, vetueritque ne Principes ad conſenſum faciendum cives aut Clericos inclinent, approbationem tamen electionis regiæ voluntati permiſiſſe. Idem in Concilio V Pariſienſi anno 615 & edicto Regis Clotarii confirmatum, ſicque conſuetudinem in jus & legem verſam. Idem quoque Jus Regibus Hiſpaniæ in Concilio Toletano XII collatum aut confirmatum eſſe. *Septimo ſeculo labente Martellum rerum in Francia potitum, una cum aliis Juribus eccleſiaſticis etiam electiones ſibi adſcripſiſſe*; eamque rem & Marcello fatalem fuiſſe, & Eccleſiæ, tanta rerum omnium inducta confuſione, ut Epiſcopatus laici potentiores ad ſe raperent. Cui malo ut mederetur Zacharias Papa, *Pipino Francorum Regi privilegium illum dediſſe ad omnes regni va-*

eantes Eccleſias Epiſcopos nominandi. Huic privilegio renunciaſſe anno 816 Ludovicum Pium Pipini nepotem, permiſiſſeque Epiſcopos ex Cleri populique conſenſu eligi, ſola neceſſitate aſſenſus ſibi ſervata, qui tamen nullam induxerit neceſſitatem eligendi quem Rex optabat; nec omiſſo Principis aſſenſu irritam electionem fuiſſe, ſed tantum ſi litibus & diſcordiis expoſita eſſet, quo caſu etiam ſuas partes Romani Pontifices interpoſuerint. Hunc ſtatum electionum fuiſſe usque in annum 1122, quando, ut jam ante dictum, in Concilio Lateranenſi ſub Calliſto II electiones Epiſcopales in pleniſſimam libertatem aſſertæ, & ab omni regio aſſenſu exemptæ ſint, ſalva tamen Regibus feudorum & regalium inveſtitura, per ſceptrum facienda. Anno tandem 1515 poſt inſignem ad Marignanum victoriam, *Franciſcum I Galliarum Regem cum Leone X* Bononiæ congreſſum, abolita Pragmatica ſanctione, tot diſcordiarum matre, *concordata iniiſſe*, quibus jure eligendi a Capitulis avocato, integra facultas ad Epiſcopatus vacantes nominandi Regi conceſſa ſit, jus tamen electiones & nominationes confirmandi Papæ reſervatum. Pragmatica autem ſanctio pactis illis abrogata intelligitur, conſenſu Eccleſiæ Gallicanæ a Carolo VII Galliæ Rege edita anno 1438, quæ decreta Concilii Baſileenſis recipiebantur, quibus libertas electionum reddebatur, & gratiæ exſpectativæ beneficiorumque reſervationes vetabantur. Sæpe ejus everſionem Pontifices Romanos fruſtra conatos fuiſſe. Doluiſſe quidem Clerum Gallicanum, Concordatis illis libertatem eligendi ſibi ademtam, & ideo ad futurum Concilium generale provocaſſe: ſed vix aliquid hac provocatione ipſum ſperare poſſe, Concordatis in Concilio Lateranenſi confirmatis, quod pro Generali Reges Galliæ habuerint, & ad id Eccleſiam Gallicanam ſæpe vocatam, multumque exſpectatam fuiſſe, ſubmotis, quæ obtendebantur, impedimentis. Nec Clerum Gallicanum de ſublatis electionibus conqueri potuiſſe. Licuiſſe enim Leoni Papæ id Franciſco I concedere, quod jamdudum Zacharias Pipino dederat, Clero Galliæ nihil contra moliente. Deinde modicum per concordata Clero ademtum: nam ante ea aſſenſum Regis eligendis Epiſcopis neceſſarium fuiſſe, imo preces regias (quæ pares ſunt imperio) ex præſcripto pragmaticæ ſanctionis electiones præceſſiſſe. Nihil ergo Concordatis præter nomen electionis Clero deceſſiſſe, collatione ipſa dignitatum, precum obtentu, jam in Re-

in Reges tranſlata. *Et in hoc forte ſenſu ſuſtineri utcunque poſſe, quod ſcripſit Maimburg.* Hiſtor. Iconoclaſt. l. 2. f. 259. *pactis inter Leonem & Franciſcum initis, nullum novum jus Galliæ Regibus quæſitum, ſed illud tantum confirmatum, quod privilegio Zachariæ jam obtinebant.* Id verum eſſe, ſi velit preces regias electionibus interponi ſolitas, eundem pene effectum habuiſſe, quem jus nominandi & præſentandi per concordata Regibus permiſſum. Extra hunc ſenſum aſſertionem non conſtare, quia Ludovicus Pius privilegio renunciaverit, & in Concilio generali Lateranenſi ſub Calliſto II libertas eligendi Clero permiſſa fuerit, Regibus aſſenſu tantum & approbatione relicta.

Quibus de electionibus & nominationibus Epiſcoporum dictis, pergit *ad Inveſtituras*, quæ proxime ad electiones ſequuntur. Harum ortum, progreſſum, & poſt certamina cruenta etiam inter Imperatores & Pontifices exitum narrando, *bis* ob cenſuram duplicem *Maimburgium caſtigat*, ſemel, quod Brunonem Epiſcopum Signinum temeritatis accuſarit, inveſtituras hæreſeos poſtulantem; iterum, quod Anſelmum Archiepiſcopum Cantuarienſem imprudentiæ arguerit, diu recuſantem homagium Henrico Regi Angliæ præſtare, ab eoque inveſtituras accipere.

Jam ad ultimum Regaliæ caput, quod in cuſtodia ac uſu fructu bonorum Epiſcopalium ſede vacante conſiſtit, calamum vertit. Primis, *inquit*, Eccleſiæ temporibus Epiſcopos ſolis fidelium oblationibus decimiſque vixiſſe: Conſtantinum lege lata permiſiſſe fidelibus, ut bona, quæ vellent, Eccleſiis relinquerent: hinc Eccleſiarum opes vehementer auctas. Præcipuam Clodovei, Pipini, Carolique M. liberalitatem fuiſſe, integras provincias imo regna Eccleſiis gratitudinis ergo ob accepta ab his ſumma beneficia donantium; & cum circa annum 1050 pœnarum pro peccatis redemtio induceretur, ut quantum pauperibus aut Eccleſiis donaretur, tantum pœnitentibus decederet, a divitibus profuſas fuiſſe donationes. Auctis ergo Eccleſiæ opibus, juxta Canones Oeconomum ex Clericis præfectum, cujus præcipuum officium fuerit, defuncto Epiſcopo proventus Eccleſiæ curare cuſtodireque ſucceſſori tradendos. Et cum Principes ſeculares vacante Eccleſia facultates reditusque ſibi vindicarent, ſevere id eis prohibitum eſſe in Conciliis. Sed nullas leges coercendæ Principum cupiditati pares fuiſſe, adeo ut nomine obtentuque cuſtodiæ,

omnia

Digitized by Google

omnia vacantis Eccleſiæ bona ſibi Principes addicerent, non ſolum quæ titulo regalium feudique Eccleſiæ obvenerant, ſed etiam decimas, ſupellectilem, ipſasque beneficiorum eccleſiaſticorum collationes. Seculo XII ſub Ludovico Juniore, Philippo Auguſto, Ludovico IX Galliæ Regibus invaluiſſe illum morem. Priusquam autem in legitimam conſuetudinem tranſierit, graviſſimis proborum cenſuris vapulaſſe. Tandem in privilegium verumque jus tranſiiſſe, quando Gregorius X in Concilio Lugdunenſi ann. 1174 Principibus concesſit, ut ubi hactenus conſuetudo obtinuerat, vacantium Eccleſiarum fructibus gauderent, excommunicatione percuſſis, qui hoc jus Regaliæ extenderent ad loca, ubi hactenus antiqua conſuetudo non fuerat. Cæterum *Jus Regaliæ in Galliis extendi ad omnes provincias non poſſe*, *probantem allegat Petrum de Marca*, *quod etiam aperte ex Concilio Lugdunenſi deduci poſſe videtur Lombardo*.

Hæc in primo Præludiorum paragrapho habentur. In altero rationibus & exemplis (inter quæ immerito reformationem a B. Luthero, zelo divino ſuſceptam retulit) evincere ſtudet, animum pasſionibus agitatum in errores prolabi Eccleſiæ fatales, cum quidem in finem, ut ſuſpectas reddat propoſitiones Pariſienſes, a calentibus adhuc animis, & ut credebant, injuſte laceſſitis conceptas & productas.

Paragrapho III diſquirit, quam in hoc Regaliæ negotio Patres Jeſuitæ perſonam egerint, ac non diffitetur quosdam paucos, alienos a pietate ſuum inſtitutum decente, & acceptorum a Romana Eccleſia beneficiorum immemores, Pontificis adverſarios ſe conſtituiſſe, at *ipſius Societatis fidem Pontifici ita obligatam manere, ex voto & lege gratitudinis immortali, ut nunquam cauſam ipſius ſit deſertura.*

Paragrapho IV exhibetur Edictum Regium Latine ex Gallico redditum, cum Propoſitionibus Conventus Pariſienſis.

Paragrapho V titulum Declarationi præfixum, juvandi videlicet hæreticorum converſionem, quos facilius ſperare liceat ad unionem reverſuros, circumſcripta Pontificis, quam maxime averſantur, autoritate, perſtringit, contendens, minuta ea non propterea hæreticum facilius converti, imo ex conniventia inſoleſcere; ipſos vero Papiſtas oppugnato capite turbari.

Paragrapho VI & ultimo inter præludia perſuadere ſuſcipit, Calvi-

Calviniſtis,& Lutheranis non favere *propoſitiones Pariſienſes*, quibus cauſam ſuam meliorem faciant,Papiſtarum pejorem reddant, cum nec de ſumma rerum & fidei ſint,nec rebus ac dogmatibus jam deciſis certisque quicquam obſint,nec denique unitati veræ fidei obſtent: nihilominus merito refelli debere curarique,*morbum enim afferre, etſi non mortem*.

Tractatum ipſum pro numero Propoſitionum,Pariſienſibus totidem oppoſitarum,in quatuor libros diſpeſcuit.

Liber I Propoſitionem I tuetur, Pontifici Romano in Principes ſeculares,eorumque provincias & regna,competere jus aliquod & poteſtatem, non ordinariam & directam, ſed indirectam, per quam cum urget neceſſitas tuendæ religionis, illos coercere, & niſi acquieſcant monenti, etiam exarmare, ne noceant, regnisque privare posſit. Hanc Pontificis poteſtatem eſſe ſacris literis Patrumque doctrinis expreſſam,a ſacris Canonibus,univerſalibus Conciliis, præſertim Conſtantienſi & Lateranenſi IV aſſertam,uſu ſeculorum & exemplis ſubnixam,omnium fere Doctorum calculis traditam, cum recta ratione neceſſario connexam,& demonſtrare & adverſus argumenta adverſariorum defendere ſuſcepit. In textibus Canonicis decem exponendis urgendisque occupatus,pasſim Maimburgium refutare conatur, inficiatum a Leone Papa in Carolum M. Imperium Occidentis translatum eſſe,itidem negantem,datum eſſe a Pontifice jus eligendi Imperatorem Principibus & Electoribus Germanis.

Liber II Propoſitionem alteram tractat: Pontificis Romani poteſtatem omni Concilio ſuperiorem eſſe. Præmiſſis autem nonnullis de Concilii Generalis definitione,conditionibus,origine, neceſſitate, commodis & incommodis,de quæſtionis ultimis ſeculis (ut perhibet) Pontifici motæ initio occaſioneque,prærogativam & ſuperioritatem Pontificis ſupra Concilia aſſerit ex ſacris paginis,Conciliorum Pontifici ſe ſubmittentium teſtimoniis,Patrum aliorumque ſuffragiis,tandemque rationibus conquiſitis. Subjicit autem caſus ſeptem, quibus Papæ Concilium prævaleat,in quorum nullo tamen Papa manens Papa judicetur. Sollicitus quoque eſt gravisſimas rationes ſuæ aſſertioni oppoſitas, ex ſacris literis, auctoritatibus Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis,textibus Canonicis,exemplis Pontificum a Conciliis judicatorum,declinare & removere.

Liber III Propoſitionem tertiam habet: Pontificis ſummi, res fidei extra Concilium definientis e cathedra, infallibilem eſſe auctoritatem. Hic poſtquam præmiſiſſet, *e cathedra definire Pontificem, cum non temere procedit, ſed ſufficienti examine rei habito, quod quantum eſſe oporteat, prudentiæ & diſcretioni ejus committatur*, rurſum provocat ad Scripturas, Concilia, Patres, praxin Eccleſiarum, adverſariorumque argumenta aggreditur convellere.

Liber IV Propoſitionem IV præſcriptam gerit: Pontificis auctoritatem limitibus quibusdam eſſe circumſcriptam. Neque enim illum poſſe in legibus divinis & naturalibus diſpenſare, neque juri quæſito, pactis & privilegiis, quæ in pactum tranſierunt, derogare, poſſe tamen in jure naturali permiſſivo, votis, juramentis DEO factis, & Canonibus Apoſtolorum ex cauſa diſpenſare: Obſtringi etiam ſuis ſuorumque Prædeceſſorum legibus, quoad vim directivam, habere autem facultatem in omni lege Canonica legitimis honeſtisque de cauſis diſpenſandi.

JOH. CONRADI PEYERI, MED. D. MERYCOLOGIA,

ſeu

De Ruminantibus & Ruminatione Commentarius.

Baſileæ, apud Joh. Ludov. König & Joh. Brandmyllerum, 1685 in 4.

TRIBUS libris abſolvitur univerſum opus, quorum ſummam ordine recenſeri, operæ fuerit pretium.

Libro I de ruminantium ſpeciebus & differentiis agitur, exhibitoque totius operis argumento, & ruminantium in certas claſſes diſtributione facta, enumerantur primum *Inſecta* ruminantia, uti ſunt gryllus, bombyx, eruca, lumbricus, limax, vermis cucurbitarius ſeu gryllotalpa; moneturque ſimile quid ruminationi in muſca, ſcarabæo, apibus, crabronibus & veſpis quoque obſervari, ad veram tamen ruminationem non referendum. Dein *Aquatilia* ruminantia.

tia recenſentur, ſcarus, ſalmo, aurata, mugil, echinus, turio & phocæna. Gammari, quoniam ventriculo gaudent dentato, oreque bidente, præmorſa alimenta ibidem iterum maſticare ſolent, ruminare quodammodo videri dicuntur, inter vere ruminantia nihilominus non numerandi. Sequuntur *Volatilia*, velut ardea, ciconia, pelecanus, columba. *Quadrupedum* vero plura occurrunt genera, bubulum, cervarium, ovillum atque caprinum, tandemque anceps & mixtum. Potiora ſunt, boves domeſtici pariter ac feri, vaccæ, cervi, alce, tarandus, platycerotes, caprea & capreolus, oves, aries, hircus, capra, ibex, rupicapra, taurelephantus, butragus, hippelaphus, onelaphus, tragelaphus, item camelus, lepus, cuniculi, mures Pontici & Alpini, cuniculi Braſilienſes, &c. Denique *Hominum* ruminantium exempla decem, partim ex *Fabr. ab Aquapendente, Sennerto, Salmutho, Job. Fabro Lynceo, Velſchio, Ludovico, Wildio*, partim ex propria obſervatione narrantur.


Libro II de organis ruminationi inſervientibus diſſeritur. Sunt vero juxta Auctorem partium ruminationi inſervientium aliæ *principales*, os, gula & ventriculus: aliæ *miniſtra* ſeu ſociæ operis, diaphragma cum pectoris abdominisque muſculis, & copiæ auxiliares ſpirituum animalium. Ventriculus nonnullis ruminantibus ſaltem unicus eſt, leporibus, cuniculis, muribus Alpinis, ſcaro & hominibus ruminantibus: cæteris multiplex, duplex in capra Libyca, addace atque capreolis, quadrigeminus inprimis notatur in quadrupedibus biſulcis. Nomina hinc ventriculo quadrigemino ab Ariſtotele impoſita hæc ſunt: primus dicitur κοιλία, ſecundus κεκρύφαλος, tertius ἐχῖνος, quartus ἤνυστρον. Ex verſione Theodori Gazæ venter, araneum ſeu reticulum, omaſum & abomaſum. In quibus vero duplex tantum eſt ventriculus, in iis obſervatur venter ſeu rumen cum abomaſo; reticuli & omaſi veſtigia quidem apparent, verum ita confuſa, ut pro ſingularibus reputari nequeant. Porro ubi de coagulo piliſque in ventriculo ruminantium repertis incidenter ſed curioſe actum eſt, de ſingulis ventriculi quadrigemini partibus, de κοιλία ſeu ventriculo primo, ejusque nominibus, magnitudine, figura, ſubſtantia & muniis: de κεκρυφάλῳ ſeu reticulo: de ἐχίνῳ ſeu omaſo: de ἠνύστρῳ ſeu abomaſo tractatur. Leporum inde & cuniculorum deſcribuntur ventriculi, piſciumque, ovium atque inſectorum, quæ ruminationi

tioni analogum quid agunt. Hinc de gula & œſophago (quem proprie dici ſtomachum aſſerit,) ſermonem faciens Autor, inprimis fibras ejusdem omnino obliquas demonſtrat, ita ut motu contrario & pabulum ad ventrem impellere, & inter ruminandum in os repellere valeant. Explicat inde os, dentes atque linguam, inque lingua, palato atque malis notat aſperitatem ad detinendum pabulum factam. Dentes in maxilla tantum inferiori ait reperiri inciſores, caninos plane nullos, ſi biſulca intueamur ruminantia. Caninis tamen gaudere camelum; cuniculum & leporem binos in utraque maxilla monſtrare inciſores. Denique de partibus ruminationem adjuvantibus loquitur, ac docet, quomodo inter alias diaphragma faciat ad removendos quaſi pabuli bolos. Hisque ſic explicatis, icones ruminantium ventriculos illuſtrantes exhibet.

Tab. IX. Et icon quidem I repræſentat univerſos ruminantium biſulcorum ventriculos, exemplo hircinorum, quam hic etiam exhibere nobis viſum eſt. Notandum vero de poſitura, in animalibus ſiniſtro ferme condi hypochondrio, quæ hic a gulæ dextris pinguntur; qua converſione opus fuit, ut ventriculi omnes in conſpectum venirent. Eſt vero AAA *κοιλία μεγάλη*, magnus ſeu primus venter, in quem pabulum præmanſum immittitur & ruminationi præparatur. BB *κεκρύφαλος*, reticulus ſive ſecundus ventriculus, in quo plerumque cibus ruminatus & ſuccoſus invenitur, ſæpeque tam ſpumeus, ut manifeſta fermenti operantis ſigna pateant. C *ἐχῖνος*, omaſum, ventriculus tertius, ad compresſionem magis cibi, quam ruminationem faciens. DD *ἤνυστρον*, abomaſum, quartus & ultimus ventriculus, a quo inteſtina producuntur ruminantibus longisſima. E pylorus, qua tranſitus eſt eliquatis cibis e ventriculorum novisſimo ad inteſtina. F inteſtini tenuis portiuncula, quæ cum pyloro & abomaſo communicans alimentum probe reſolutum prima excipit & transmittit. GG gulæ & oeſophagi portio, alvum petens in magni ventris & reticuli confinibus. H. conſpicuus venæ ramus, magnum ventrem perreptans, & ſurculos etiam viciniæ porrigens. I arteriæ cœliacæ propago, ventrem ut vena pervadens, ramulis etiam vicinitati traditis. Nervos atque lymphæ ductus pictos non eſſe, intuenti patet, quorum ſpecimen in *Th. Willis* neurologia & parte I de operat. medic. cernitur.

Icon

TAB. IX. *ad a.1685. pag. 386.*



Digitized by Google

Digitized by Google

Icon II, ut ad reliquas progrediamur, quas huc transferri omnes inſtituti noſtri ratio non patitur, exprimit magnum ventrem ſeorſim, qua faciem externam, ſublata tamen extima membrana cum vaſis atque pinguedine. III eundem exhibet ventrem, qua fibras interiores, detracto involucro externo ablatisque fibris exterioribus. IV internam faciem ejusdem ventris refert ex parte, potisſimum ut illius imbricati apices conſpiciantur. V adumbrat reticuli fibras muſculoſas interiores. VI ſpectandam proponit internam reticuli ſuperficiem cancellatam. VII ſchematiſmus eſt omaſi bubuli, ab externis fibris denudati, ut interna in conſpectum veniant. VIII, IX & X omaſi folia membranacea majoris, minoris, ac mediæ magnitudinis delineant. XI effigiem ſiſtit ventriculi e cuniculo atque lepore, in quo curioſum eſt, œſophagum medium ejus petere, & valvulam quandam membranaceam in duos quaſi ventres eundem diſcriminare. XII denique œſophagum bubulum ſpectandum offert.

Librum III ab etymologia ruminationis & differentibus ejus ſpeciebus auſpicatus Auctor, characteres ruminantium potiores dicit cornua, maxillam ſuperiorem edentatam ſub labro, paſtum graminis & fœni expeditum, oris ac linguæ aſperitudinem, ventriculorum pluralitatem, inque his nonnunquam motu complicatas & coactas pilas, coagulum item, lac ſpiſſum & pingue, denique uterum fœmellarum cotyledonibus præditum. Ex his autem non omnia ait omnibus competere, ſed alia magis huic, quam alteri ſpeciei; leporibus & cuniculis paucisſima tribuit. Porro ruminationem aliam genuinam vocat, aliam ſimulatam; hæc ita dicitur, quando deſunt eſſentialia quædam requiſita, quale quid obſervamus in cancris & aſtacis. Hi enim eſcam quidem remandunt, ex analogia tamen ruminare ſolum dicuntur, quoniam cibum in os non refundunt, ſed ventriculi dentibus conficiunt. Pariter aves & gryllotalpæ, quamvis paſtum bis deglutiunt, non ruminant tamen legitime, quoniam ſecunda vice non ex ore ſed ingluvie cibum deglutiunt. De ruminationis deinde natura & cauſis ubi agit, cum ruminationis eſſentiam in motu conſiſtere ſtatuat, hinc ad motus diverſitatem explicandam, triplicem eum conſtituit in animalibus, voluntarium, naturalem & ſpaſmicum ſeu convulſivum. Brutis voluntarium omnino denegat, ſolique homini adſcribit. Naturalis autem quatuor recenſet ſpecies. Primus

facit ad nutritionem animalis, ſecundus ad corpus de loco in locum transferendum, tertius ad defenſionem corporis, quartus ad ſpeciem propagandam. Cumque motus ille ad nutritionem tendens vel ſit majoris neceſſitatis adeoque continuus, vel minoris ac intermittens, hinc appoſite ad intermittentem motum naturalem referri ruminationem putat. Cauſas ruminationis, quarum communiter tres enumerant, pabuli aſperitudinem, dentium inopiam & multitudinem ventriculorum, reſpuit, creditque cauſam impellentem tantum eſſe pabuli ruditatem ſeu aſperitatem, duritiem, craſſitudinem & cruditatem. Hac de cauſa, inquit, cum bruta fœno, ſtramine, ſtipulisque veſcuntur hyeme, magis ruminant quam æſtate, & quandocunque tenera aut mollis ac delicata eſt paſtio, tunc vel nulla vel brevisſima obſervatur ruminatio. Voracitati autem ac amplitudini ventris adſcribendum cenſet, quod rude pabulum aſſumant animantes; idipſum vero cum mole ſua diſtendat ventrem, incitare ruminationem videri. Progreditur inde Auctor ad ruminationem hum. nam; præmiſſaque hiſtoria cum voluptate legenda ruminantis textoris, ſubjungit ruminationem homini non eſſe naturalem, ſed a machinæ corporeæ depravatione ortam. Cauſas hujus rei tres addit, nempe errorem matris, morbos, & conſuetudinem. Gravida enim cum attentius aſpicit animalia ruminantia, vi imaginationis diſpoſitionem ruminationis tenellulo embryoni imprimere poteſt. In adultis ſtigmata, ulcera aut bilis ſimilesque humores acres, ad cibi non immutati redditionem ventriculum cogunt. Prava quoque conſuetudo in naturam interdum abit, ut pro lubitu alimenta in os revocari queant. Conſilium vero ſuppeditat Auctor ad tollendam ruminationem homini moleſtam, ſuadetque aſſumendum eſſe paucum & facillimæ digeſtionis, inediam nocivam pronunciat, at maſticationem diligentem ſumme proficuam. Alimenta ſeligit minus acria, ſed temperata & mollia. Deambulationem quoque a paſtu jubet, amicamque converſationem. Inter medicamenta omnia amara, acida, auſtera, acerba ac ingrata rejicit, nec niſi grata & ventriculo accepta præſcribenda eſſe contendit. De ruminantium inde paſtu acturus, facta diſtinctione pabuli in recens ſuccoſumque, & aridum atque exſuccum, recenſitisque *plurimis* in nutritionem ruminantium cedentibus, quæſtionem format, quomodo animantia, utpote ſenſibus deſtituta, ſalubria ab inſalubribus &

vene-

venenoſis diſcernere queant. Reſpondet autem, eam eſſe narium ſubtilitatem & conformationem organicam, ut effluvia plantarum commode excipere valeant, talem motum cerebro nervisque imprimentia, unde conſtet vel congruum eſſe vel incongruum, i. e. edendum vel minus edendo aptum. Poſtmodum de varietate in paſcendo loquitur docetque, quomodo animalia quædam labris atque dentibus primoribus paſtum avellant, alia fodiendo, alia lambendo eundem corripiant; item quodnam diſcrimen ſit maſticationis in ruminatione, dum nonnunquam magna ſit, concitata ac frequens, interdum vero exilis, tarda brevisque. Tandem explicat aeris in plantarum poris atque meatibus contenti efficaciam in ruminatione, utpote qui calore ventris rarefactus pabulum ſimul attollat, præſertim ſi paſtus maceratione turgeat, venterque ſatis repletus ſit. Subjungit porro utilitatem ruminantium & ruminationis. Ac initio aſſerit, ruminationem facere ad meliorem ciborum digeſtionem, ideoque pro ſanioribus habenda eſſe ruminantia, quippe quæ etiam olim ab Iſraelitis, Deo ſic ſtatuente, pro mundis habita fuerint, non modo ad uſum quotidianum, ſed & ipſa ſacrificia. Rationem autem ſalubritatis triplicem monſtrat, videlicet 1 quod ſimplici utantur victu: 2 quod ruminatio paſtum extenuet recludatque, ut aditus fermento ventriculi ad intima pateat facilior: 3 quod propter ventriculorum pluralitatem inteſtinorumque longitudinem, aſſumta penitius digerantur, atq; in alimentum excoquantur perfectiſſimum.

De impedimentis deinde ruminationis acturus, ea partim ad morbos refert, partim ad pabuli malignitatem aut nimiam quantitatem. Subnectit his curam modumque, juxta quem tolli ejusmodi impedimenta, ſervarique ruminatio queat. Ultimo loco medicinæ atque philoſophiæ præſtantiam, felicemque conjunctionem ſatis prolixe commendat.

Subjuncta operi Appendix, præter Sciagraphiam Autoris de Ruminantibus ad Naturæ Curioſos, continet ſub titulo Symbolæ 1 Epiſtolam D. *Heidggeri*, quæ circa obſervandum ciborum diſcrimen præceptum divinum examinat, ac docet ejus rationem non ſimpliciter fuiſſe myſticam. Symb. 2. Epiſtolam *Wepferi*, quædam circa digeſtionem & ruminationem brutorum tradentem, quæ & alia ejusdem Autoris exempla ruminationis humanæ memorat, & quæ circa cer-

vum

vum bovemque obſervata ſint. Symb. 3. Epiſtolam *Wagneri*, quæ varia continet circa ruminationem notatu digna, in lepore, cuniculo, locuſta, gryllotalpa, ſalmone, ſcaro, camelo, &c. Symb. 4. *Harderi* meditationes de chylificatione & ruminatione, inprimis contra Gliſſonium. Symb. 5. *Joh. de Muralto* ſententiam de ruminantibus, cur a Judæis habita pro mundis fuerint, & quamobrem ea tantum veſcantur vegetabilibus. Symb. 6. confert *Petrus de Apples*, anagrammate carmineque Græco in honorem Autoris facto concludens.

PETRI PETITI DE AMAZONIBUS Diſſertatio: qua an vere extiterint nec ne, variis ultro citroque conjecturis & argumentis diſputatur; multa etiam ad eam gentem pertinentia ex antiquis monumentis eruuntur atque illuſtrantur.

Pariſiis, apud Andream Cramoiſy, 1685 in 12.

QUæ de Amazonum rebus in litteras relata & memoriæ prodita ſunt a priſcis auctoribus, communi etiam aſſenſu recepta; mendacii ſuſpecta nonnullis fuerunt viſa & pro fabuloſis habita. Strabo ſane lib. XI. multa τερατώδη καὶ πίστεως πόρρω, hoc eſt, portentoſa & fide indigna in earum hiſtoria notat; & Philoſophorum plerique tale regnum aut ejusmodi rempublicam mulierum ſeorſum absque viris degentium, qualis deſcribitur, extitiſſe multis rationibus in medium allatis negant, nullam civitatem ex ſolis conſtare feminis poſſe arbitrati. Neque enim conſilii capax eſſe muliebre genus, aut magnas deliberationes ab eo poſſe inſtitui: pectus præterea iis deeſſe animique magnitudinem ad bella ſuſcipienda aut repellenda neceſſariam. Præterea oſtendi non poſſe quo pervenerit hoc hominum genus, aut quibus in locis nunc degat, vel ubi terrarum iſti ſimilis extet civitas. Diſcrepare autem, & ab ordine quem natura in cunctis operibus ſuis oſtendit alienum videri, mulieres poſſe in unam reipublicæ formam ſolas coire, & revera olim coaluiſſe, idem autem nunquam poſtea tot ſeculis contigiſſe. Quibus & aliis argumentis Strabo, Palæphatus, & nonnulli alii adducti collegerunt, falſa eſſe illa omnia quæ de Amazoni-

zonibus dicuntur, nullasque ejusmodi unquam fuiſſe in terris feminas.

Quas tamen & exiſtere potuiſſe, & revera extitiſſe, doctiſſimus Auctor *viginti* prioribus eruditæ hujus Diſſertationis capitibus accurate demonſtrat: nequaquam abſurdum eſſe aut naturæ adverſari oſtendens feminarum imperium. Quæ autem a Strabone (cap. 2.) & Philoſophis, ac cumprimis Ariſtotele (cap. 3.) afferuntur, de naturali & uſitato rerum ordine accipienda eſſe docet, quo viri mulieribus præeſſe jubentur; qui tamen adeo fatali neceſſitate quadam definitus, conſtans, perpetuus & immutabilis non ſit, quin æque ut aliæ naturæ partes quæ Lunæ ſubſunt quapiam exceptione vacillet: (cap. 20.) nec poſſe eodem per univerſum orbem terrarum modo ſe habere homines, ſed pertinere ad univerſi ordinem, ut quædam ab eo certis in partibus orbis recedant, cum ne monſtra quidem & peccata extra omnem ordinem eſſe philoſophi oſtendant. (cap. 18) Porro legibus naturæ & rationi quod adverſetur, nihil in Amazonum hiſtoria deprehendi manifeſtum facit, dum cauſas inuſitatæ ac ſingularis earum indolis affert: (cap. 8) quarum *prima* eſt loci ac regionis natura ubi vixerunt, (cap. 9. 10. 11. 12. 3.) *altera* educatio, qua victu aſpero admodum, aſſiduo in montibus venatui atque laboribus ab infantia aſſuefactæ, & corpore robuſtæ, & animo audaces ſupra ſexus conditionem factæ ſunt, (cap. 14) *tertia* ſexus conditio, qui virili par, aliquando ſuperior, (cap. 15) *quarta* aſſiduus labor & exercitatio, (cap. 16) *quinta* cœli frigidi ſub quo degebant natura, quæ feminarum ingenia virorum moribus plane ſimiles reddidit. (cap. 17) Exempla etiam regnorum a feminis conditorum & adminiſtratorum affert, (cap. 7) eorumque objectionibus, qui fidem Amazonum hiſtoriæ derogant, reſpondet cap. 19 & 20.

Aſſertis hac ratione Amazonibus, & earum hiſtoria adverſus eos, qui negant extitiſſe tales quales memorantur, vindicata; multa ad eandem pertinentia haud vulgaria ſubjungit, & ex omni antiquitate ac priſcis rarioribus monumentis ea affert, quæ alibi non reperire licet. Ad hanc rem veteribus nummis potiſſimum uſus, quorum magna apud doctos ſemper fuit auctoritas ad fidem faciendam, longeque major eſt hiſce temporibus, præſertim apud notæ urbanioris homines; quibus in hac rerum antiquarum inveſtigatione nihil ſatis

Digitized by Google

conſtitutum videtur, niſi idem aliquo nummorum aut aliorum ejusmodi monumentorum teſtimonio etiam demonſtretur. Hæc igitur illuſtrium virorum & amicorum ex armariis nactus, adhibita Græcorum potisſimum ſcriptorum ope & omnifaria eruditione, qua præſtat, egregia plane & nemini antea obſervata notat de Amazonum cultu (cap.21) ad quem mos ille pertinet, quo obtinuiſſe apud eas fertur dextræ in virginibus teneris mammæ exuſtio, de quo quid ſtatuendum (cap. 22 & 23) diſquirit; de earum armis (cap. 24.) & cumprimis pelta; (cap. 25, 29.) de earum expeditionibus præcipuis; (cap.27) de inſtrumentis quibus ſignum pugnæ dederint ac Martem accenderint; (ibid.) Sedes dein & urbes ab iis habitatas cultaſve commemorat, (cap. 28 & ſeqq.) monumenta item & templa (cap. 30, 39) ac ſepulcra earum (cap.40) exponit: tum in nomina iſtarum inquirit, quæ a Græcis ſcriptoribus immutata, eque barbaris nitidiora conficta (cap. 41) docet; ac tandem temporis rationem quo inceperit ac deſierit Amazonum potentia ac regnum (cap. 42. 43.) inveſtigat: hoc loco de Thaleſtridis Amazonum reginæ profectione ad Alexandrum M. cum in Hircania verſaretur, generoſæ ſobolis ex eo ſuſcipiendæ cauſa, (pag. 362. ſqq.) fuſe & erudite diſſerens.

HISTOIRE DE L' EMPIRE &c. par le Sieur Heiſſ.

i. e.

Hiſtoria Imperii, (Romano ſcilicet Germanici) in qua agitur de ejus origine, incrementis, revolutionibus, gubernatione, politia, fœderibus, pactis, novisque pacis Weſtphalicæ legibus. Autore Dn. Heiſſio.

Pariſiis apud Cl. Barbin 1684 in 4. & *Hagæ* Comitum, apud Hadr. Moetiens, 1685 in 8.

EN novum rerum Germanicarum ſcriptorem, in Germania, ut refert, natum, ſed qui Gallice ſcripſit, & in Gallorum forte gratiam. Incipit a Carolo M. ejusque hiſtoriam omniumque ſucceſſorum, usque ad annum 1648 prima operis parte libr. I. II. III. concinne & perſpicue contexit: altera ſtatum Germaniæ publicum ſeu politicum repræ-

præſentat. *Libro* nempe IV mutationem ſtatus priſtini a ſchiſmate religionis, ſecutisque poſtea motibus, & pacis Weſtphalicæ placitis deducit, Proteſtantium partibus & hic & alibi parum favens. Cæterum ortus ſui memor, Romanæ cognominationis honorem Germaniæ non detrahit, & de forma Imperii diſputans, Monarchicam aſſerit Ariſtocratice temperatam. Dein electionem & coronationem Imperatoris & Regis Romanorum deſcribit. *Libro* V de tribus Statuum curiis, de comitiorum ordine, & de circulorum, ſummorumque tribunalium conſtitutione tractat, inſeritque *Matriculam*, quæ vocatur, Imperii. *Libro* VI de ſingulis Electorum, Principum & Comitum familiis, ditionibus, inſignibus aliisque memorari ſolitis agit, nec non de Nobilitate & Civitatibus Imperii & Hanſeaticis, denique de Republ. Helvetiorum. Subjunctæ ſunt integræ verſiones Gallicæ, Inſtrumenti pacis Weſtphalicæ A. 1648; Receſſus Norimbergenſis A. 1650; Proteſtationis Pontificiæ A. 1648 paci oppoſitæ: dein Capitulationis Leopoldinæ A. 1658; Transactionis Paſſavienſis A. 1552, ſecutæque poſt triennium conſtitutionis pacis Religioſæ; Concordatorum cum ſede Romana A. 1448, eorundemque Declarationis Gregorii XIII de beneficiis menſe Apoſtolico vacantibus A. 1576; denique Conſtitutionis Caroli IV, quæ Aureæ Bullæ nomen habet, A. 1356.

Etſi vero nec tempori, nec induſtriæ pepercisse videatur Autor, evitare tamen non potuit lapſus, qui aliis tot tantasque res in compendia digerentibus, præſertim circa locorum & hominum nomina, accidere ſolent; multa quoque a typographis peccata ſunt. Unum modo aut alterum ſpecimen ex provinciæ noſtræ deſcriptione dabimus, ea tantum fini, ut diligentia in corrigendis erroribus excitetur, & ne promiſcue pro veris & certis accipiantur, quæ fide aliorum, nec ſatis accurate, novis ejusmodi libris inſeri ſolent. Scribit autem Lib. VI. cap. 10, ubi illi de Sereniſſima familia Saxonica ſermo eſt, optima Potentiſſimi Electoris Saxonici oppida eſſe Pitskam in Bohemia, Budisſinam, Dresdam. Ubi non tantum ordo turbatur, & ex Miſnia ſaltus fit in Bohemiam, ſed & Pitska urbs primo loco celebratur, quam nullibi reperiri certum eſt. Putabamus Pirnam Saxonicæ ditionis non ignobile, verſus Bohemiæ fines, oppidum, autori in mentem veniſſe; ſed hoc ipſum paulo poſt, cum arce ſua diſerte memorat. Miſnam ad fluvium ejusdem nominis collocat, qui parvus & pene ignotus rivulus eſt, ſed Albis celebratiſſimi fluminis obliviſcitur, cujus

ripæ Miſna amœnisſimo ſitu prætenditur. *Auguſto Saxoniæ* Duci glor. memor. Archiepiſcopatum Magdeburgenſem ex hæreditate paterna obveniſſe dicit, quem ut notisſimum eſt, & ab ipſo autore *d. Lib. VI. cap. 11* obſervatum, non niſi ad vitæ tempus, jure quod vocant, *Poſtulationis* tenuit, morteque ſua ad Potentisſimum Electorem Brandeburgicum transmiſit. Præterimus alia non pauca in Saxonicis aliisque rebus, quæ emendationem deſiderant, & a peritis lectoribus haud difficulter obſervari poterunt.

ADAMI ADAMANDI E SOCIET. JESU Kochanski Dobriniaci, Sereniſſ. Poloniarum Regis Mathematici & Bibliothecarii, OBSERVATIONES Cyclometricæ, ad facilitandam Praxin accommodatæ; ex Epiſtola ad Actorum Collectores.

QUi Mathemata ſerio coluerit, nec tamen ad difficillima quæque & adhuc inſoluta Problemata vires ingenii ſui pertentandas cenſuerit, vix quenquam repertum eſſe exiſtimo. Haud equidem diffiteor, me quoque olim eodem morbo laboraſſe, & ut alia prætereani, in Circulo quidem quadrando, vel examinandis aliorum in eo conatibus, operæ non nihil collocaſſe. Non attinet hic enumerare Methodos, quas ea in re ſecutus fueram: unam tantum, quam fortaſſe quispiam felicius excolere poterit, commemorabo. Perſuaſeram mihi conjectura quadam, posſibiles eſſe aliquas Rectarum ſectiones, quarum ſegmenta invicem, & cum aliis rectis Longitudine vel Potentia incommenſurabilia eſſent, Circuli tamen Areæ, vel Peripheriæ partibus Longitudine aut Potentia commenſurarentur; ita ut inventa ſectione iſtiusmodi, liceret ex ea Tetragonismum expedire Geometrice, vel ſaltem rationem Diametri ad Ambitum, in numeris ad lubitum maximis ſupputare.

Ad eam porro cogitationem videbar mihi non temere, ſed illius Quadratricis, a Dinoſtrato inventæ, ductu deveniſſe. At cum ab iſtis laboribus ad alia diſparata ſtudia animus avocaretur, illum tandem adjeci, & quidem magnorum Virorum exemplis incitatus, ad inveſtiganda compendia quædam Cyclometrica, Praxibus mechanicis utilia, idque tam in Numeris, quam Lineis; quorum nonnulla hoc loco adferre lubet. DIA-

DIAMETRI AD PERIPHERIAM CIRCULI

Rationes Arithmeticæ

	Defectivæ		*Exceſſivæ.*
A	1. ad 3. +	Aa	1. ad 4. —
B	8. ad 25. +	Bb	7. ad 22. —
Z	1.... 15....3	Zz	1.... 16.... 3.
C	106. ad 333. +	Cc	113. ad 355. —
Y	1.... 4697....3.	Yy	1.... 4698 ... 3.
D	530762. ad 1667438 +	Dd	530875. ad 1667793. —
X	1.... 5448.... 3.	Xx	1.... 5449....3.
E	Diam. 2945 294501. Periph. 9252 915567 +	Ee.	Diam. 2945 825376. Periph. 9254 583360. —
V	1.... 14774.... 3.	Vv	1.... 14775.... 3.
F	Dia. 43 521624 105025. Per. 136 727214 560643 +	Ff	Dia. 43 524569 930401 Per. 136 736469 144003 —

Harum quædam minoribus terminis,

cc	22$\frac{3}{5}$	ad	71 —
d.	265381.	ad	833719 +
e.	30685681.	ad	96401910 +

Methodicam prædictorum Numerorum Syntheſin in *Cogitatis, & Inventis Polymathematicis*, quæ, ſi DEUS vitam prorogaverit, utilitati publicæ deſtinavi, plenius exponam; ſufficiet interim ad eorum notitiam inſinuaſſe ſequentia. Numeri Characteribus Z. Y. X. V. tam ſimplicibus, quam geminatis inſigniti, ſunt *Genitores*, e quorum ductu, Numeri illis ſubjecti C. D. E. F. ſimplici, geminoque charactere notati, procreantur hoc modo. Ratio 7. ad 22. Exceſſiva, ducta in Genitorem Z. 15; & adjecto ad Productum Diametri, numero 1. ad Peripheriæ autem, hoc altero adjacente 3; conſtituit Rationem C. 106. ad 333, Defectivam: Genitor autem major Zz. 16, ductus in eosdem terminos Excedentes 7. ad 22, adjectisque ad horum Producta numeris 1 & 3, conficit Rationem Cc. 113. ad 355. Exceſſ.

Similiter hi termini Exceſſivi 113, 355, multiplicati per Genitores Y. Yy. videlicet 4697 & 4698. ſervata adjectione numerorum 1. & 3 ad Producta Diametri Peripheriæque, offerent terminos Rationum

D & Dd, quæ longe propius accedunt ad Archimedeam, a Ludolpho, & Grümbergero noſtro vaſtisſimis expreſſam numeris. Eadem ratione in reliquorum Terminorum geneſi proceditur. Ut autem oculis ipſis uſurpare liceat, quantum exactitudinis adferant Rationes illæ, viſum eſt hoc loco adjicere Synopſin totius calculi, quo prædictæ Rationes ad Archimedeam, tanquam ad lapidem Lydium examinantur, ut appareat, quantum ſit uniuscujusque peccatum, defectu vel exceſſu Peripheriæ taxato in partibus Diametri totius, in particulas Decimales ſubdiviſæ.

Examen Rationum Cyclometricarum.

Diam.	100000	00000	00000	00000	00000		Archimedis
Periph.	314159	26535	89793	23846	26433		÷ Ratio.
B.	312500	00000					
	1659.	26535	Defectus				
Bb.	314285.	71428					
	126	44892	Exceſſus.				
C.	314150	94339	62264				
	8	32196	27529	Defectus			
Cc.	314159	29203	53982				
		2667	64189	Exceſſus			
D.	314159	26535	81077	77120			
			6715	46725	Defect.		
Dd.	314159	26536	37862	02024			
			48068	78178	Exceſſ.		
E.	314159	26535	89787	82814			
			5	41031	Defect.		
Ee.	314159	26535	89796	49172			
			3	25326	Exceſſ.		
F.	314159	26535	89793	23833	89913		
				12	36520		Defectus.
Ff.	314159	26535	89793	23855	91866		
				9	65432.		Exceſſus.

Ex hac Tabella colligitur: imprimis quantitas Defectus, vel Exceſſus cujusvis Rationis, taxata Fractione, cujus Denominator eſt Diameter ſupremo loco poſita, videlicet 1 cum tot zeris, quot libet aſſumere: Numerator autem erit is, qui in eodem cum Denominatore gradu Decimali conſiſtit. Sic Rationis C Defectum metitur hæc Fractio $\frac{8}{100000}$ quæ exactior erit, ſi prolixior Denominator aſſumatur.


Col-

Colligitur ex eadem ſecundo. Rationes a nobis exhibitas, adeo compendioſas eſſe, ut earum nonnullæ, duplo pluribus notis Archimedeis æquivaleant; quanquam ipſa Cc duplum earum excedat, quæ proinde brevitate, nec non exactitudine ſua, in Praxi cæteris præferenda videatur, cui, dum quid accuratius quæritur, ipſa d ſuccedat. Præter has quidem mihi ſuppetunt adhuc plures, conſimili dote præditæ, ſed eas, ne nimius videar, alteri occaſioni ſervandas exiſtimo. Concludam interim ſingulari quadam, & ut ita dicam, curioſa Ratione, quæ eſt 991 ad 3113 $\frac{991}{3113}$, quæ cum Archimedea conſentit in octonis notis prioribus, ac tum primum illam incipit excedere, minus quam 23 centeſimis.

GRAMMICÆ RATIONES CYCLOMETRICÆ,
Ad Uſus Mechanicos.

HArum quidem complures olim a me repertæ; hoc tamen loco viſum mihi eſt eam tantum proponere, quæ huic Anno præſenti, quo iſta ſcribimus, affinitate quadam conjuncta eſt.

Oporteat igitur Semiperipheriæ BCD Rectam proxime æqualem reperire. Ducantur Tangentes BG, DH, quarum prior Radio AC æqualis, & jungantur GCH. Tum Radio CA ſecentur ex C arcus utrinque æquales CE & EF: quorum quivis complectetur Gradus 60, reliqui autem BE, DF ſinguli gr. 30. Agatur per E Secans AI, determinans Tangentem BI. Capiatur tandem HL, æqualis Diametro BD; ac tum ducatur IL.



Dico Inprimis IL æqualem eſſe Semiperipheriæ BCD proxime.

Demonſtratur calculo Trigonometrico. Intelligatur autem ducta eſſe IK, quæ Tangentes BI, DK conjungat.

Quo-

Quoniam ad Radium AB. 100000 00000 00000.
Tangens gr. 30 eſt ... BI. 57735 02691 89626. Erit hujus
Compl. ad Radium, ipſa IG. 42264 97308 10373. Igitur
Tota KH + HL, ſive KL. 2 42264 97308 10373. Ergo
IKq + XL q. 9 86923 17181 95572 75995 52843 99129.
Horum Radix eſt. IL. 3 14153 33387 05093. Hæc autem
Deficit ab Archimedea. Z. .... 5 93148 84700.
Continetur in AB. vicib. X. .... 16859.

Dico deinde, Peripheriam ſic inventam, ab Archimedea veræ proxima deficere minori Ratione, ea, quam habet Unitas ad Decuplum currentis Anni 1685 a Chriſto nato, Æra vulgari numeratis; majore autem, quam eadem 1 habeat ad decuplum anni 1686, proxime ſecuturi. Cum enim Peripheria noſtra IL, ab Archimedea (præcedentis Tabulæ) deficiat numero Z, qui totam Diametrum, numero AB taxatam, metitur numero X: manifeſtum eſt, Unitatem ad numerum præſentis Anni decuplum, videlicet 16850, majorem habere rationem quam ad X, priore majorem: minorem autem, quam ad hunc 16860, per demonſtrata Prop. 8 Quinti Elem. Euclid. E quibus Praxeos iſtius ἐυπορία καὶ ἀκρίβεια, cum intellectu comprehendi, tum memoria facile retineri poterit.

Epimetri loco adjungam alteram Praxin Linearem Mechanicorum Circino opportuniſſimam, quod ea continua Diametri biſectione peragatur, ſitque longe exactior præcedente: ſic autem inſtituitur. Dati Circuli Diametrum, Circino biſectioni deſtinato, divide in partes 32. Talium enim Peripheria erit $100\frac{17}{32}$, hoc eſt, erit eorum Ratio, 1024. ad 3217.——. In Praxi igitur, Triplo Diametri, ſive partibus 96, adjiciendæ erunt $\frac{4}{32}$, ſive $\frac{1}{8}$ totius Diametri, & inſuper Semis unius Trigeſimæ ſecundæ, cum alterius Semiſſis particula decima ſexta. Hujus ἐγχειρήσεως exactitudinem probat calculus, quo provenit Peripheria P. 31416015 6.—— quæ Archimedeam excedit numero Q...... 891, qui minor eſt Defectu Z, Peripheriæ præcedentis. Quanquam nec iſtud ſubticendum ſit, iſtam Praxin in Majoribus Circulis potiſſimum locum habere, in parvis aciem oculorum effugere, quoad particulam, poſtremo addendam.

N. IX.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno M DC LXXXV.

SECTIONES CONICÆ IN NOVEM LIBROS DIſtributa, autore Ph. de la Hire Regio Matheſeos Profeſſore & Regiæ ſcientiarum Academiæ Socio,

Pariſiis apud St. Michalet 1685, fol.

SEctiones conicæ, quas vulgus Mathematicorum vix attingit, eximium aliquid affectantibus cognitu omnino neceſſariæ ſunt. Magnus enim earum uſus eſt in perſpectiva, in catoptrica & dioptrica, in gnomonica, in mechanicis & baliſticis, in architectura & (poſtquam Keplerus ellipticas voluit planetarum vias) in aſtronomicis quoque: ut reliqua nunc prætermittam. *Apollonius* primus deprehendit, non alias ex conoſcaleno ſectiones prodire, quam quæ ex recto haberi poſſunt, primusque hujus ſcientiæ elementa tradidit; cujus ſcriptorum tum conicorum, tum ad loca pertinentium cum pars perierit, ſupplere eam ſunt conati inſignes Geometræ *Maurolycus*, *Vieta*, *Snellius*, *Vivianus*, aliique. Cum vero ex octo libris Apollonii conicis, non niſi quatuor haberentur in Græcis codicibus, conſtaretque quintum, ſextum & ſeptimum Arabice extare, eos edere dudum polliciti quidem erant *Claudius Hardy* & *Jacobus Golius*, ambo & linguæ hujus & Geometriæ cognitione excellentes, edidere vero tandem, ſed diverſos ſatis inter ſe, & Arabum more deformatos, Florentiæ quidem *Joh. Alphonſus Borellus* geometra celebris, vertente *Abrahamo Ecchellenſi* Maronita; Kiloniæ vero *Chriſtianus Ravius* linguarum orientalium notitia clarus, *Samuele Reibero* mathematum Profeſſore doctiſſimo eum adjuvante. Verum noſtri ſeculi Geometræ non contenti Apollonianis, in immenſum ſcientiæ pomœ-

pomœria protulerunt; inter quos duo eminent, *Gregorius a S. Vincentio* S. Jeſu, & *Deſarguesſius:* quorum ille pulcherrima invenit theoremata complura, hic primus ſectiones conicas univerſali quadam ratione tractare, ac propoſitiones multas ſic enuntiare cœpit, ut quæcunque ſectio ſubintelligi poſſet. Hunc ductorem ſecutus ingenioſiſſimus *Paſcalius* (cujus libros de vacuo & æquilibrio liquorum, epiſtolas de cycloeide, & cogitata poſthuma habemus) nondum 16 annos natus libellum conſcripſit ſubtiliſſimum, cujus in epiſtolis Carteſii & alibi paſſim fit mentio, in quo elementa conica pulchre admodum & univerſaliter demonſtraverat linea harmonice ſecta uſus. Verum cum nihil de his Paſcalii, Deſarguesii autem pauca ſint edita, eo gratior fuit labor doctiſſimi geometræ *Ph. de la Hire*, qui veſtigiis iſtorum inſiſtens, multaque perpulchra de ſuo adjiciens, jam ante 12 annos libellum titulo *nova methodi ſectiones conicas & cylindricas explicandi* edidit, ſexto poſt anno *Elementa conicarum ſectionum* publici juris fecit, præſenti autem opere majore & ſua & aliena in hoc genere optima complecti ſe voluiſſe profitetur. Lib. I tractat de linea recta harmonice ſecta. Lib. II elementa dat ſectionum conicarum ex occurſu ſuperficiei conicæ cum recta harmonice diviſa; ubi inter alia probans theorema generale, quod omnes rectæ, ad ſectionem conicam vel ſectiones oppoſitas utrinque terminatæ, inter ſe parallelæ ab eadem diametro biſecentur, monet totum opus conicum huic propoſitioni inniti. Lib. III de quadratis agit ordinatim applicatarum ad diametrum, & rectangulis ſub partibus diametri, itemque de parametris. Lib. IV de aſymptotis hyperbolarum. Lib. V de variis theorematis, ubi & de parabolæ quadratura: quanquam alioqui quæ proprie ad dimenſiones conicarum ſectionum, quoad lineas, ſpatia plana, ſuperficies, ſolida ſpectant, hoc opere non attingat, quippe quæ ex aliis fontibus profluunt. Lib. VI de ſectionibus ſimilibus & æqualibus. Lib. VII de maximis & minimis, rectis & rectangulis quæ ad ſectiones pertinent: ubi oſtendit lineas, quarum evolutione deſcribi poſſunt conicæ, quas invenit vir ſuo merito celeberrimus *Chriſtianus Hugenius*, etiam alia quadam ratione ſic explicari poſſe, ut dicatur talis linea eſſe locus punctorum, ex quorum uno non niſi unica recta ad curvam conicam perpendicularis duci poteſt. Lib. VIII de focis ſeu umbilicis. Lib. IX. de variis per puncta deſcriptionibus ſectionum conicarum in plano.

Sub-

Subjicit deinde quædam de ſectionibus ſuperficierum coniformium, quarum baſis conica eſt, quæ ſectiones rurſus ſunt conicæ, item de ſectionibus cylindricis: denique appendicem adjicit de quibusdam lineis circuli-formibus, quibus & eximius geometra *Joh. Walliſius* uſus eſt in Arithmetica infinitorum, ſed noſter autor eas adhibet alio plane inſtituto; nam rectam ex puncto in ſublimi circum eas ducit, & ita ſuperficiem coniformem generat, cujus ſectiones quasdam ad imitationem communium conicarum, nonnullis propoſitionibus univerſalibus ingenioſe declarat.

HORTI INDICI MALABARICI PARS QUINTA de Arboribus & Fruticibus bacciferis Regni Malabarici, adornata per Henricum van Rheede tot Draakeſtein, quondam regni Malabarici Gubernatorem &c. & Johannem Munnicks M. D. Anatomes ac Botanices in Acad. Ultrajectina Profeſſorem, cum notis Johannis Commelini.

Amſtelodami apud viduam Johannis van Sommern &c. anno 1685. in fol.

QUa occaſione & qua fortuna Hortum Indicum Malabaricum condiderit atque adornarit, quosque in Botanico hoc opere disponendo augendoque συνεργοὺς adjutoresque habuerit Illuſtris *van Rheede*, Malabarici antehac regni Gubernator & Supremi Conſeſſus apud Indos Belgas Senator Extraordinarius, nunc Equeſtris Ordinis nomine Illuſtribus ac Præpotentibus Provinciæ Ultrajectinæ Proceribus adſcriptus, ſic ſatis prolixe in Actis ſuperioris anni p. 159. & ſeqq. cum ejusdem Horti Malabarici partem IV una cum tribus antecedaneis recenſeremus, expoſuimus. Eo igitur lectorem remittimus, cramben jam ſemel a nobis appoſitam recoquere hic loci non ſuſtinentes. Prodiit hoc anno pars Horti Malabarici quinta, & quidem eodem, quo anteriores quatuor, modo adornata. Nam & in hac Latini, Malabarici, Arabici, Brachmanum characteres nominaque exprimuntur, arbores etiam & frutices bacciferi, una cum floribus, fructibus & ſe-

ſeminibus, a peritiſſimis pictoribus delineati ad vivum exhibentur; deſcriptioque earundem plantarum, quarum multæ nulli hactenus notæ vel animadverſæ ſunt, exacta atque accurata, quod colores, odores, ſapores, facultates & præcipuas in Medicina vires attinet, ubique ſubjicitur, una cum *Johannis Commelini*, Botanici longe clariſſimi, qui & tres partes Horti Malabarici antegreſſas, ſecundam, tertiam & quartam, uti *Arnoldus Syen* primam, illuſtraverat, notis & commentariis ſubinde (obſcuris enim & plane incognitis addere quicquam nec potuit, nec voluit) adſperſis. Edentur poſt hanc quintam partem novem adhuc alia Horti Indici Malabarici volumina, & quidem non *Johannis Munniks* amplius, qui tertiam, quartam & hanc quintam cum nobiliſſimo *de Rheede* adornavit, ſed qui ex ſchola Botanica hujusdem prodiit, *Theodori Janſonii ab Almeloveen*, Medicinæ Doctoris & Botanici præcellentis, (cujus ſcitiſſimam *de vitis Stephanorum*, celebrium typographorum, diſſertationem Actis ſuperioris anni p. 202. & ſeqq. ut & *Novantiqua Inventa* p. 556 inſeruimus) obſtetricante opera. Quamvis enim integram ſtirpium Malabaricarum hiſtoriam literato orbi pollicitus ſit *Munniks* experientiſſimus, curarum tamen tam Academicarum, quam practicarum (nam præter duplicem profeſſionem, & poliatrum Reipublicæ Ultrajectinæ agit) multitudine diſtractus, intermittere id operis, & alteri rerum Botanicarum æque gnaro hanc lampada tradere neceſſe habuit. Tradidit autem ſectatori olim ſuo, nunc amico, quem diximus, *Janſonio*, qui & pro eo, quo in eximium hoc opus Botanicum flagrat, amore hanc operam non invitus in ſe ſuſcepit. Habebit igitur nobiliſſimus *van Rheede*, poſt *Matthæum de S. Joſepho*, *Johannem Caſearium*, *Chriſtianum Henricum de Donep*, *Guilielmum then Rhynen* & *Johannem Munnicks*, in Horto hoc Malabarico diſponendo deinceps ac perficiendo adjutorem & collaboratorem *Janſonium* jam laudatum; cui & non minus, quam illuſtri *ἐργοδιώκτῃ*, ad tam operoſum tamque egregium, & literario orbi proficuum laborem feliciter conſummandum, vires animi corporisque vegetas atque inconcuſſas apprecamur.

M. MAR-

M. MARTINI LIPENII BIBLIOTHECA REAlis Theologica omnium materiarum, rerum ac titulorum in univerſo SS. Theologiæ ſtudio occurrentium ordine alphabetico diſpoſita, & in duos tomos diviſa &c.

Francof. ad Mœnum apud Joh. Friderici, 1685 in fol.

CUm non deſint in orbe literario Bibliothecæ, ut ita dicam, nominales, rubrum nigro vel autorum nomina ſcriptis ipſis præponentes, qualis præter cæteras *Conradi Geſneri* eſt a *Joſia Simlero* in epitomen redacta, & *Catalogus impreſſorum librorum Bibliothecæ Bodlejanæ in Academia Oxonienſi* a Thoma Hyde Proto-Bibliothecario ibidem A. 1672 editus; Autor clariſſimus *Draudii* exemplum ſecutus, realem inſtruxit Bibliothecam, eamque non particularem, ſed univerſalem, & ſecundum IV Facultates, in IV quoque partes diſtributam, ita quidem, ut nigrum ubique rubro præponeret, ſeu primo aſpectu titulos, & mox ſub titulis Autores velut in juſta acie collocaret. Nec infeliciter immenſa illa opera Vir ſcholaſticis alias laboribus circumvallatus fuit defunctus, collaboratorem diligentiſſimum fideliſſimumque nactus *Davidem Chriſtianum Zeiſium*, SS. Theol. conſecraneum, & ſenis optimi *Chriſtiani Zeiſii*, Paſtoris in agro Lipſienſi Oelſchavienſis filium. Hic enim, poſtquam tigna veluti rerum præſtruxerat Lipenius, latera & cavædia, h. e. autores ſub titulis collocandos, labore plane improbo & indefeſſa contentione adjecit, in *Bibliotheca* inprimis *Medica* & *Philoſophica*. Quæ reales Bibliothecæ cum Studioſis omnibus, cujuscunque ſint Facultatis, mirum quantum utiles & proficuæ viderentur, eas non intra Veſtæ penetralia aſſervare, ſed communicare potius cum erudito orbe doctiſſimus Collector voluit. Emiſit autem primum *Bibliothecam Realem Juridicam*, & *Bibliothecam Realem Medicam*, utramque Francofurti ad Mœnum anno 1679 in fol. Dein A. 1682 *Bibliothecam Realem Philoſophicam* edidit, eamque in duos Tomos diſpertitam, Philoſophiæ voce tam late capta, ut omnem etiam linguarum, antiquitatum ac ſententiarum notitiam, omnem item veterum & recentiorum Criticam, omnem Hiſtoriam, Philologiam, Oratoriam, Poeticam,

& quicquid πολυμαθείας aut πανσοφίας nomine venit, includat. Submiſit tandem hoc anno *Bibliothecam Realem Theologicam*, eamque non minus, quam *Philoſophicam*, in duos Tomos diſtribuit, adjutus in hoc opere perficiendo poſt obitum *Davidis Chriſtiani Zeiſii*, paſtoris jam vocati, quem fidum Achatem, & laborum bibliothecariorum ſocium laudat, a fratre ejus natu minore *Chriſtiano Valerio Zeiſio*, SS. Theol. & miniſterii candidato, ut & a perreverendo Viro *M. Davide Springinsgut*, Eccleſiæ Wismarienſis Archidiacono, utpote qui hæc ſcripta non revidit tantum, ac dubia notavit, ſed errata quoque delevit & omiſſa addidit. De cætero ne & nominum autorumque deſiderari hic poſſit catalogus, unicuique Bibliothecæ reali index autorum & ſcriptorum longe copioſiſſimus eſt ſubjunctus.

D. JOHANNIS Bohn/ *PROFESS. IN ACADEMIA Lipſ. Publ. Diſſertationes Chymico-Phyſicæ, quibus acceſſit ejusdem Tractatus de Aeris in ſublunaria influxu.*

Lipſiæ apud Joh. Fridericum Gleditſch, 1685 in 4.

CUm juxta Johannis Rhenani, Chymiotechniæ L. I. effatum, ***in toto hoc univerſo nullum ſtudium tot utilitatibus ac beneficiis ornet ac illuſtret hominem, quam unum illud Chymiæ veræ negotium, utpote quod hominem ſanum a morbis præſervat, ægrum ſanitati reſtituit, pauperem ab inopia ſublevat, naturæ myſteria eruit, animum ſolida ſcientia imbuit, nulli injuriam facit, omnibus prodeſt, & denique ad ipſam Creatoris cognitionem adducit***; merito omnibus maximo in pretio habendum illud eſſet, inprimis tamen iis, qui medicam artem in ægrotantium ſalutem aliquando exercere intendunt. Aſt cum difficile admodum, ſi non penitus impoſſibile ſit tyronibus ſtudii hujus ad abdita ejus penetrare; itaque immortaliter de initiandis in re Chymica promeritus eſt excellentiſſimus noſter Auctor, dum in gratiam illorum præſentibus Diſſertationibus Chymico-Phyſicis, finis, inſtrumentorum & operationum Chymicarum examen, potiſſimum tamen reddendo de ſingulis cauſas, & explicando phænomena, ſuſcepit. Reſtringimus vero hic calamum, cel. Auctoris improbum laborem induſtriamque inſignem in hoc opere adhibitam exprimere paratum,

ne

ne Viro nil minus quam ambitioſo, ſuisque ſcriptis admirationem venari haud cupienti, ſimus importuni. Lege itaque, Lector Benevole, has Diſſertationes, & ipſe judica. Interim a nobis Diſſertationum numero XV titulos accipe. I agit de corporum diſſolutione, II de corporum combinatione, III de igne, IV de aere, V de aqua & terra, VI de menſtruis, VII de comminutione, VIII de digeſtione, IX de fermentatione, X de putrefactione, XI de ſublimatione, XII de calcinatione, XIII de vitrificatione, XIV de ſolutione & inſpiſſatione, XV de ſecretione.

Quod attinet annexum tractatum de aeris influxu in ſublunaria, editus hic eſt jam ante aliquot annos ſeorſim ab Auctore, divulgatisque omnibus exemplaribus, a Bibliopola nunc denuo recuſus, orbi literario ſe ſiſtit. Argumenti ſummam ipſe Clar. Auctor in præfatione expoſuit, cujus verbis tranſcriptis, hic illam offerimus. Quinque capitibus hæc materia examinatur ac declaratur; quorum ***primum*** potentiſſimum & catholicum aeris in ſublunaria corpora influxum profitetur & confirmat: ***Alterum***, modum quo juxta Peripateticos aer mixtis ineſſe & ad horum mutationes concurrere dicitur, exponit ac dubium reddit: ***Tertium*** Chymicorum de formali pariter ac materiali ejus concurſu aſſerta atque argumenta enarrat: ***Quartum*** eadem pariter inſufficientia eſſe monſtrat: ***Quintum*** denique efficientis ſaltem rationem in mixtorum productione, alteratione & corruptione, aeri decernit.

LE CARACTERE DE LA VERITABLE ET DE la fauſſe pieté, par M. de la Volpiliere, Docteur en Theologie.

i. e.

Character veræ & falſæ pietatis, autore Dn. Volpilerio, Doctore Theologo.

Lutet. 1685 apud Steph. Michalet in 12.

INſignem ad dignoſcendam falſam & hypocriticam pietatem a vera & ſincera, ab Autore doctiſſimo & eloquentiſſimo operam præſtitam eſſe, nemo ut putamus negabit. Uſus autem eſt ea methodo, ut

ut in principio libelli brevem veræ pietatis deſcriptionem præmitteret, ejusque tam internos quam externos effectus recenſeret. Ad illos refert venerationem Numinis per fidem agniti, fidem ipſam verbo ejus præſtandam, zelum ad gloriam Dei promovendam, contemplationem attributorum, amorem perfectionum Dei, metum divini judicii, admirationem operum, gratitudinem ob beneficia, obſequium erga leges, conformitatem cum voluntate Dei, fiduciam in ejus miſericordia, refugium ad clementiam, promtam mentis ad cultum divinum applicationem: inter externa nominat laudes, ſacrificia, templa, altaria, aliosque honores, ad Romanæ Eccleſiæ diſciplinam, ut videtur, intelligendos. Deinde, quia facilius eſt de rebus arduis dicere quid non ſint, quam quid ſint, & quoniam contraria ex contrariorum oppoſitione luculentius dijudicantur, in reliquis omnibus capitibus de fucata & imperfecta pietate tractatur, ejusque ſpecimina XXVI ita proponuntur, ut ſimul ad verum cultum manuductio fiat. Improbatur nempe (1) reſtrictio pietatis, quia hæc *in Spiritu* i. e. illimitate & infinita quadam ratione Deo, enti ſpirituali & infinito, debetur. (2) Fictio ſeu ſimulatio; Deus enim *in veritate* vult adorari. (3) Cultus ambitioſus & vanæ gloriæ affectatione inſtitutus. (4) Is, qui emolumenti cauſa exercetur. (5) Qui externis & ſpecioſis adhæret, neglectis internis. (6) Qui cum auſteritate & cum ſevera aliorum cenſura præſtatur. (7) Qui minutias ſcrupuloſe ſectatur, graviora præterit; tum (8) ſi contrario vitio majora obſerventur, minorum nulla habeatur ratio. (9) Si aliqua cultus parte præſtita ſatisfactum per omnia exiſtimetur. (10) Si ſingularis & inſolens quædam cultus ratio affectetur. (11) Si accedat ſuperſtitio, ad quam inter alia refertur fictio miraculorum & revelationum, abuſus S. Scripturæ ad ſtabilimentum falſarum opinionum, obſtinata rituum indifferentium obſervatio. Sequuntur ſubtiliores quædam ſpecies, (cap. ſcil. 12) ubi taxantur, qui Deum colentes etiam mundo placere volunt. (13) Qui cultum exercent, quando commodum eſt. (14) Qui pigri ad eum ſunt. (15) Qui nimis delicati in deligendo cultus genere. (16) Qui præmium & mercedem intendunt. (17) Qui ex metu pii ſunt. (18) Qui nimis curioſi, aut (19) ſcrupuloſi. (20) Qui directores conſcientiæ conſulere negligunt. (21) Qui nullas tentationes ſenſerunt. (22) Qui in cultu irregulares & inconſtantes ſunt. (23) Quos ejus tædet. (24) Qui

(24.) Qui indiſcreto zelo aguntur. (25 & 26.) Qui inſatiabiliter & cum exceſſu juſtitiam & perfectionem deſiderant, nec gratiæ divinæ gradibus contenti ſunt. In epilogo cohortatur Autor omnes ad fugiendam hypocriſin, & averſandas laudes vanas & perituras ab hominibus, utque his conſcientiæ teſtimonium, & Dei interna approbatio, tutiſſime rectiſſimeque poſſit & debeat anteferri.

VOYAGES DE Mr. DE THEVENOT, CONTENANT la relation de l'Indoſtan, des nouveaux Mogols, & des autres Peuples & Pays des Indes.

id eſt

Itinera Dn. Thevenotii, in quibus referuntur res Indoſtanenſes, novorum Mogolum aliorumque populorum & regionum Indiæ.

Lutetiæ apud viduam Bieſtkinſiam, 1684 in 4.

ULtimum hic liber laborem celeberrimi Autoris exhibet, cui etiam immortuus eſt. Continet narrationem eorum, quæ priora ejus itinera, duobus voluminibus edita, ſubſecuta ſunt, id eſt hiſtoriam profectionis a *Balſora* in Indiam, & inde rurſus in Perſidem, cœptæ d. 25. Novembr. 1666, cujus, ut & vitæ peregrinantis, menſe Novembri anno 1667 defuncti, meta fuit oppidum *Miana* Perſicæ ditionis. Quanquam vero jam plurimæ & ampliſſimæ regionum iſtarum & gentium deſcriptiones extent, magnique nominis ſit, & multorum jam manibus teratur, quæ ex *Joh. Baptiſtæ Tabernarii* relationibus compoſita eſt; denegari tamen non debet laus ſua editoribus poſthumorum horum commentariorum, & invenient in his Lectores, quæ cum aliorum narratis conferri merentur, & quæ alicubi lucem afferunt, aut neglecta ſupplent. *Duobus libris* abſolvitur hoc opus. *Primus 49* habet *capita*, in quibus agitur de Indiæ finibus & diviſione, & de Magni Mogolis, quem vocant, latiſſime inter Indos regnantis familia, potentia, provinciis, urbibus, populis, eorumque religione, ritibus & ceremoniis. *Liber ſecundus capitibus 12* exponit Autoris relationes de *Decanenſis* regni provinciis, quæ per ſeditiones & rebelliones in particularia regna non ita pridem diviſæ

Digitized by Google

ſunt, in quibus ob adamantum fodinas innoteſcere maxime cœpit *Golconda*. Cæterum ſimplicitas ſtyli genium autoris ita exprimit, ut de veritate narratorum magna Lectoribus fiducia ſuboriatur; de iis præſertim quæ autor ipſe vidit & expertus eſt; neque enim diſſimulat, quæ ab aliis relata accepit, inter quæ ſunt, quæ de reditibus ærarii Mogolenſis leguntur. Malabaricarum literarum, quarum multus in iſtis regionibus uſus eſt, figura & ſonus Lib. II. c. 1. p. 264 deſcribitur; nec minus notabilia ſunt, quæ de monetis & ponderibus, & de incredibili adamantum copia obſervavit, v. g. lib. II. c. 9. ubi refert, Dynaſtam quendam, qui a Rege Golcondæ ad Mogolem defecit, poſſediſſe quinque gemmarum iſtarum pondera, quæ *Mans* vocantur, quibus reſpondere ait 408 libras Batavicas. Ad aurifabrorum etiam, & gemmariorum inſtructionem haud pauca proficere poſſent, commentariis his inſerta. Motus quoque tunc temporis novi, quibus Mogolenſe regnum non parum debilitatum fuit, exacte enarrantur: nec apud alios facile reperias, quæ de *Caſtis* quas vocant, ſive tribubus paganorum ſeu idololatrarum Indorum, & de abominandis illorum ſacris referuntur; item de perlarum piſcatione, & de moleſtisſima, eademque fructuoſisſima Batavorum apud Indos & Japones negotiatione, aliaque, quæ omnia *Thevenotius*, unice id agens, & cunctarum, quibus opus erat linguarum gnarus, facilius rectiusque perquirere & obſervare potuit, quam qui mercaturæ ſolum cauſa peregrinantur, & ut plurimum indocti ſunt. Adjecta capite ultimo habentur paucula ad res Perſicas pertinentia, & inter ſchedas autoris reperta, quæ cum Indicis iſtis conſervari poſſe editori viſum fuit.

MEMORIÆ THEOLOGORUM NOSTRI SECULI clariſſimorum renovata Centuria, curante M. Henningo Witten.

Francofurti ad Mœnum, apud Martinum Hallervord, anno 1685 in 8.

SI præclaram apud eruditos laudem meruere inter alios *Laertius*, qui Philoſophorum, *Philoſtratus* & *Eunapius*, qui Sophiſtarum vitas deſcripſerunt; non minor viris tribuenda erit, qui B. Hieronymi de ſcripto-

ſcriptoribus Eccleſiaſticis agentis exemplo invitati, Theologorum præclare meritorum vitas ad poſteros propagare ſtudent, quo iſtorum exemplo ad ſimile ſtudium alii exeitentur. Inter hos celebris maxime noſtro tempore eſt Autor libri hujus clarisſimus. Nam poſtquam anno abhinc decimo *Memorias Theologorum noſtri ſeculi clariſſimorum renovatas* ſenis decadibus comprehenſas edidiſſet; & dein quoque *JCtorum, Medicorum, Philoſophorum, Oratorum, Poetarum, Hiſtoricorum & Philologorum clariſſimorum* vitas pari ſtudio collegiſſet; hoc anno iterum Theologorum, quorum nomina in Eccleſia celeberrima ſunt, vitas in certas decades diviſas publicavit. In harum ultima eorum, qui non ita pridem rebus humanis exemti ſunt, vitas, verbis aliorum potisſimum recenſet, ut *D. Jo. Elai Terſeri* Epiſcopi Lincopienſis, *D. Balth. Menzeri* Concionatoris aulici Darmſtadienſis, *Jo. Sebaſt. Mitternachti* Conc. aul. Sax. Cizenſ. *D. Jo. Ludovici Hartmanni* Rotenburgo-Tuber. Superint. *D. Tobiæ Wagneri* Cancellarii Academiæ Tubingenſis, *D. Martini Geieri* Concionat. aulici primarii Ser. Elect. Sax. *D. Jo. Muſæi* S. Theol. Prof. Jenenſis, *D. Gerh. Titii* S. Th. Prof. Helmſtad. *D. Jo. Meiſneri* Theol. Prof. Witteberg. *D. Ægidii Strauchii* Paſtoris & Profeſſ. Gedanenſis. Reliquorum nomina ſingulis decadibus præmittuntur. In præfatione libri, catalogum multorum aliorum Theologorum exhibet, quorum vitas conſignatas habet. Has, ſi non plene deſcribere ſibi detur, conciſe ſaltem in *Speculo*, quod ſub manibus habet expolitque, *Eruditi ſeculi*, orbi ſe exhibiturum pollicetur.

JUSTIFICATION DE LA MORALE DES REformez contre les accuſations de Mr. Arnauld, par le Sieur Jurieu Docteur & Profeſſeur en Theologie.

hoc eſt

Vindiciæ doctrinæ moralis Reformatorum ab accuſationibus Arnaldi, per Jurium Doctorem & Prof. Theol.

Hagæ Com. apud Arnoldum Leerium 1685 in 8.

Oppoſuit ante complures annos Arnaldus, ſcriptor Gallus notiſſimus, Calvinianis librum, cui titulum fecit, *Renverſement de la*

Morale de Jeſus Chriſt par la Doctrine des Calviniſtes ſur la Juſtification. hoc eſt, *Everſio doctrinæ moralis Jeſu Chriſti per dogmata Calvinianorum de Juſtificatione.* In illo id curæ habuit, ut comparatis ad S. literas Calvinianæ fidei partibus, oſtenderet peſtilentiſſima quæque a Reformatis doceri, quibus regulæ vitam Chriſtianorum formantes penitus pervertantur. Duo autem ſunt ſumma capita probationum; alterum complectitur ea, quæ Calviniani de perſeverantia verorum fidelium tradunt; alterum continet ipſorum ſententiam de certitudine, qua omnes, qui vere ſancti ſunt, de ſua ſalute ſecuros eſſe jubent. Huc refertur doctrina de virtute & efficacia Sacramentorum, (quatenus a Baptiſmo parvulorum argumentum ducitur adverſus perſeverantiam in fide,) & nonnullæ aliæ, unde tanta ſcribendi materia Arnaldo ſubnata fuit, ut volumen ſat amplum compluribus partibus conſtans multis verbis conſcripſerit. Objecit vero huic viro ſic in aciem adverſus Reformatos egreſſo illico ſe Jurius, ſæpius nobis in Actis commemoratus, cum facile intelligeret caveri debere a ſuis, ne talem Reformatorum doctrinam eſſe tacendo fateri videantur, qualem Arnaldus deſcripſit. Principio monet, veteres admodum controverſias eſſe, & vel millies agitatas, quas Arnaldus nunc reſuſcitet, quasque immerito tam prolixe pertractet, partim aliena imprudenter miſcendo, partim Auguſtini integros ſermones transſcribendo. Hanc eſſe cauſam profitetur, cur & vaſto operi libellum exiguæ molis opponat, & ea repetere quandoque cogatur, quæ jam ſint ab aliis abunde declarata. Totius libri hæc methodus eſt, ut Jurius primo ſuæ Eccleſiæ ſententiam, ex decretis Synodorum generalium, & autorum, quos omnium calculi approbaverunt, verbis exhibeat, deinde vero argumenta & rationes Arnaldi ponderet, plerumque etiam reſpondeat ad teſtimonia ab Arnaldo e ſcriptis Reformatorum depromta, circa quæ cum paſſim, tum maxime l. 4. c. ult. inculcat, *non eſſe uniuscujusque doctoris privatam opinionem toti cœtui illico tribuendam, niſi ea fuerit in aliqua publica fidei confeſſione approbata. Libro primo* queritur Jurius, Arnaldum quoties, quid Reformati ſentiant, dicendum ſit, mala fide agere, nec ſibi temperare, quin conviciis adverſarios oneret. Poſtmodum oſtendit, eundem ſcripto illo, cui *ipſe* jam reſpondere ſuſceperit, non tam moralem doctrinam religionis Calvinianæ, quod titulus operis ſpondere videatur, quam dogmaticam

cam ejus partem aggredi; quippe qui de juſtitia inamiſſibili, de peccato in Spiritum S. de peccato regnante & non regnante, de ſtatu excommunicatorum, de Baptiſmo ejusque efficacia diſputet,& omnino Calvinianos Legem Dei & Evangelium recte ac incorrupte tradere fateatur. Conſequentias ipſum e Reformatorum nonnullis theſibus deducere, quæ moralem Theologiam inquinent; ſed eas ex Scriptorum ſuæ partis verbis per vim exprimi, & nunquam ab ipſis vel formaliter vel virtualiter agnitas fuiſſe. Hoc in ſequentibus demonſtrandum ſibi Jurius ſumit, ac proinde *libro ſecundo*, ordine dicto, initio doctrinæ Reformatorum de Juſtificatione eam partem, qua ipſi cum Lutheranis conſpirant, proponit, eamque ab Arnaldi objectionibus vindicat. Deinde dogma Calvinianis proprium, de juſtitia, quæ amitti nulla ratione poſſit, deque veris fidelibus, qui nequeant omni ex parte gratia Dei & ſtatu ſuo excidere, explicat, & confirmare conatur, ſatisfaciens rationibus Arnaldi, quibus ille probaverat, vere credentes & amittere Spiritum S. & æternum perire poſſe. *Libro tertio* Jurius demonſtrare ſatagit, nihil bonis moribus contrarium habere doctrinam Reformatorum præcedenti libro exhibitam, & quicquid Arnaldus in adverſam partem diſſerat, meras eſſe calumnias, quibus innocentes proſcindat. Sub finem annexa eſt tractatio de ſtatu excommunicatorum, & quibusdam aliis quæſtionibus, quæ aliqua ratione illuc ſpectant. Eadem methodo Jurius controverſiam de certitudine ſalutis *libro quarto* pertractat. Poſtquam enim c.1. Reformatorum ſententiam e Synodi potiſſimum Dordracenæ ſanctionibus expoſuit, Arnaldo exinde reſpondet, qui & falſum eſſe ineptumque dogma, & regulis doctrinæ moralis, quas S. literæ præſcribunt, adverſum dixerat. Hactenus de Jurii libro qui jam antehac lucem vidit, non ita multo poſt Arnaldi ſcriptum, cui ille oppoſitus eſt. Acceſſit hoc anno *Pars altera*, in *duos* iterum *libros* diviſa, quorum *prior* complectitur, quicquid de Baptiſmo deque infantibus in Eccleſia natis Calviniani decernunt. Exiſtimaverat Jurius, cum primum Arnaldi oppugnationem ſuſciperet, non opus eſſe, ut illis reſponderet, quæ Arnaldus tam prolixe contra hanc doctrinæ partem diſſeruit. Nam ad ſcopum propoſitum ea omnia vix quicquam faciunt, nec alio conſilio ab adverſario allata fuiſſe videntur, quam ut librum magnæ molis Reformatis objiceret. Placuit nihilominus in hac nova

editione Vindiciarum, ſub examen revocare etiam quæ de Sacramentis Arnaldus dixit, quamvis illa parum tempeſtive allata fuerint. *Liber ſecundus* partis poſterioris in refutando novo aliquo ſcripto Arnaldi occupatur, quod is non ita pridem quoad argumentum priori non abſimile, vulgavit. Nimirum diſplicuit Arnaldi liber, quem refutari a Jurio hactenus vidimus, inter ipſos Romanenſes non paucis, qui multa in eo Reformatis invita veritate tribui agnoſcentes, maximopere verebantur, ne converſionis negotium, quod tantopere urgebant, impediretur. Itaque Doctor quidam Pariſienſis, *Fevrius*, in eo libro, quem *de mediis convertendi Reformatos*, Meldenſem Epiſcopum ſecutus, conſcripſit, parum ſibi probari non obſcure ſignificavit, quod Arnaldus controverſiarum, quæ utramque Eccleſiam ſeparant, & numerum & pondus auxerit, muſcamque faciens ex elephanto, inter duas religiones immenſam abyſſum ſomniaverit. Arnaldus iſta Fevrii cenſura commotus libellum alium compoſuit, in quo ante à ſe ſcripta roborat, & Calviniſmum denuo impietatis reum agit. Cui non expectata Fevrii reſponſione, Jurius ſub finem libri ſui ſatisfacere voluit, animadvertens ſcilicet, non tam Fevrii, quam Reformatorum rem agi. Inſeruit huic ſuæ refutationi literas duorum Doctorum ultro citroque miſſas, & non pauca de Arnaldi rixis cum Claudio, Bruguierio, Merlatio aliisque Reformatæ Eccleſiæ luminibus.

REPLIQUE A Mr. ARNAULD POUR LA DEfenſe du livre des Motifs invincibles, par Mr. le Fevre Docteur en Theologie de la Faculté de Paris.

i. e.

Replicatio facta Arnaldo pro defendendo libro de Rationibus invictis &c. autore Fabro D. Theol. Facult. Paris.

Inſulis, anno 1985 in 12.

EXhibemus ſcriptum Viri Romanæ fidei addicti, interque ſuos non infimum honoris ac dignationis gradum obtinentis, quo eorum defenſionem ſuſcipere velle videtur, quos ab Eccleſia ſua in hæreticorum numerum relatos non poteſt non averſari. Diximus jamjam de

de controverſia, quæ inter duos Doctores Sorbonicos agitatur, cum Jurii librum ſiſteremus; cauſam, quam ſubeſſe innuimus, Fevrius non diſſimulat, teſtatus ſub initium opuſculi, curæ ſibi eſſe, ne intervertatur negotium converſionis, quod ipſe maxime promoveri poſſe exiſtimet, ſi oſtenſum fuerit, Reformatos ab Eccleſia Romana immerito deſciviſſe. Certum equidem eſt, Calvinianorum principaliter rem agi, quippe quorum dogmata Arnaldus ex una parte peſtilentiſſima eſſe diſputat, Fevrius ex altera emollire ſtudet; interim tamen Lutheranorum quoque paſſim fit mentio, eſtque in eo Fevrius, ut extenuet illam doctrinæ partem, qua diſſidemus a Romanis, omnemque controverſiam in pugnam de verbis & ratione loquendi revocet. Ita in articulo de Juſtificatione exiſtimat fieri, ut, cum fidem ſolam juſtificare abſque operum meritis affirmamus, de prioritate quadam naturæ ſit ſermo, qua utique fides præcedat juſtificationem, opera eandem ſequantur, ubi interim nulla ſit temporum diſtinctio. Similiter diſputationem de bonis operibus & quasdam alias mere verbales facit, nixus cumprimis autoritate Fratrum Walenburgiorum. Cæterum in duas partes diviſus eſt liber, quarum altera de fide nunquam amittenda, altera de certitudine ſalutis agit. In priori duo adverſus Arnaldum evincit. Unum: dogma illud, quo Calviniani ſtatuunt fidem a vere credentibus, etiam dum in peccata atrociſſima prolabuntur, non amitti, ab ipſis non haberi pro fundamentali. Quod probat partim expreſſa quorundam Calvinianorum autoritate, ubi potiſſimum conatur oſtendere, Synodum Dordracenam de hoc articulo nihil definiiſſe; partim inde, quia Lutherani a Calvinianis habeantur pro fratribus, quos tamen certum ſit, in hoc dogmate cum Romanis facere. Alterum: multos eſſe ex ipſis Calvinianis, qui per peccata atrocia expelli fidem agnoſcant. Quod cum olim quamplurium Reformatorum, & ex eis Grotii Voſſiique teſtimoniis confirmaſſet; nunc ad Arnaldi exceptiones reſpondet, & nominatorum Virorum utrumque religionem Calvinianam ad vitæ finem usque profeſſum fuiſſe, adverſus communem famam aſſerit. Pars poſterior format initio ſtatum controverſiæ de certitudine ſalutis, & deinde docet, poſſe ſententiam Reformatorum utique cum aſſertis Eccleſiæ Romanæ conciliari, præeuntibus iterum Fratribus Walenburgiis. Lutherum fatetur durius in hac materia locutum eſſe, &

ideo

Digitized by Google

ideo cenſuram ac anathema Concilii Tridentini meruiſſe; inveniri tamen exiſtimat Eccleſiæ R. ſententiam in ejus ſcriptis, involutam obſcurioribus terminis, quos ipſe inuſitato quodam ſenſu adhibuerit. Calvinum ſcribit recte ſentire, ſed in explicandis Concilii Tridentini decretis odio perverſo animatum incongrue itidem loqui, quem & Chemnitius ſequatur. Ultimo totius doctrinæ Proteſtantium de juſtificatione ſummam traditurus ſcribit: ipſos juſtitiam noſtram ſtatuentes cum Auguſtino potius in remiſſione peccatorum conſiſtere, quam in perfectione virtutum Chriſtianarum, quæ in hac vita ſperanda non ſit, & vocabulo juſtificationis, ceu in ſacris nonnunquam accipiatur, uſos pro imputatione meriti Chriſti, decernere, ſola fide nos juſtificari, quod, etiamſi quis bona opera perfecerit, quanta poſſit, nunquam tamen futurus ſit perfecte juſtus. Neutiquam interim ipſos fidei operibus deſtitutæ, adeoque mortuæ, juſtificationem vendicare. Per opera nos mereri ideo ipſos negare, quod iſta intrinſeca dignitate deſtituantur. Quibus poſitis non poſſe non eosdem affirmare, ut quis juſtus eſſe pergat, non aliud requiri, quam conſervationem fidei, quæ nos de gratia DEI & æterna ſalute dubitare non permittat. Hæc ita Fevrius, quem ſatis apparet mediatoris partes inter tres religiones in unam cogendas ſibi ſumere; cujus proinde librum non a Calvinianis tantum, ſed & a noſtratibus penitius examinari par eſt.

DEFENSE DE Mr. ARNAULD CONTRE la reſponſe au livre des vrayes & fauſſes idées.

hoc eſt

Defenſio Arnaldi adverſus Reſponſionem ad librum de veris & falſis Ideis.

Coloniæ, 1684 in 12.

Diximus ſuperioris anni menſe Majo nonnihil de controverſia, quæ tunc inter Arnaldum Doctorem Sorbonicum, & Mallebranchium Patrem Oratorii Pariſienſis erat, circa definiendum modum perceptionis noſtræ, & ſenſus illius, quem de rebus corporeis habemus

habemus. Eam litem ne nunc quidem compoſitam eſſe, duo ſcripta paucis recenſenda probabunt, quibus diſputantium uterque ſuam ſententiam antehac declaratam porro defendere, novisque rationibus confirmare allaborat. Altero eorum,cujus titulum modo dedimus, Arnaldus pergit Mallebranchii aſſerta refellere de extenſione intelligibili infinita, quam DEUS animæ noſtræ ſic applicet, ut in ipſa corporum quorumcunque eſſentiam intueamur, & demonſtrat, Autorem infeliciter illa adverſus librum de veris falſisque ideis propugnaſſe. Diſſimulandum autem non eſt, quod, cum ante ſuſceptam diſputationem de Ideis, Viri nominati clariſſimi neceſſitudine quadam conjuncti fuerint, quæ nunc per illam contentionem non parum labefactata videtur, uterque a ſe amoliri læſæ amicitiæ crimen, & in alterum convertere, quicquid eſt odii, ſtudeat. Hinc tertia fere pars ſcripti Arnaldini in eo occupatur, ut appareat, Arnaldum ingenue egiſſe, & ſolius amore veritatis ductum impugnaſſe nova commenta; Mallebranchium vero exacerbatum contradictione Arnaldi fuiſſe, & jam ægre ferre, quod ſua cernat impune contemni. Reliqua, quæ lectorem intelligendæ controverſiæ cupidum cognoſcere intereſt, continentur *epiſtola ad amicum*, & *parte ultima libri in quinque omnino partes diviſi.* In epiſtola Arnaldus tria monet. *Primo;* quicquid Mallebranchius de hac materia ſcripſerit, eſſe adeo & perplexum & debile, ut ad reportandam victoriam id ſibi ſolum curæ eſſe debeat, ut exoret Lectorem, ne gravetur ſuam de Ideis commentationem cum reſponſione Mallebranchii comparare. *Secundo;* Adverſarium jam cauſa cecidiſſe, quoniam antehac promiſerit, ſe victas daturum manus, quamprimum Arnaldus probaverit perceptiones, quas anima noſtra de objectis materialibus habet, eſſentialiter eſſe illorum objectorum repræſentativas. Id enim ſe nullo negotio ad oculum demonſtrare. *Tertio;* non poſſe non pro abſurda haberi ab omnibus, qui ſint mentis compotes, Mallebranchii opinionem de chimærica iſta extenſione, in qua corpora omnia juxta ipſum intellectus noſter cognoſcat. Quo loco lepida & ad riſum comparata narratione exponit, quid diſcipulo cuidam Mallebranchii nuper Pariſiis in congreſſu familiari contigerit. *Quinta libri pars* reſponſionem Mallebranchii accuratius examinat, & XXIV *exemplis* probat, Mellebranchio ubique aquam hærere, nec unquam difficul-

by Google

tatibus ab Arnaldo cum olim, tum jam denuo propoſitis ſatisfacturum eſſe. Unum adhuc memorandum ſupereſt. Objecerat Mallebranchius Arnaldo, quod in capite Theologico de *Gratia*, a communi Eccleſiæ Romanæ opinione ſeceſſum fecerit, affirmando, *Gratiam efficacem, per quam merita Sanctorum ſint dona Dei, eſſe fundamentum gratuitæ prædeſtinationis.* Quod ut nunc refellat Arnaldus, ſeque nihil novi docuiſſe probet, in principio epiſtolæ ſæpius memoratæ, quæ procemii vicem obtinet, poſt allegatam multorum Doctorum Romanenſium autoritatem, potiſſimum ad illum canonem Concilii Tridentini reſpondere ſatagit, in quo damnatam dudum ejus ſententiam fuiſſe Mallebranchius dixerat.

TROIS LETTRES DE L' AUTEUR DE LA Recherche de la Verité, touchant la Defenſe de Mr. Arnauld. &c.

h. e.

Tres Epiſtolæ Autoris libri de inquirenda veritate, concernentes Defenſionem Arnaldi adverſus Reſponſionem ad librum de Ideis.

Rotterodami apud R. Leers, 1685 in 12.

Liceat nobis ab *ultima harum epiſtolarum* auſpicari, in qua Mallebranchius de origine controverſiæ, quæ cum Arnaldo eſt, diſſerit. Accuſaverat Mallebranchium Arnaldus, quod hiſtoriam cœptæ diſputationis perverſe expoſuerit, & eo conſilio falſis narrationibus interpolarit, ut adverſarium rixæ autorem faceret. Quam criminationem ut a ſe repellat Mallebranchius, enucleatius ſingula rei geſtæ capita proponit, & quid illorum diſſimulaverit Arnaldus, notat. *Epiſtola ſecunda* probat, Arnaldum utique errare, cum affirmat *merita Sanctorum per gratiam acquiri, qua non liceat ipſis bene aut male pro lubitu uti;* damnatamque jam olim fuiſſe hanc ſententiam in Concilio Tridentino per canonem IV ſeſſionis VI, non Luthero tantum, & aliis, (ceu vult Arnaldus) qui hominem ſe in converſione habere velut inanime quoddam dixerint, (quem tamen errorem

rorem alienum & olim a Luthero fuiſſe,& nunc a Lutheranis eſſe,Mallebranchius agnoſcit,) ſed omnibus oppoſitum, qui negent, poſſe nos,prout viſum fuerit, gratiam DEI vel admittere vel repudiare. Ex hactenus dictis conſtat, Mallebranchium neque ſecunda, neque tertia epiſtola controverſiam de Ideis pertractaſſe, aut quicquam dixiſſe, quod ad ejus deciſionem faciat. Solam nimirum *epiſtolarum primam* principali argumento deſtinavit, in qua hoc unum ipſi curæ fuit, ut adverſus Arnaldi accuſationem evinceret, *ſe in DEO formalem quandam extenſionem haud quaquam ponere,nec DEUM adeo facere corporeum.* Quæ Arnaldus præterea prolixe ad ipſius librum regeſſit, ea ſilentio præterire viſum eſt, vel quod crederet, maximam illorum partem ad dictam Arnaldi accuſationem referri, vel quod nova reſponſione indigna judicaret, quibus jam olim pluribus ſatisfeciſſet.

NOUVELLES LETTRES DE L' AUTEUR DE LA Critique Generale de l' Hiſtoire du Calviniſme de Mr. Maimburg.

Premiere partie.

h. e.

Epiſtolæ novæ Autoris Criticæ Generalis Hiſtoriæ Calviniſmi a Maimburgio editæ.

Pars Prima.

Villæ Francæ 1685 in 12.

QUi antehac Maimburgianam hiſtoriam Calviniſmi epiſtolis aliquot ad familiares ſcriptis, quas poſtmodum contigit *Criticæ Generalis* titulo in publicam prodire lucem, refutavit, is novo hoc literarum volumine, quod exhibemus, Criticam illam ab accuſatione multiplicis contradictionis & manifeſtæ falſitatis defendere conatus eſt. Significaverat ipſi amicus e Gallia, non pauca eſſe, quæ in memorato libro reprehendantur, & unde colligatur vulgo, & ſtudium diligentiamq; autori,& fidem defuiſſe,levique brachio ipſum attigiſſe, quæ prolixius examinari merebantur, ſed ne in his quidem paucis doctorum ſatisfactum fuiſſe expectationi. Quibus omnibus

etſi crederet Autor non neceſſe eſſe minutatim reſponderi, amici tamen ſui monitis ſe adductum memorat, ut ſingulorum examen ſuſceperit. Et in hac quidem prima parte operis loca conciliat Criticæ ſuæ, quæ ſibi ut contradictoria videntur committi poſſe, ac oſtendit nihil quicquam ſe veri reticuiſſe, aut aſſeruiſſe falſi. Secunda parte olim reſponſurus eſt ad querelam, quod rebus non exigui momenti juſto minus fuerit immoratus. Tertia ſatisfaciet difficultatibus de controverſiis quibusdam fidei, quemadmodum epiſtola 20 ſub finem ſpondet; ubi tamen non diſſimulat, evenire facile poſſe, ut promiſſo de ſecunda aliqua ac tertia parte vel omnino ſtare nequeat, vel eo ſaltem ſerius ſe ob negotia, quæ curanda incumbant, liberet. *Epiſtolas* in univerſum *viginti* numeramus & *duas*, quarum *prima* demonſtrat, facilius eſſe aggredi alios, quam ſe defendere ab aggreſſoribus. *Altera* & ipſa præliminari, cauſas evolvit, quare Autores plerique doctiſſimi ſibi tam ſæpe contradixerint, idque probat inter alios S. Ambroſio contigiſſe. *Tertia* demum ad Criticæ ſuæ defenſionem deſcendit, & in ea primam contradictionem, quæ ſibi objecta fuerat, diſſolvit. Dixerat enim alicubi, *Epiſcoporum eſſe de rebus fidei judicare, non Jeſuitarum*; alibi vero poſtea *his incumbere* ſcribit, *ut, quæ dogmata ſint hæretica, declarent*. Sed huic malo facile remedium invenit, adjiciendo ad priorem propoſitionem voculam *definitive*. Putatum equidem fuit, hac via elabi autorem non poſſe, quod ſolius Pontificis ſit, in rebus fidei jus dicere: veruntamen cum amplius neminem lateat, quantum ſibi Clerus Gallicanus ab aliquo tempore ſumſerit, utique ſe Autor hoc pacto recte extricavit. *Epiſtola quarta* conciliat duos Criticæ textus, quorum alter Arnaldum laudibus non vulgaribus evehit, alter eundem acerbe vituperat. Ita porro contradictiones, quarum reus agitur, in ſequentibus dirimit. Eæ ſunt plerumque exigui admodum momenti. Eſt alicujus decima, & quæ ab epiſtola XIII inde proponuntur usque ad libri finem, de cauſis, quæ cum ſuperiori, tum hoc currente ſeculo, partim Romano-Catholicæ, partim Reformatæ fidei addictos moverunt, ut e caſtris ſuæ religionis ad caſtra alterius mutuo tranſirent.

De hoc epiſtolarum opuſculo ut judicium ferri queat, obſervandum eſt, quod in præfatione Autor monuit, ſe neque antea, cum Criticam ederet, viris doctis ſcripſiſſe, neque nunc iisdem ſcribere, ſed ſolis

lis iis, qui cum non ſint profunde literis immerſi, lectione tamen delectentur illorum quidem librorum tantum, ad quos intelligendos modicæ eruditionis ſupellex ſufficiat. Itaque nec ea ſe ſcribendi ratione uti, qua libros condere homines eruditi ſoleant, quibus æternitatem nominibus fœnerentur. Quibus præmiſſis dicendum eſt, & ſuavitatem quandam ſingularem his epiſtolis ineſſe, & elegantioris eruditionis, qualis in homine non ſcholæ, ſed Principum converſationi apto quæritur, haud vulgaria ſpecimina Autorem dediſſe.

HENRICK VAN QUELLENBURGHS Vindiciæ Batavicæ, ofte Refutatie van een Tractaet van J. B. Tavernier &c.

Amſtelodami 1684 in 4.

INvenimus operi illi, quo itinera ſua per Orientem Tabernarius deſcripſit, quodque e Gallica lingua in vernaculam noſtram Vir quidam doctiſſimus anno abhinc quarto tranſtulit, adjectam narrationem de Batavorum in Aſia viventium moribus, quam Autor privatis potiſſimum injuriis, de quibus ipſe c. I. illius Tractatus perhibet, provocatus concinnaſſe videtur, ut quam alia ratione non poterat, vindictam, crimina & turpitudinem revelando ſumeret. Si tale Tabernarii conſilium fuiſſe, quod ipſius adverſarius, cujus jam ſcriptum ſiſtimus, perſuadere ſatagit, credamus, non tamen recte illico concludemus, quæcunque memoravit, aut omnino eſſe conficta, aut admixtum habere falſi plurimum, niſi id apertius demonſtratum fuerit. Hoc igitur eſt libri, cujus titulum exhibuimus, argumentum. Quellenburgius in totidem capita Reſponſionem hanc partitus, quot Gallus librum ſuum complexus fuerat, pleraque illorum negat, quæ Tabernarius de crudelibus Batavorum factis perhibet, ac diluit, quæ adverſus modum regiminis in Batavia paſſim objiciuntur, calumniisque retorquendo reſpondet. Sic maxima pars utriusque ſcripti altercationibus deſtinata eſt, & ad perſonarum vel laudem vel vituperium pertinet, ut inter eos libros, qui proferendæ eruditionis cauſa conduntur, memorari neutrum fere mereatur. Inſeruit tamen Quellenburgius unum alterumque non indignum ſuis Vindiciis, quarum eapropter mentionem hic facere viſum fuit. Ejusmodi eſt, quod

inſulam, quam a pulchritudine Formoſam Luſitani dixerunt, & modum quo illa olim gubernata fuerit, deſcribit. Dixerat enim de utroque nonnulla Tabernarius, ſed, ut Quellenburgius vult, inepte ac invita veritate. Denique Bataviæ quoque originem, & quo pacto urbs illa paulatim creverit, adverſus eundem perſequitur, adhibitis in relationis ſuæ fidem Gubernatoris cujuſdam Generalis Indiarum, van der Burg, ephemeridibus anni 1618 & ſequentium. Adjecit etiam chartam, qua ſitus univerſi diſtrictus circa Bataviam exhibetur. Sunt & alia præterea paſſim interſperſa, quibus legendis tempus non inutiliter locatur.

JOH. CHRISTOPH. STURMII, MATHEM. ET Phyſ. P.P. in Academia Altorfina, Collegii Experimentalis ſive Curioſi Pars ſecunda.

Norimbergæ apud Wolfg. Maurit. Endterum, 1685 in 4.

POſteaquam ante annos circiter viginti, aliquot ſelectiorum Ingeniorũ laudabile ſciendi deſiderium, Experimentalis Collegii primum aperiundi occaſionem præbuit Viro ſolertisſimo; eorum veſtigia prementes deinceps alii complures, annis ſequentibus poſt ſeptuageſimum quinto nonoque, poſt octogeſimum primo, tertio, quarto, pari ſtudio effecerunt, ut iterata ſingulis vicibus tentamina priora, nova quædam alia, ſive ejusdem, ſive diverſi generis experimenta ſibi adjungerent, quæ vel ab aliis interea temporis inventa, vel ab ipſo collegii hujus Magiſtro excogitata feliciter fuerant. Quemadmodum autem eousque tandem excrevit novorum iſtorum tentaminum numerus, ut priora ſi non exſuperaret, ſaltim adæquaret, rerum varietate certe & uſu, & admirandi naturæ rationisque vires argumento multiplici nihil concederet: ita benevolum & honorificum, quod exteri quoque de primis experimentis tulerunt judicium, ad ſecunda Auctorem excitavit, & quod merx illa prior ſuos ex voto repeririſſet emptores, & Editori ſtimulum addidit, ut partis ſecundæ Collegii Experimentalis editionem meditaretur, & Auctori, ut operi jucundo manum promtus lubensque admoveret. Sic igitur enata eſt hæc Collegii

Digitized by Google

legii Curioſi pars altera, & oculis eruditorum expoſita, in qua *præſentis ævi Experimenta & Inventa Phyſico-Mathematica compluria, ſpeciatim Hygroſtathmicorum quorundam inſtrumentorum, Siphonis reflexi grandioris, Lachrymarum vitrearum, Clepſydrarum & Clepſelaeorum, Tubarum Stentorophonicarum ſive acuſticarum, Hemiſphæriorum Magdeburgicorum, Novæ Potentiæ Mechanicæ, Hydriarum Helmontianarum, Sclopeti Pneumatici Guerickiani, novarumq́; Campanæ Urinatoriæ, Antliæ pneumaticæ, Laternæ megalographicæ acceſſionum &c. phænomena & effecta, ad cauſas ſuas naturales demonſtrativa methodo reducta*, ſumma cum voluptate cognoſcant, ingeniumque ac dexteritatem Sturmii orbi notisſimam deprædicare pergant.

Auctariorum loco in fine ſubjecta eſt epiſtola Sturmii ad Henricum Morum Cantabrigienſem, nec inutiliter nec inconvenienter. Cum enim in plerisque tum prioris, tum poſterioris partis hujus tentaminibus, hypotheſis de aeris virtute elaſtica, ejusdemque & fluidorum elementarium generatim omnium gravitatione, vel confirmata, vel ad effectuum rationes reddendas adhibita fuerit: ea vero alias a plurimis hodie Philoſophis recepta, ex paucis ſuis adverſariis non alium habeat, qui ad labefactandam ipſam aut penitus evertendam, plus ſtudii, & ad onerandam pluribus abſurditatibus, plus zeli & ingenii afferat, quam laudatus Morus, peculiari quodam præjudicio abreptus, de principio aliquo immateriali, per univerſum mundum diffuſo, ac intellectu tamen ſenſuque deſtituto, quod Hylarchicum ipſe vel Spiritum naturæ appellat; ideoque non uno loco Auctariorum partis primæ, Auctor noſter vel contra principium hoc hylarchicum diſputaſſet, vel ad objectiones quasdam reſpondiſſet; Morus vero vicisſim in Enchiridii Metaphyſici, cum operibus cæteris nuper denuo editi ſcholiis, ſparſim ad Sturmiana vel objecta vel reſponſa prolixe quædam excepiſſet: operæ omnino pretium fuit, totam hanc controverſiam excuti, ejusque ſtatu rite formato, argumentis Angli acutisſimi, quibus fluidorum partes alias in alias gravitare negat, & vim elaſticam aeris impugnat, fieri ſatis, tandemque novis exceptionibus nihil firmi ſubeſſe commonſtrari. Quæ omnia more ſuo Sturmius, id eſt ingenioſe & modeſte præſtitit.

TEN-

Digitized by Google

TENTAMEN POROLOGICUM Auctore Rob. Boylio, Nobili Anglo, Societatis Regiæ Socio.

Londini apud Sam. Smith. 1684 in 8.

UTi numeroſisſimi corporum pori minutiores ſunt, quam ut ſub aſpectum cadant; ita eorum ſpeculatio non tanti aut momenti, aut emolumenti videri poterat. Enimvero cum illuſtris Boyle ſecum ipſe reputaret, pleraſque corporum qualitates, adeoque & operationes, pendere a ſtructura minutarum ac ſigillatim inconſpectarum particularum, atque ad latentem hanc contexturam neceſſario molem, figuram, collocationem intervallorum atque pororum, una cum figura, mole, diſpoſitioneque aut textura partium ſubſtantialium concurrere; merito judicavit, doctrinam exilium corporis pororum permagni eſſe momenti, ac Philoſopho naturæ indagatori perquam utilem; immo non dubitavit aſſerere, illuſtrem Verulamium, ſi hæc exilia reſpexiſſet, non infimum locum ſua inter deſiderata porologiæ facturum fuiſſe. Licet autem per alia negotia non potuerit nobiliſſimus Boyle hoc argumentum pro rei (ſiquidem ipſe id præfatur) merito tractare, aut tam fuſe quam conſtituerat, offert nihilominus collectas a ſe notas hoc ſuper argumento, duabus partibus comprehenſas.

In priore parte poroſitatem corporum animalium adſtruxit (1) *ex ipſa ſtabilium in ipſis partium textura & conſtitutione.* (2) *ex nutritione.* (3) *ex ſudore & inſenſibili tranſpiratione,* non ſolum per cutem exteriorem, ſed & membranas, quibus internæ partes, ut jecur, ſplen, renes teguntur. Hic inter cætera adduxit membranas aut cuticulas ſub teſtis ovorum gallinæ, quamvis arctam admodum contexturam habeant, & teſtas, quæ eaſdem involvunt, craſſas etiam ſpiſſaſque urinariarum veſicarum in mortuis animalibus membranas, poroſas eſſe, ac ipſa etiam aqua permeabiles: Sinenſes methodo Europæis ignota ſale condire ova, ut communes in uſus apta perſeverent: aliquem manu ſua oleo chymico madefacta, familiaris ſui, inſcii quid ſubeſſet, manum apprehendiſſe; paulo poſt prehenſum motu quorumdam catharticorum proprio percepto, quater brevi tempore absque dolo-

dolore dejeciſſe. (4) *Ex effluviis*, quæ in internas corporis partes, ut operationes illic ſuas exerceant, per cutem poroſque cutis intromittuntur, ab emplaſtris exterius applicatis, unguentis, pericarpiis, periaptis & appenſis. Inter pericarpia commendat mixturam ex uvis Corinthiacis, lupulis, & nigro ſale ſimul bene contuſis, cujus ope ipſe aliique a ſimplici tertiana, aut etiam duplici tertiana, ac quotidiana febri liberati fuere. Ex appenſis notari merentur tum muſcus cranii humani pro ſiſtendo ſanguine e naribus fluente, tum trochiſci ex bufonibus juxta Helmontii methodum præparati, quos a peſte præſervare teſtimoniis fide dignorum medicorum aſſerit. Ac ut probabilius fiat, effluvia viam ſibi aditumque per poros cutis animalis patefacere, exemplum in cute animalis mortui proponit, cujus poros fumi a liquore (quem præparare itidem docet) celeriter permearunt, atque in convolutum illi metallum egerunt, licet ipſum corium, aut agninum aut ovinum, nec privaretur albedine, nec decolor redderetur, ſulphureas nihilominus exhalationes redoleret. Unde in memoriam Lectori revocat fulmen interdum in crumenis hominum argentum decolorans, crumenis nec ambuſtis nec decoloratis. Porro exempla profert, quibus pateſiat membranas ipſas etiam fumis, ſi ſubtiles ſatis, aut earum poris congrui fuerint, eſſe permeabiles. Non omittendum eſt, quod in militis vegeti, qui junior & ſanus ſicca frequentique tuſſi laboraverat, laqueo ob crimen ſtrangulati corpore diſſecto, obſervaſſe ſe alioſque prodidit. Dum enim vitii, quod ſperaverant, nihil in pulmonibus inveniſſent, internis thoracis partibus inſpectis, in altero laterum pleuram inter ſubſtantiamque intercoſtalium muſculorum, materiam quandam rotundam fere, novumque caſeum firmitate æquantem reſediſſe deprehenderunt, quam unanimi conſenſu pronunciarunt pleuritidis male curatæ fuiſſe reliquias, transmiſiſſeque per poros pleuræ, utut arctæ admodum membranæ, noxia quædam effluvia, quæ irritatos continue pulmones irregulari moleſtoque motu concitarent, tuſſimque producerent. *Neque tantum ſingulas membranas eſſe permeabiles, ſed & corporis partes aggregatas, quæ ob arctiſſimam ſibi invicem adhæſionem unica tantum pars habentur, non deſtitui poris, evincit* tum ex eo, quod in aſcite afflictis, aquæ quæ abdominis cavitatem implet, appropriato medicamento brevi tempore magna copia alvo deturbetur atque

Digitized by Google

urethra interdum; tum quod pulmones aliquando quædam ad diſtantes corporis partes mirabiliter provehant; tum quod quidam hydropicus a ſcirrho ſplenis, ut credebatur orto, ſanatus ſit, qui latiorem ſpongiam in aqua optima ex calce viva intinxit, ſuperfluoque expreſſo liquore, eam ſplenis regioni alligavit, reſoluto ſcilicet ſcirrho. *Ultimo loco oſſa, cornua, ſimilesque ſubſtantiæ partes ſolidiores ſuos habere poros* peculiaribus experimentis oſtendit; ut quod ungues hominum, ac ebur, facile ac permanenter metallinis ſolutionibus tingantur; quod in majoribus cavis oſſibus reperiatur medulla, ſitque veroſimile, ſanguinem ipſum exiguis quibusdam canalibus in ipſam oſſis ſubſtantiam devehi, ita ut ipſi canales aliquo usque in illud producantur, licet is, quem ſecum vehunt, liquor ab interioribus oſſis partibus poſtea imbibi poſſit &c. quod obſervationes diverſis anni temporibus factæ teſtentur, oſſa bovina ſolida & lata integra medullaria, ſat copioſas aeris imbibere exhalationes, easque iterum una cum ſuarum parte emittere, juxta ambientis aeris diſpoſitionem.

In altera libelli parte poroſitatem ſolidorum corporum adſtruit. Rationes petit a priori, ut vocant, tres, ab origine ac formatione ipſa variorum durorum corporum; a magna diſparitate, quæ occurrere poteſt gravitates inter ſpecificas ejusmodi corporum, in quibus oculus poros diſtinguit; ab ipſa figura conſtitutioneque corporum ſolidorum, quippe quæ ex conventione aut coalitione plurimarum diverſæ molis ac figuræ particularum reſultant, inter quas parva quædam intervalla porosque intercipi omnino neceſſe ſit. Quibus argumentis ſubjungit obſervationes, quæ quaſi a poſteriori eandem ſententiam roborant, quarum quædam ſpectant corpora minoris gravitatis ſpecificæ, quædam foſſilia metallinis partibus carentia, quædam mineralia naturæ metallicæ, quædam metalla ipſa, ac vitrum nonnulla. Elegantes illæ ſunt, ut non tranſcribi aliquas, ſed in parvo libello legi omnes facilius ſit atque jucundius.

APHORISMES D' HIPPOCRATE TRADUITS en François, avec des Explications Phyſiques & des Annotations curieuſes.

h. e.

Digitized by Google

hoc eſt

Aphoriſmi Hippocratis in linguam Gallicam translati, una cum Explicationibus Phyſicis & Annotationibus curioſis.

Pariſiis, apud Stephanum Michalet, 1685 in 12.

QUo ſanitatis, omnibus reliquis bonis corporalibus multum anteferendæ major, quam plerumque ſolet, habeatur cura, Autor noſter anonymus apud Gallos ſuos præſenti obtenturum ſe verſione credit Aphoriſmorum Hippocratis, velut Lectoribus mala ea, quorum inſultus omni ipſis momento pertimeſcendus eſt, repræſentantium. Quem in finem omnem eorum ita abſolvit interpretationem, ut hanc non ſolum intellectui perquam exhibeat expeditam, verum utilem quoq; omnibus iis, qui neque Græcam, neque Latinam, ſed Gallicam tantum callent linguam. Aſt cum Aphoriſmus brevem inferat ſententiam adeoque obſcuram quandoque, non abs re Aphoriſmis ſingulis, quorum ſeptem hic habentur ſectiones in duos diſtributæ tomos, perſpicuæ ſubjiciuntur enodationes, maximam partem ex Galeno, Hollerio, Braſavola, Libautio, Fuchſio, Heurnio, Mercuriali, Chriſtophoro a Vega, Oribaſio aliisque petitæ; omni tamen facultate retentrice, expultrice, attractrice aliave ſimili neglecta, quandoquidem rem ejuſmodi terminis ſignificatam, diverſa longe ratione, eaque magis intelligibili poſſe explicari, noſtro Autori cum Recentiorum pleriſque fuit viſum.

Q. CURTIUS RUFUS DE REBUS ALEXANDRI Magni, cum commentario perpetuo & indice abſolutiſſimo Samuelis Pitiſci. Quibus accedunt Mottevayeri de Curtio diſſertatio: Freinshemii Supplementa: Figuræ ex Veterum monumentis ad hiſtoriam Alexandri Magni illuſtrandam depromptæ & illarum Exegeſis: Alexandri Genealogia & Synopſis chronologica.

Ultrajecti, apud Franciſcum Halma, 1685 in 8.

IIs qui in Curtium commentando de literis præclare mereri fategerunt, acceſſit ſtudium *Samuelis Pitiſci*, in hoc potiſſimum occupa-

 tum,

rum, ut poſthabitis variantibus lectionibus & critice moroſa, quam vocat, antiquitatum & phraſeologiæ rationem haberet, & indice velut digito commonſtraret, ubi fuſe pertractata invenire liceat quæ leviter ipſe attigit; quod juvenibus potisſimum prodeſſe ſtuderet, & ſcholaſticum commentarium moliretur. His igitur ut tantò magis arrideret hic labor, eum variis iconiſmis diſtinxit, & figuras complures Alexandri hiſtoriam illuſtrantes ex Veterum monumentis depromptas inſeruit editoris amicus *Henricus Chriſtianus Henninius*, qui & exegeſin earum præmiſit, ac unde quævis petita ſit, quidve indicet expoſuit. Argumenta nova eaque fuſiora ſingulis capitibus præfixa ſunt; Diſſertatio de Curtio ex operibus Gallicis Franciſci de la Mothe le Vayer, ab Henninio in Latinum ſermonem translata, operi præmiſſa. Genealogia Alexandrina, quam a Reineccio adornatam Freinshemius evulgarat; Synopſis item chronologica geſtorum Alexandri ad ductum Curtii a Tellerio concinnata, ſubjectæ ſunt; ac Index verborum locupletiſſimus, diverſus a Freinshemii, Loccenii & Tellerii indicibus in Scriptorem hunc accuratiſſimis, annexus; in epiſtola etiam nuncupatoria *Lexicon Catullo-Tibullo-Propertianum* promiſſum: in quo quia plurimorum Scriptorum veterum loca congeſta eaque illuſtrata, exhibitum iri Auctor promiſit, editioni ejusdem fauſtos natales precamur.

JOANNIS NIXDORFF, JCti GEDANENSIS, Opuſcula Juridico-Practica, Regnum Poloniæ terrasque Pruſſiæ Regalis concernentia.

Dantiſci, ſumtibus Simonis Beckenſteinii, 1685 in 12.

FOrmam proceſſus judiciarii ac ſtylum curiæ in Regno Poloniæ terrisque Regalis Pruſſiæ vigentem, quinque diſtinctis tractatibus, faſciculo hoc comprehenſis, delineare propoſitum fuit Autori: quorum quidem duo priores jam anno 1654 & 1655 in lucem editi, nunc tantum locupletiores paulo prodeunt, reliqui tres vero jam primum juris publici fiunt. Ac *primus* quidem dictorum quinque tractatuum Compendium ſiſtit Proceſſus judiciarii Poloniæ Prusſiæque Regalis, qui ipſe licet a communibus Proceſſus noſtri regulis haud parum diſcrepet, nihilominus cum & ibi non niſi brevisſimis traditus reperiatur,

riatur, vel ideo a nobis hic commemorari non potuit, ne aut totum exſcribentes prolixitatis; aut compendii compendium facere ſuſcipientes obſcuritatis notam incurreremus. Cæterum occurrunt in eo paſſim termini forenſes, quos aliarum terrarum tribunalia aut ignorant plane, aut certe ſuppoſitione perquam diverſa adhibent. Sic v. g. *Inſtantia* ibi vocatur, quicquid in quolibet judicii termino obtinetur; *Evaſio* eſt amiſſio cauſſæ; *Lucrum* dicitur, cum Actor deſiderium ſuum impetrat; *Perlucrum*, quicquid poſt lucrum obtinetur; *Aſtitio* eſt ſatisfactio pro facta condemnatione; *Rumatio* ejectio ex bonis; cauſæ *Kapturales* vocantur, quæ tempore *Kapturæ* ſeu Interregni in judicium deducuntur; *Motio* denique idem eſt, ac ipſa appellatio; ut alia complura hujusmodi afferre omittamus. *Secundus* Tractatus agit de Tribunalitio Regni Poloniæ judicio ejusdemque Regeſtris. Inſtitutum primo fuit hoc judicium anno 1578 in Comitiis Warſavienſibus a Republica Polonica univerſa, Rege nimirum, Senatoribus & Nunciis terreſtribus, tanquam tribus illis membris, ex quibus totum hujus Regni corpus componitur: conſtat vero ex certis a Nobilitate electis ac deputatis judicibus, ac ſumma pollet autoritate, utpote a quo ulterius provocari nequit; celebraturque tempore quidem hyemis Petricoviæ, per æſtatem vero Lublini, prout hæc omnia fuſius & ex profeſſo in tractatu hoc traduntur. In ſpecie vero occupatus eſt Autor in commemorando hujus tribunalis *Regeſtro*, hoc eſt, codice, quo continentur cauſæ, quas in judicio hoc decidere fas ſit; cujus quidem rei quantopere habenda ſit ratio, vel inde apparet, quod exceptionem Regeſtri idem operari, quod exceptionem fori incompetentis, ibidem perhibetur. Cæterum appendicis loco huic tractatui adjiciuntur quoque Regeſtra tam Comitialium, quam Regiorum Judiciorum: illorum quidem ex Conſtitutione Regni anno 1641 lata: horum vero ex Ordinatione Judiciorum Regiorum, quæ a Commiſſariis Regiis, nempe Joanne Malachowski, Epiſcopo Culmenſi ac Pomeſaniæ, Regni Vicecancellario, & Joanne Wielopolski, Cancellario Regni concinnata, & anno quidem 1680 a Rege, anno vero 1683 ab omnibus Regni Statibus & Ordinibus, ut lex perpetua Regni, approbata fuit, ac tractatui huic integrá ſubjicitur. Sequitur *tertio* loco tractatio de citatione literali: de qua quid ibi terrarum inprimis ſciendum ſit, breviter & methodice traditur, allega-

tis ubique optimis Autoribus ac Conſtitutionibus regni Polonici. Subjiciuntur etiam huic perinde, ac præcedentibus duobus tractatibus ſuccinctæ ac perſpicuæ tabellæ ſynopticæ, quæ contenta eorundem uno quaſi conſpectu exhibentes, indicis vices commode ſupplent. *Quartus* in ordine Tractatus Syſtema formarum judicialium, uti *quintus* formarum extrajudicialium, in judiciis equeſtribus terrarum Pruſſiæ regalis uſitatarum ſiſtit: quorum illud quidem actuum plerorumque in foro obviorum formulas conſuetas continet, eo ordine, quo Compendium Proceſſus judiciarii, de quo initio diximus, conſcriptum eſt, utpote cujus etiam quaſi commentarium eſſe voluit autor: hoc vero, extrajudicialium ſcilicet formarum ſyſtema exhibet formulas in variis pactis atque contractibus ineundis ibi locorum adhiberi ſolitas, eo fere ordine digeſtas, quo Inſtitutiones Imperiales ſunt conſcriptæ. Promittit denique Autor in præfatione hiſce opuſculis præmiſſa, farraginem Actionum in Judiciis regni Poloniæ uſitatarum a ſe proxime edendam, & methodo quidem, ut ait, Svendendorffiana: de quo opere, ſiquidem promiſſis ſteterit, ſuo tempore plura dicere non omittemus.

ADAMI ADAMANDI E SOC. JESU KOCHANſki Sereniſſ. Polon. Regis Mathematici, Novum genus Perpendiculi pro Horologiis Rotatis portatilibus. Vulgarium Elatere vibrante inſtructorum Nova Diſpoſitio, & ex hac ſuprema Perfectio.

Ex Epiſtola ad Actorũ Collectores d. 8. Aug. a. 1685 ſcripta.

NOvum appello Perpendiculum iſtud Magneticum, quia hactenus inuſitatum, tametſi illud a me fuerit excogitatum Moguntiæ anno Sal. 1659, ac etiam in P. Caſp. Schotti *Technica Curioſa* libro IX, qui totus a me in gratiam Auctoris id flagitantis conſcriptus fuerat, indicatum ſub facili ſteganographia, clavem ſuam ultro commonſtrante, quæ habetur citati libri propoſitione 31. pag. 692, ſub iſtis characteribus,

RGT. TCO. MME. RIP. NAE. INS. ATE.

Quæ legentur, *per magnetis tractionem*, ſi diſpoſitis 21 punctis, tertio cuique,

Digitized by Google

cuique, inchoata a primo numeratione, characteres, ut jacent, adſcribantur.

Ad hoc porro inveniendum manuduxerat me alia quædam obſervatio mea, & quidem (ut quod res eſt fatear) plane fortuita, videlicet aptitudo perpendiculi communis ad reddendum regularem horologii vulgaris curſum, antequam quidquam inaudiviſſem, illud a Cl. *Hugenio* ad idem applicatum fuiſſe. Cum enim nactus fuiſſem horologium quoddam portatile, in quo altera medietas librilis, in duo velut cochlearia (ut mos erat antiquior) efformati, caſu quodam abrupta fuerat, obſervavi alteram medietatem ſuperſtitem, & axi ſuo cohærentem, veloces quidem, ſed tamen uniformes, in ſitu debito, vibrationes peregiſſe; ac tum mihi venerat in mentem *Galilæi* pendulum, quo illum in dimetiendis temporibus uſum fuiſſe, alicubi legeram, ac etiam ipſus ego fueram expertus.

Conſimilis quoque caſus me circa annum 1672 deduxerat ad uſum elateris, in reddendis uniformibus vibrationibus librilis in horologio portatili. Obſervaveram enim in quodam horologio pervetuſto, ac uſu jam detrito, librile illius plumbo liberaliter affixo prægravatum, dum in geminas ſetas tenues, atque multum flexibiles, fortiter inter vibrandū impingeret, vibrationes æquidiuturnas, quamvis eas perquam incitatas conſecutum fuiſſe. Quæ non idcirco percenſeo, ut horum inventorū laudem in me transferre velim, ſed ut eruditis conſtet, res omnium oculis expoſitas, applicationes ad uſus minus obvios, nobis etiam incogitantibus, velut ultro ingerere ſolere; cujus rei complura exempla alio tempore producam, neſcio an a quopiam obſervata.

Jam vero penduli magnetici ad horologia rotata applicationem mihi peperit analogia gravitatis, & ſituativitatis, hoc eſt magnetiſmi, quocunque tandem modo utraque operetur; ſive extrinſeca quadam vi attractiva, ſive interno partium homogenearum ad ſua tota accurſu. Obſervaveram enim, acus etiam magneticas, pro varia mole ſua, nec non admoti magnetis diſtantia, vibrationes magis aut minus veloces, ac fere æquidiuturnas peragere. Quocirca theoriam hujus rei, prædicto anno mente conceptam, non prius quam anno ſal. 1667, ad praxin deduxi Florentiæ, ac etiam ipſummet opus Sereniſſ. Ferdinando II M. Duci Hetruriæ, Mecænati meo ſingulari, ſpectan-

ſpectandum exhibui; cujus experimenti rationem modumque paucis ſubjicio.


TAB. X. Fig. I. In adjecta figura . . . . . circulus A B C D refert eam horologii portatilis faciem, indici oppoſitam, circa quam librile, vel pendulum reciprocatur: A B eſt fruſtulum magnetis validum: E F G pendulum magneticum e chalybe; cujus axis, & polus vibrationum, intelligatur E punctum: C D, eſt antiſacoma e metallo quodam a chalybe diverſo, factum, & æquilibratum cum toto pendulo chalybeo E F G ſibi oppoſito. Punctum F, quod eſt centrum totius ſyſtematis horologi ABCD, intelligatur eſſe in figura . . . . . axis FH, *TAB. X. Fig. II.* circa quem, vel verius cum quo, totum illud ſyſtema appenſum in cardinibus H & F, intra ſuam pyxidem libere convertitur.

Hæc dico ad faciliorem intelligentiam: commodioris enim uſus erit hæc conſtructio, ſi horologium cum tota ſua pyxide argentea KL gyrari poſſit intra thecam extimam, cryſtallo MHN inſtructam, in cujus centro H terebrata cavitas, polum H excipiat, alter autem F illi oppoſitus, & in argentea pyxide firmatus, in extima theca volvatur, Ante omnia tamen totum horologii ſic appenſi corpus, ob magnetem BA, parte una prægravantem, ad æquilibrium erit reducendum; non modo ſic diſponendo partes horologii graviores, ut in oppoſito magneti ſitu collocentur; ſed etiam ſupplendo, quod deeſt, plumbi, vel alterius metalli adjectione.

Poſita igitur hac, vel alia conſimili ſtructura, illud ea neceſſario conſequimur, ut vibrationes penduli magnetici E F G, nihil prorſus incommodi capiant, etiamſi totum horologii, in axe HF pendentis, corpus cum exteriore theca MNO in quamcunque partem convertatur, vel agitetur; quandoquidem impetus iſte violenter impreſſus, qui alioquin vibrationes penduli magnetici turbaret, in polis H & F frangitur, ac perit, niſi forte ſit paulo vehementior, & horologii rotationem inducat, quæ tamen plerumque curſum penduli non impedit, nec inter geſtandum contingere ſolet.

Cæterum minime diſſimulanda mihi videntur duo incommoda hujus Penduli Magnetici, utut curioſe perelegantis: quorum *primum* eſt, quod horologium iſtiusmodi propter magnetis fruſtum (poſſet tota pyxis interior e ſolido magnete formari) & ejus antiſacoma nonnihil ponderoſius efficiatur; quamvis illud, prout experientia

TAB. X.
ad A. 1685. p: 430. ſqq.



Digitized by Google

Digitized by Google

entia didici, curſum habeat admodum regularem, qui tamen pro exigentia rei tardior vel celerior reddi poteſt, ope lamellæ chalybeæ, magnetem BA ſuperne operientis; hæc enim ſi propius admoveatur pendulo EFG, magnetemque plane contegat, ejus activitatem refringit, motumque penduli tardiorem efficit; ſi vero eadem lamella magnetem retegat, eam verſus ambitum BA nonnihil reducendo, tunc magnes violentius pendulum trahit, ac vibrationes illius accelerat.

Alterum incommodum, cui pendulum iſtud magneticum ſubjacet, eſt, quod ſi toti horologio admoveatur exterius, caſu vel induſtria, ferrum aliquod grandius, lamina, gladius, claves &c. magnetis in hæc corpora activitas remittat eam vim, quam in pendulum exerebat, ac proinde curſum illius nonnihil tardiorem efficiat. Id quidem facile præcaveri poteſt, hæc ipſa tamen attentio nonnihil oneris imponit horologii geſtatori; ſicut & hoc alterum, ne dum pendulum ſuo loco inſeritur, ipſummet magnetem, vel ejus operculum chalybeum, propius attingat; ſic enim pendulum animatur in vibrationes multo velociores quam antea; nec dubito, quin ipſe magnetis ac penduli diverſus ſitus, ad telluris, tanquam grandis magnetis, polos, aliquam in illius vibrationes, licet forte non valde ſenſibilem differentiam inducat. In magnete meo ſic poli magnetici erant diſpoſiti, ut ſuperficies BA eſſet æquatori magnetico parallela adeoque axi illius perpendicularis, ita ut polus magnetis ſuperficie BA terminatus, ad borealem telluris polum accurreret, libertati ſuæ relictus; id quod legibus magneticis eſt conforme; ſi quidem index horologus plerumque zenith reſpicit, in menſa collocatus.

Jam vero inventum iſtud *appenſionis totius horologii in axe ſuo, axi penduli parallelo*, inſigni utilitate transfertur etiam ad horologia hujus temporis portatilia, videlicet elatere vibrante inſtructa: hac enim ratione vibrationes eorum nihil incommodi patiuntur, nec in ſua motus æqualitate ullatenus turbantur, quemadmodum ego nonnullis automatopœis ipſamet experientia demonſtravi, & horologium geminum hac arte, directore me, conſtructum, cuivis exhibere poſſum. Alioquin hoc artificio ſublato, horologium portatile, quantumcunque regulari motu præditum, ſi vel data opera manu agitetur reciprocando, circa axem imaginarium, indici horologii

 per-

perpendicularem, vel inter ambulandum ſimiles impulſus in ſacciperio recipiat, adeo vibrationes ſuas præcipitat, ut intra tempus unius quadrantis horarii, duos & amplius percurrat.

Ad perfectionem quoque horologiorum portatilium pertinere judico, ut ea non temere, quemadmodum plerumque faciunt artifices, ſed ad numeros aſtronomicos ſupputentur, ac vibrationes ſuas peragant. Habeo equidem tabulas aliquot eos in uſus methodice ſupputatas, quas *Cogitatis & Inventis meis Polymathematicis* reſervo: hic ſufficiet ſpeciminis gratia exhibere geminum horologium portatile rotarum quinque; in quorum uno geminæ vibrationes compoſitæ reſpondent uni ſcrupulo ſecundo horario, adeoque tales 7200 horam unam conſtituent: in altero tres vibrationes, minutum ſecundum æquant, hinc earum 10800 uni Horæ reſpondebunt. In utroque rota II ſemel convertitur intra horam, & axe ſuo, cui index affixus, minuta prima commonſtrat: rota vero IV, ab artificibus coronata dicta, ſexagenas intra horam converſiones efficit; hinc ambitu ſuo, in quo armillam quandam mobilem, & in 60 partes diviſam circumfert, minuta ſecunda indicat.

Pro Vibrationibus Horariis 7200.	*Pro Vibrationibus Horariis* 10800.
72. I. ſemel horis 6.	72. I. ſemel horis 6.
60. II. 12. ſemel in hora	64. II. 12. ſemel hora 1.
56. III. 8.	60. III. 8.
48. IV. 7. ſexagies hora 1.	60. IV. 8. ſexagies hora 1.
15. V. 6.	21. V. 7,

Numeri Latini utrobique rotas indicant, a maxima ſumpto initio. Numeri barbari ſiniſtimi, computant earundem dentes; dextimi vero, dentes tympani, ſingularum axibus affixi.

Concludo hunc diſcurſum gemino problemate, quod ante aliquot annos, automatis chronometris, tam portatilibus, quam ſtabilibus ad majorem perfectionem promovendis excogitavi: ſed utriusque prolixior explanatio alteri tempori, locoque reſervanda erit.

PROBLEMA I. Artificium tale condere, ut quilibet rudis homo, puer, fœmina, immo cœcus ipſe, rotulas horologii quamvis minutas,

nutas, in dentes imperatos, eosque ſubtiles, exactiſſime incidere poſſit; & quidem rotas neque prius torno laboratas, neque præviis, ut moris eſt, diviſionibus diſpunctàs; & inſuper eadem opera plures ſimul, adeoque magno laboris,& temporis compendio.

PROBLEMA II. Docere artificium formandi torno conum illum vel turbinem, ſpiraliter inciſum in ambitu ſuo, quo chordam vel catenulam excipit; & quidem tam apte, ut hæc inciſio, quamvis prompta & facilis, exactiſſime conveniat difformi dati elateris tractioni, eamque temperet, & æqualem in motu horologii reddat; quod alioquin artifices, nonniſi repetito tentamine, eoque ſat operoſo, vix conſequuntur: id autem præſtari poterit ad datum quemvis numerum revolutionum ſpiralium in turbine. Sed de his & aliis, alias.

NOVA RATIO AERIS PONDERANDI INVENTA a Bernoullio Math. Baſileenſi.

Excerpta ex Ephemeridibus Pariſienſibus d. 31 Jul. 1684, & ex Gallico in Latinum traducta.

CUm multa paſſim ab eruditis inventa ſint inſtrumenta aeri ponderando, hactenus tamen omnibus palmam præripuiſſe viſus eſt ingenioſiſſimus Boyle. Lagunculas ovi vel pilæ minoris magnitudine, & collo tenuiſſimo inſtructas, eo quo ex fornace prodeunt momento hermetice ſigillari is facit. Poſtea cum refriguere, pondus accurate explorat, particulaque defracta, ut aer intrare queat, rurſus illarum gravitatem adjecta illa particula examinat, hacque ratione aeris, qui ingreſſus eſt, gravitatem facile deprehendit.

Non tamen defuere qui in tam nobili invento quædam deſiderarent, nempe quod nimis exigua aeris portio examini ſubjiciatur, ut adeo in proportione ad majorem partem inſtituenda facilis ſit lapſus; quod ſi vero majoribus vitris utaris, ob gravitatem illorum vix minimi ponderis acceſſio deprehendi queat. Experientia enim conſtare, ſi trutinæ aurificis decimam grani partem imponas, manifeſto illam inclinare, cum tamen ſi utrique lanci unam vel duas uncias adjicias, vix decem duodecimve grana ſuperimpoſita illam tam manifeſte in alterutram partem declinare faciant. Præſertim vero urgent quan-

 titatem

titatem aeris laguncula ejecti liquido deprehendi non poſſe, ut exinde ad comparationem gravitatis ejus cum reliquis corporibus progreſſus fieri queat. Reſtabat ergo, ut ratio iniretur majorem aeris quantitatem ponderandi, ut tamen gravitas vaſis non impediret, quo minus trutina tam libere moveretur, ac ſi nullum plane pondus impoſitum foret. Id reperiſſe creditur Bernoullius mediante receptaculo ſatis grandi, cujus gravitatem in aqua explorat, & poſtea aere ope antliæ exhauſto, examen repetit. Modum vero procedendi ita delineat.

TAB. X. Fig. III. Seligendum eſt recipiens inſignis magnitudinis A, cujus orificio epiſtomium B cum tubulo C firmiter jungendum, poſthæc infra orificium cingendum eſt circulo ferreo ſatis largo D, cujus extremitates ſurſum reflexæ ſint, ut impoſita decidere prohibeant. Quatuor partibus hujus circuli æquali diſtantia jungendæ ſunt laminæ ferreæ ſatis craſſæ E E, quæ in imo decuſſatim ſe implicent, ut in illis uncus lancis F requieſcat; hæc vero tanto pondere gravanda eſt, quod recipienti aquæ immergendo ſufficiat. Satius tamen eſt in defectu hic peccare quam in exceſſu, cum facilius adjici aliquid ponderi queat, quam detrahi.

His præmiſſis recipiens cum omni apparatu demittendum eſt in vas G aqua fere plenum. Tria vero ſerici fila immittenda anſis aa, in tubulo ſupra epiſtomium B eminentibus; filorum horum extrema alliganda ſtateræ ſubtili & accuratæ, cujus ex altera parte lanx H dependeat, cui tantum ſaltem ponderis eſt imponendum, ut gravitati aeris recipienti incluſi reſpondere queat, quatuor nempe ſexve drachmæ, aut uncia ſecundum recipientis capacitatem. Poſthæc ſemper magis onerandus circulus D, donec totum recipiens cum tubulo & epiſtomio aquis immergatur, & exacte cum ſacomate lanci H impoſito in æquilibrio conſtituatur.

Exinde binis digitis leniter elevandum eſt recipiens, quo orificium tubuli aquis extet usque ad C, & aqua quæ in concavitate epiſtomii eſſe poterat, mediante arundine accurate exhaurienda, omniaque probe ſiccanda, ne cum epiſtomium converteris, gutta in recipiens decidat.

Poſthæc aerem per antliam I quantum fieri poteſt ex recipiente extrahere oportet, & ne ſitum perpendicularem recipientis antliæve mutare neceſſe ſit, adhibendus erit ſipho incurvatus K, qui cera hinc tubulo recipientis, illinc antliæ accurate jungendus.

Ex-

Exhauſto aere verſandum eſt epiſtomium & aditus aeri obſtruendus, inde ſolvendus ſipho K, & cera ſollicite abradenda a tubulo C: quod ſi vero aliquam particulam forte reſtare contingat, non tamen credendum eſt pondus recipientis mutatum iri, reſpectu ad gravitatem univerſæ maſſæ, æquali aquæ quantitati impoſitæ habito; vix enim centeſimam grani partem conficiet, ob nimis exiguam differentiam inter aquæ & ceræ gravitatem ſpecificam.

Inde recipiens rurſus aquæ immergendum eſt, & ex pondere lancis H, tantum detrahendum, donec in exacto cum recipiente æquilibrio ſubſiſtat, & quicquid inde detraxeris, manifeſtum aeris exhauſti faciet pondus. Tandem totum recipiens extrahendum, & circulus D cum laminis E & lance F auferendo, ipſum vero recipiens rurſus immergendum, ita ut inverſum jam ſit & collum primum immergatur, & concavitas tubuli C aqua repleatur, poſt verſandum epiſtomium tubuli, ut aqua aſcendere queat locum aeris exhauſti occupatura, quæ quidem ſuperficiem aquæ exterioris transcendet, unde profundius ſemper immergendum eſt recipiens, donec aqua quæ intrat, eadem altitudine ſit cum exteriore, alias neutiquam exacte occupatura aeris extracti ſpatium, obſtante aere qui remanſit, & rarior factus eſt, quam naturaliter eſſe ſolet, ut notum eſt illis, qui regulas virtutis elaſticæ aeris norunt.

Cum vero aqua recipiente incluſa ad libellam erit exteriori, invertendum eſt epiſtomium tubuli, recipiens extrahendum, partes ejuſdem exteriores probe ſiccandæ, ipſum vero cum aqua prius, poſtea eadem effuſa accurate ponderandum, ut de aquæ effuſæ pondere conſtet, quod poſtea comparandum eſt illi, quod detractum eſt ex lance H, ut adæquata proportio gravitatis inter aerem & aquam eruatur.

Objici poterat, hanc ponderandi aeris rationem minus eſſe accuratam, cum aqua vaſis, dum librationi recipientis reſiſtit, impediat ſtateram, quo minus minutiſſimas quasvis diverſitates ponderis ſuo motu indicet, licet alias non nimio onere gravata ſit.

Huic objectioni Bernoullius reſpondet, verum quidem hoc eſſe, ideoque plus ponderis imponendum lanci H, quam quidem neceſſe futurum erat, ſi illud ad quod pondus iſthoc examinari debebat, in aere ſuſpenderetur. Sibi tamen perſuadet, minori pondere hanc aquæ repugnantiam vinci, quam frictionem axis, ex gravitate ejusmodi recipientis reſultantem, ſiquidem in aere ad lancem oneri tanto citra inclinationem ſuſtinendo parem librari debeat.

EXA-

EXAMEN PONDERATIONIS AERIS PER VEſicam a Bernoullio Baſileæ inſtitutum & Abbati de la Roque transmiſſum.

Excerptum ex Ephemeridibus Pariſ. d. 19. Junii 1685.

Antequam novam iſtam machinam aeri ponderando inſervituram, quam in Ephemeridibus publico communicaſti, tibi transmitterem, cum cura alia hujus generis inventa magis recepta examini ſubjeci, & hæc inter illud, quo mediante veſica aeris gravitas exploratur, cujus & experimentum *Ricciolus*, *Sturmius* Altorfii, & alii denique complures inſtituere, & rationem ipſe *Boyleus* in prolegomenis paradoxorum hydroſtaticorum defendere velle videtur. Poſt tantorum virorum adprobationem non ſine ſtupore Lector intelliget, ſecundum principia hydroſtatica veſicam inflatam non gravioris eſſe ponderis, quam complicatam, licet aerem gravitate haud deſtitui præſupponas.

Manifeſtum eſt, laguncul am aqua plenam neutiquam majus pondus in lance ſtateræ exprimere, quam faceret, ſi aqua in lancem effunderetur, & huic adinjiceretur lagúncula vacua. Eadem fere ratio eſt veſicæ inflatæ, ex qua aer exprimitur. Illa enim ſi contrahatur, mediante iſthac contractione, tantum ſpatii aeri effugienti relinquit, quantum in veſica antea occupaverat. Ut adeo eadem ſemper aeris quantitas in lance ponderetur. Ne vero quis aliter ſe rem habere exiſtimet, ſi veſica brachio ſtateræ aut infra lancem alligata fuerit, concipiatur animo columna perpendicularis aeris quæ veſicam iſtam in ſe contineat, & juxta illam, alia adhuc columna ex aere conſtans, ejusdem altitudinis & circumferentiæ, quæ priorem elevare conetur. Certum eſt ex principiis hydroſtaticis, veſicam licet ponderæ univerſæ columnæ, qua continetur adjutam, non poſſe brachium ſtateræ declinare facere, niſi tantum, quantum veſica æqualem aeris portionem gravitate ſuperat; ergo alteri lanci non niſi tantum ponderis imponendum eſt, quantum exprimendæ huic diſparitati ſufficit. Omnis enim aer prioris columnæ, tam intra quam extra veſicam conſtitutus, aliquid efficere per alteram illam columnam juxta exiſtentem impeditur. Ut ergo certior fierem, utrum his rationibus eventus reſponderet, porci veſicam mediante folle aere naturali implevi;

nec

nec enim os admovere volebam, quod aer inde procedens multas partes aquoſas admixtas habeat. Poſthæc orificium veſicæ apertum reliqui, ut ex communicatione aëris incluſi cum exteriore, certus eſſem, non illum magis quam hunc compreſſum eſſe; poſtea veſicam cum chartæ folio brachio ſtateræ accuratiſſimæ appendi & pondus exploravi. Quo facto aerem expreſſi, involutis chartæ iſti digitis, ne pinguedine inficerem, & rurſus ſtateræ veſicam impoſui. Ubi quidem revera reperi bina eam grana minus ponderis efficere, quam antea, ſed diverſitas iſthæc minor erat, quam ut ex aeris expreſſi pondere ortam crederem. Etenim comparatione inter veſicam & phialam vitri, cui incluſum aerem antea ponderaveram, inſtituta, ad minimum 14 aut 16 grana conficere debebat; unde concluſi differentiam hanc binorum granorum adſcribendam eſſe exhalationibus, quibus concavitas veſicæ ſemper abundat; hæ enim ſimul cum aere, dum hic ejicitur, effugiunt, cujus rei fidem facit ingratus odor, quem ſi nares propius admoveas, exhalat.

Quo vero certius evincerem, neutiquam aerem veſica ejectum diverſitatem hanc inducere, ſecunda vice eandem implevi aere, adminiculo follis, ſed tantum aberat, gravitatem ejus inde augeri, ut potius grano minus penderet, idque eveniſſe credo, quod per contrectationem veſicæ, ventumque quem follis adſpirat, ſemper particulæ quædam pingues & volatiles ſeparentur, inque aerem abeant.

Facile ergo ex dictis efficitur, illos, qui huic aeris ponderandi rationi inſtiterunt, coactos fuiſſe, longe minorem ei, quam revera habet, gravitatem tribuere. Unde P. Ricciolus aqua decies millies leviorem facit, & Boyleus experimento per veſicam facto innixus, ut minimum 7500 aqua leviorem cenſuit. Firmum ergo manet, omnes, qui aeris pondus explorare contendunt in vaſe, quod non eandem ante & poſt evacuationem extenſionis quantitatem retinet, ſummopere falli, ne Ariſtotele quidem excepto, qui ex illorum numero fuit.

COURS D' ARCHITECTURE. SECONDE ET troiſieme, quatrieme, cinquieme & derniere parties. Par M. François Blondel &c.

hoc

hoc eſt

Franciſci Blondelli Curſus Architecturæ, pars ſecunda & tertia, quarta, quinta & ultima &c.

Pariſiis apud Autorem, anno 1683 in fol.

EX quo Ludovicus XIV Galliarum rex, ſub finem anni 1671 Pariſiis academiam inſtauravit, provehendis architecturæ civilis ſtudiis, perficiendæque elegantiſſimæ huic arti, quæ gentibus politioribus maximo ſemper habita eſt in pretio: clariſſimus ***Blondellus***, academiæ huic a magnificentiſſimo conditore director datus, uſibus ejusdem Curſum Architecturæ, duabus partibus praxin & theoriam artis attinentia complexurum, ſcribere inſtituit; quas deinceps etiam per aliqua annorum intervalla typis expoſuit publicis.

Prodiit vero ***prima pars*** anno jam 1675. totaque praxi deſtinata præter pauca ***libr. 1*** de origine, incrementis, partibus & ordinibus architecturæ generatim & ὡς ἐν τύπῳ tradita, reliquis ***quinque libris*** ſingulos quinque columnarum ordines, juxta ſcita ***Vitruvii***, & ubi hic obſcurior eſt, ex optimis ejusdem interpretibus, ***Philandro***, ***Barbaro***, ***Cataneo***, ***Serlio***, ***Alberto*** accurate adornare docens, perfectum præceptorum ſyſtema conficit. Idemque etiam, ne ſoli ***Vitruvio*** lectorem mancipare videatur, ad leges & placita præſtantiſſimorum ex recentioribus architectis triumvirorum, ***Vignolæ***, ***Palladii***, & ***Scamozzii***, diſtinctis ubique capitibus & ſchematiſmis æri inciſis exſequitur.

Alteram, aut verius quatuor poſteriores (ſic enim ***Autori*** opus partiri viſum eſt) annus 1683 ***duobus tomis*** publico dedit: quos tamen, quod hoc demum anno ad nos perlati ſint, inter Acta nunc demum referre licuit. Uterque ***tomus*** duas partes continet: quibus univerſis ***Autor*** jam particulatim diffuſiusque examinat, & inter ſe committit præcepta architectorum prima parte tradita: ut cognito eorum conſenſu aut diſſenſu decidi queat, quid eorum univerſaliter recipi poſſit, quid minus; ſimulque guſtus non ſolum aliquis haberi, qua ratione tradita ad uſum debeant referri; ſed vel maxime judicium ferri certum de iis, quæ Autor huic alteri parti inſeruit, puta proportionibus ordinum invicem ſuperſtructorum, menſuris intercolu-

columniorum, tam porticuum ſimplicium, quam arcuatorum aut cum antis conſtructorum; portarum, feneſtrarum, forulorum, & partium hujusmodi complurium aliarum. In ſpecie

Parte II Libr. I de origine columnarum ut & ordinum diſquirit: columnarumque & capitulorum figuram ab iis populis derivandam conjicit, qui, ut benemeritorum ad poſteros tanto luculentius duraret memoria, erectis ſuper ſepulchra demortuorum lapidibus (columnis, pyramidibus, antis, obeliſcis,) nomen & facta mortui inſcripſerint: hosque deinceps credit monumentis iſtis urnas, cinerum conditoria, ſuperpoſuiſſe, arcendis tempeſtatum injuriis latere undiquaque prominente clauſas; easque ipſas referre capitula ſingulorum ordinum, itidem latere, qui hodie abaci nomine veniat, coopertas; naturali urnarum figura ab ornamentis capitulorum (elegantiæ cauſa circumjectis) nihil imminuta. Deinde altitudinem, craſſitiem, contracturam, varias columnarum formas, baſes & capitula contemplatur. Lib. II de ſtylobata, ejusque altitudine & partium menſuris; pari ratione Lib. III de trabeatione ejusque origine; de trabeationibus, ſine columna, interioribus porticuum, figura trabeationum & feneſtris; Lib. IV de epiſtylio; Lib. V zophoro; Lib. VI coronice ſingulorum ordinum varia; Lib. VII de frontiſpiciis, eorum altitudine, vitiis & acroteriis; Lib. VIII de antis, caryatidibus, variisque ſtructurarum ornamentis; pyramidibus, obeliſcis, tropheis, Autor agit: capiteque penultimo hujus libri non ineleganti diſcurſu diſceptat, quo habitu figuræ, ſtatuæve hiſtoriam aliquam repræſentantes effigiari debeant aut ſculpi, antiquo an præſentis temporis: non diſſimulato erga gentilitium h. e. Gallicum veſtium cultum, pluribus hodie Europæ nationibus unice quæſitum æſtimatumque, affectu.

Partem III Libro I orditur a periſtyliis templorum diverſi generis, & inde ad intercolumnia itidem varia progreditur, regulasque tradit diſtribuendorum in coronice mutulorum: eadem porro juxta *Vitruvium* & ſupra memoratos Triumviros fuſe recenſet & delineat; plurimis etiam circa Scamozzii intercolumnia animadverſis. His jungit doctrinam de columnis jugatis, ſive duplicatis. Lib. II de ratione diſſerit, qua diverſorum ordinum columnæ ſuperſtrui ſibi de-

Digitized by Google

beant, & an quinque ordinibus ſextus aliquis diverſus a prioribus addi poſſit: fruſtraneos innumerorum fuiſſe conatus queſtus, qui propoſitorum a rege præmiorum magnitudine illecti, inveniendo novo ordini Gallico (iſtud enim cognominis gloriæ gentis hujus laturus fuiſſet) ingenii aciem nequicquam hactenus intendiſſent. Inde, qua ratione axes columnarum ſuperſtructarum ſibi reſpondere, quæque proportio ipſarum Columnarum in diverſis tabulatis eſſe debeat, differit. Et hoc argumentum Lib. III juxta Architectos præmemoratos, plurimaque operum utriusque ævi exempla, ratione ordinationis ſtylobatæ, columnæ & trabeationis perſequitur; indeque ad determinandas partium habitationis, tabulatorumque altitudines, juxta diverſorum Autorum præcepta digreditur. Lib. IV & V columnarum ſuperſtructarum craſſitiem definit, regulasque a *Serlio* facilitando huic argumento traditas, juxta ordinationes *Vitruvii* & recentiorum Autorum examinat.

Parte IV reliquas aperturarum ſive adituum ædificii ſpecies, earumque ſtructuram & menſuras tradit: & *libris* quidem *quatuor* primis de arcubus ex doctrina *Vitruvii* & trium reliquorum architectorum per ſingulos ordines ſigillatim agit; idemque Lib. V ex *Serlio* præſtat: præſtantia quædam poſt exempla adjungit arcuum, tum antiquitatis, tum recentioris ævi; ſuumque de regulis trium architectorum judicium, prælatis Scamozzianis. Subnectit his cognata de ſtructuris concameratis; fornicum armaturis, quibus operæ in conſtruendis arcuatis operibus utuntur; & ipſarum concamerationum ornamentis. Lib. VI tractat de porticibus arcuatis columnarum liberarum *(iſolées)* uno ſuper altero in diverſis tabulatis extructo, & proportione intercolumniorum in diverſis caſibus & quacunque hypotheſi; mox ad alias teſtudinum ſpecies deſcribendas defertur, ex. gr. ovalium ſeu anſatarum, reptantium, conicarum, planarum: Lib. VII de portis & feneſtris variorum ordinum, ſecundum *Vitruvium*, *Vignolam* & *Palladium:* Lib. VIII de iisdem & forulis ornamentisque portarum fuſe, juxta *Scamozzium;* Lib. IX *Serlium*, *Leonem Bapt. Albertum* aliosque; poſt quos & exempla portarum ex diverſis operibus antiquis profert: Lib. X de feneſtris tecto immiſſis, & caminis: Lib. XI de arcubus triumphalibus, eorum origine & illuſtrioribus exemplis,

emplis, puta arcus Titi, Beneventani, Anconitani, Juſtinopolitani, Argentariorum, Severi, Conſtantini, Veronenſis, Portæ Santonienſis, Portæ Majoris. His quæ jungerentur non indigna putavit *Autor* Opera Pariſienſia, nec Urbi nec Monarchæ ſuo imparia, indeque Lib. XII Lectori deſcribit portas S. Antonii, Bernardi, Dionyſii, ſingulas cum ſuis, quas præferunt, inſcriptionibus.

Partis V Lib. I circa Pontes occupatur, & doctrinam eorum ex antiquiſſimis omnium qui in eadem verſati ſunt, *Alberto*, *Palladio*, *Scamozzio* & *Serlio* depromit, deque iis fundandis & fundamentorum diverſis rationibus diſcurrit, adjecta deſcriptione pontis Santonienſis. Lib. II brevibus de cloacis & aquæductibus præcipue Romanis agit; fuſius Lib. III de ſcalis ex *Vitruvio*, *Alberto*, *Scamozzio*, *Savoto*, earumque ſpeciebus, loco quo reponendæ, magnitudine, figura, lumine, gradibus, ornatu. Lib. IV quæſtionem longe maximi momenti tractat de mutationibus, quæ altitudinis aut elongationis cauſa, architecturæ partibus obtingere poſſunt; ubi præmiſſa *Vitruvii* & Interpretum ſententia, architecto rationem altitudinis aut diſtantiæ habendam, eaque propter menſuras partium immutandas eſſe; contrariam etiam, cujus cauſam *Perraltium*, in *Opere ſuo Ordinationis Columnarum* Anno 1684 menſe Martio pag. Actorum 128 a nobis recenſito, peregiſſe B. L. meminiſſe poterit, cum ſuis argumentis in medium adducit: Ipſe tamen paria facit cum *Vitruvio*, & adverſam partem ratione & exemplis refellere conatur, ſimul quomodo menſuræ ordinariæ partium ſtructuræ alicujus mutationem ſubire poſſint aut debeant, indicans.

L. V. Autor diffuſe tractat de proportionum ſpeciebus, partibus operum juxta ſcita ſæpius nominatorum Scriptorum convenientibus, plurimis in hanc rem utriusque ævi propoſitis exemplis; inprimis vero Panthei, quod ob ſummam proportionum harmoniam ſuper omnia antiquitatis opera extollit: exemplorum iſtorum ſuffragio neceſſitatem inferens proportionum in Architectura, utut aliter quibusdam videatur. Compendio etiam refert librum a Domino *Ouvrard*, paucos ante annos, ſub titulo *Architectura harmonica* publicatum, in quo Autor partes ſtructurarum omnes in proportionibus ad invicem muſicis conſiſtere debere contendit, ſuamque hanc ſenten-

tiam exemplo templi Salomonei firmare nititur. Mentionem porro injicit libri, ab *Abbate S. Hilarionis* edendi, in quo menſuræ partium Architecturæ omnes ad proportionem geometricam reductæ ſint: ita ut determinata tantum ratione, quam inter ſe habent principales operis partes, facile adjungi poſſint in eadem ratione, quæ ſpectant ad decorem aut ornamentum frontis ædificii, inventione certarum mediarum geometrice proportionalium, pro altitudine, craſſitie & projectura; non tantum principalium membrorum ordinationis, puta ſtylobatæ, columnæ, trabeationis, harumque partium, Baſeos, Capituli, Coronicis &c. ſed particularium etiam ornamentorum; traditis conſtantibus regulis, juxta quas ad decorem extrui poſſint. Judicium Blondelli ſuper hoc ſcripto latum, nihil vulgare de eodem promittit, ut optandum ſit publico idem quamprimum indulgeri. Poſthæc *Autor* argumenta, quibus architecturæ proportiones ſola aſſuetudine ſubnixæ firmatæque pronunciantur, examinat & refellit, inductioneque probat, proportiones eſſe cauſas elegantiæ ædificiorum, quæ non minus in natura fundata ſit, quam gratia ſonorum muſicorum; nec conſiſtat in ornamentis exterioribus citra proportiones debitas; quin vel maxime ſe prodat iisdem his ornamentis & materiæ operisque venuſtate deſtituta, exemplo ſtructurarum quarundam Gothicarum, præcipue templi cathedralis Mediolanenſis, (ab Autore magni ſemper habiti, & hoc loco deſcripti) quarum pulchritudo ex ſymmetria & proportione partium nata nunquam ſe commendare ceſſet, utcunque vilibus & miſellis ornamentis comitata.

Ultimo Libro *Autor* quatuor architectorum, quorum ſenſa toto hoc Opere expoſuit, menſuras, columnis earumque ſingulis partibus per quosque ordines attributas, in Tabulis exhibet; ut uno intuitu Lectori in promtu ſint, quæ circa laborem tædiumque e ſedibus peculiarium doctrinarum vix alias excerpat aut colligat.

Digitized by Google

TAB:XI. ad A.16


Fig. 1
LVD SAEC FEC
COS XIIII
S C
Fig. 2.
COS. XIIII.
S C
Fig. 4.
LVD. SAEC FEC
COS XIIII
S C
Fig. 5.
COS XIIII
S C
Fig. 7.
LVD. SAEC
FECIT
COS XIIII
Fig. 8.
XIIII.

Digitized by Google

ACTA VITÆ S. FERDINANDI REGIS CASTELLæ & Legionis, cum poſthuma illius gloria & hiſtoria S. Crucis Caravacana; commentariis, annotationibus & iconibus illuſtrata: opera Danielis Papebrochii Soc. Jeſu.

Antwerpiæ apud Mich. Knobbarum 1684 in 8.

EA eſt fuitque dudum inter vicinas gentes Gallos & Hiſpanos æmulatio, ut cum illi inter Reges ſuos Ludovicum Sanctum recenſerent, ante aliquot jam ſecula Divorum ordini adſcriptum, idque gloriæ ſibi ac decori eximio ducerent, non ante quieſcendum ſibi Hiſpani cenſuerint, quam ipſi etiam in Rege quodam ſuo Sanctorum in numerum relato gloriari poſſent. Ac mirandum utique eſt, cum inter Reges ſuos Chriſtiani populi plerique Sanctum quendam oſtentent, ex Hiſpanicarum gentium tot Regibus neminem hactenus Sanctorum in catalogis comparuiſſe, cui quidem titulus ille Romanæ Sedis vindicatus eſſet judicio. Eo itaque majori gaudio perfuſa fuiſſe omnis exiſtimanda eſt Hiſpania, poſtquam tandem inventus inter Reges eſt, qui hoc honore dignus a Romano Pontifice reputaretur, & is quidem Ludovico S. Galliæ Regi coævus, imo ætate illo major, ejusdemque conſobrinus. Ferdinandus ille eſt Rex Caſtellæ & Legionis, ejus nominis tertius, patre Alphonſo Legionenſi, matre Berengaria Alphonſi IX Caſtellani Regis filia, anno 1198 genitus, pulſis poſt tota Bœtica, quam quingentos per annos inſederant, Mauris, fideique adeo Chriſtianæ cultu propagato, ac metropolitana Eccleſia Hiſpalenſi fundata dotataque clarus, ac Hiſpali anno 1252 defunctus, nuperque demum a Clemente X Romano Pontifice in ſanctorum Hiſpaniæ patronorum catalogum, rogatu Regis Catholici Caroli II relatus. Tametſi enim privata jam olim veneratione apud Hiſpalenſes præcipue cultus, Sanctique cognomine diſcretus ab aliis Caſtellæ Regibus fuiſſe perhibeatur; tametſi etiam anno 1629 pro canonizatione ejus, quam vocant, proceſſus indicti jam ab Urbano VIII fuerint, permiſſumque ut imago ejus cum diademate ac radiis ſculperetur, lente ta-

Digitized by Google

men negotium promotum eſt; ut ſolet in Romana Curia iſtis canonizationum cerimoniis, ne quid temere ſcilicet aut inconſulto in re tanta geſtum videatur, mora interponi: donec tandem, poſtquam anno 1668 corpus Regis ſolenni ritu inſpectum denuo, ac divino, quod quidem medici teſtati ſunt, miraculo incorruptum fuerat deprehenſum, Pontifex Clemens X. A. 1671, & cultum S. Ferdinandi confirmavit, & Officium illi ac Miſſam decrevit, poſteaque anno 1673 feſtum S. Ferdinandi in omnibus Hiſpaniarum regnis ritu duplici, ut vocant, fieri juſſit, Lectionibus etiam propriis pro Officio S. Ferdinandi a Congregatione Rituum anno 1675 approbatis, ac canonizatione hunc in modum abſoluta. De hoc autem novo Divo ac patrono cum Hiſpani ſibi gratularentur, id reliquum utique erat, ut vita ejus accuratius deſcripta publice extaret, populique adeo in colendo Divo ſtudium, cognitis diſtinctius illius meritis, accenderetur. Cujus rei curam cum Decanus & Capitulum Hiſpalenſe, a quibus jam antea curandæ apud ſedem Romanam canonizationi, & primæ feſtivitati apud Hiſpalenſes celebrandæ, impenſi haud modici ſumptus fuerant, in ſe ſuſcepiſſent; commodum evenit, ut eodem tempore deſcribendis Sanctorum, quorum obitus in menſem Majum incidit, Actis Antverpiæ occuparetur clariſſimi Vir nominis ac Societatis Jeſu Presbyter, *Daniel Papebrochius*. Nam cum die illius menſis trigeſimo e vivis Ferdinandus exceſſiſſet, & ſexto eodemque ultimo Actorum Maji tomo vitam & geſta Ferdinandi S. complecti Papebrochius decreviſſet; facile a ſe impetrari paſſus is eſt, ut anticipato hoc labore, ſingulari tractatu Ferdinandi Acta in lucem præmitteret, ſexto quem diximus Actorum Maji, totius vero operis decimo ſeptimo tomo, brevi tempore repetenda. Idque ſtudii eo in ſe lubentius Vir doctiſſimus ſuſcepit, ut ſpecimen aliquod induſtriæ ac methodi, quam componendis Sanctorum Actis adhibet, iis etiam exhiberet, quibus vaſtum illud Actorum opus, quinquaginta circiter tomis abſolvendum, aut legendi otium, aut coemendi, fortaſſe etiam vivendi deeſt commoditas. Paucis itaque, quid in Actis hiſce Ferdinandi actum ſit, nunc videamus.

Præmittitur vitæ Ferdinandi tum Commentarius Papebrochii, tum Chronologia Ferdinandæa. Et hæc quidem ſummam totius hiſtoriæ

ſtoriæ uberius poſtea enarrandæ Lectoris conſpectui juxta annorum intervalla ſiſtit. In commentario autem prævio id inprimis agit Auctor, ut vulgarem quendam errorem, de ſororum duarum, Berengariæ & Blancæ, ab Adelphonſo Caſtellæ Rege progenitarum, quarum illa Alphonſo Legionenſi nupta S. Ferdinandi, hæc Ludovici VIII Galliæ Regis conjux Ludovici S. mater fuit, ætate detegat ac refellat. Nimirum Blancam natu majorem, minorem ætate Berengariam fuiſſe, non Francici tantum hiſtoriographi, ſed Hiſpanici etiam magni nominis ſcriptores, *Garibayus* & *Mariana*, tradiderunt, inconſiderate hi quidem, nec ſine præjudicio Regiæ Domus, cum ex ea ſententia conſequatur, Caſtellæ ea tempeſtate Regnum non ad Ferdinandum Legionenſem, ſed ad Ludovicum potius Gallum proximiori ſucceſſionis jure pertinuiſſe. Contra vero teſtimoniis coætaneorum S. Ferdinando ſcriptorum, *Lucæ Tudenſis*, & *Roderici Toletani*, Papebrochius evincit, non Blancam, ſed Berengariam natu majorem Alphonſi Caſtellani filiam fuiſſe; cumque *Rodericus Palentinus* uno quidem loco Berengariæ, altero Blancæ primogenituram aſſeruiſſe videretur, poſteriorem adulterinum eſſe ac ſpurium oſtendit: quin advocatis in ſubſidium ex Chronologia rationibus aliis comprobare nititur, Blancam Berengaria tanto juniorem fuiſſe, ut filia ejus per ætatem eſſe potuerit.

Ipſa dein *S. Ferdinandi vita* breviter primum, tum ex Chronico *Lucæ Tudenſis* coævi ſcriptoris, tum ex libro Hiſpano dicto *Flos Sanctorum* anno 1533 edito deſcribitur: inde Acta prolixiora ex libro VIII *Ruderici Archiepiſcopi Toletani*, & *Chronica Hiſpanica S. Regis* juxta MS. Hiſpalenſe Valliſoleti a. 1555 edita, exhibentur. Singulis vero Vitæ paragraphis, & Actorum prolixiorum capitibus, annotationes Papebrochii pro ratione inſtituti ipſius ſubjiciuntur; inſertis inſuper quatuor, quæ vocat, Parergis, quibus nonnulla ex monumentis aliis uberius declarantur.

Vitam S. Ferdinandi excipit *Gloria* ejus *poſtuma*, ubi & univerſa canonizationis Ferdinandææ hiſtoria traditur, ex qua in illuſtri hoc exemplo eluceſcit, qua ratione ac modo procedi in decernenda canonizatione ſoleat, ac quibus velut gradibus ille honorum Romano-Catholicis apex conſcendatur, & accurate deſcribitur ſolenne feſtum

feſtum magno apparatu ſumptuque in urbe Hiſpalenſi a. 1671 inſtructum ac celebratum, machinaque triumphalis magnifice erecta, & cætera feſtiva ornamenta iconibus æri inciſis expreſſa, oculis animisque lectorum ſubjiciuntur.

Denique poſt appendicem addendorum, mutandorum, corrigendorum in altera cum reliquis Maji Actis editione, ultimo loco *Hiſtoria Crucis Caravacana* exhibetur, illius nempe, quæ ipſo quo S. Ferdinandus naſciturus erat anno, cum forte in urbe Caravaca ſacerdoti miſſam coram Maurorum Rege quodam celebraturo crux deeſſet, præter ſpem per Angelos allata memoratur, ac ſancte hodieque aſſervatur, cum decantata illa Ampulla Rhemenſi non inepte fortaſſis comparanda. Cæterum quod ad Hiſtoriam illam Crucis Caravacanæ attinet, mallet doctiſſimus Auctor (ut ipſe ingenue nobis faſſus eſt per literas) abeſſe totam a libro illo, ad quem non aliter pertinet, quam ratione temporis a Romano de Higuera ex meris impoſturis definiti; quas dum evertere Papebrochius nititur, aliamque certiorem chronotaxim ſubſtituere, quæ ipſam non omnino excluderet a Sancti Regis Hiſtoria, cuidam Licentiato de Luna, minus ἀσύστατῳ commento & veteres loci characteres (qui Gothicis Runicisque ſatis affines ſunt) ut Arabicos interpretari auſo, nimium credulus

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim:

idque omnibus voluit etiam per nos innoteſcere: Si quis forte prædictos characteres aliquando poſſit certius explicare; eos præſertim qui ſunt ſculpti in lapide circum feneſtram, & fortasſis nihil faciunt ad crucem iſtam. Quam enim antiqui fuerint ceteri, qui picturis ibidem olim viſendis permixti fuiſſe dicuntur, dubitare poſſumus; atque vereri, ne una cum ipſis ſint diu poſtea ſcripti, ad imitationem aliquam prioris literaturæ; quandoquidem aliquid certius pro vel contra ſtatuendi, curioſo huic ſeculo abſtulerint imperiti ædiles, veteres omnes picturas oblinendo, ut parietes ſacelli dealbarent.

❧ (o) ❧

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris Anno M DC LXXXV.

HISTORIÆ BYZANTINÆ SCRIPTORES POST Theophanem, partim nunc primum editi, partim recenſiti & nova verſione adornati, opera & ſtudio Franciſci Combefiſii Ord. F. F. Prædic. Congreg. S. Ludovici.

Pariſiis in Typographia Regia excudebat Sebaſtianus Mabre Cramoiſy. 1685 in fol.

Quadrageſimus jam annus agitur, cum ſub Ludovici XIV Galliarum Regis auſpiciis Byzantinæ hiſtoriæ Scriptores nitidisſimo habitu & majori quam unquam antea apparatu e Luparæa typographia prodire cœperunt. Anno enim 1645 JOHANNIS CANTACUZENI libri, qui Græce hactenus nondum editi fuerant, cum Latina interpretatione *Jacobi Pontani*, ejusdemque & *Jacobi Gretſeri* annotationibus lucem aſpexerunt. Hos anno 1647 GEORGII CEDRENI hiſtoriarum compendium, cui ſupplementi loco excerpta ex JOHANNIS SCYLICÆ Curopalatæ breviario hiſtorico acceſſerunt, cum *Guilielmi Xylandri* & *Jacobi Goari* annotationibus, & *Caroli Annibalis Fabroti* gloſſario; eodemque anno NICETÆ ACOMINATI CHONIATÆ hiſtoria, quam jam olim *Hieronymus Wolfius*, variis lectionibus & annotationibus additis, Latine interpretatus fuerat, ejusdem, quem modo diximus, *Fabroti* gloſſario Græcobarbaro auctior, & ope codicis MSC. Regii emendatior excepit.

Volumini proxime ſecuto, quod anno 1648 prodiit, *Philippus Labbeus* Protrepticum præfixit, quo & Byzantinæ hiſtoriæ Scriptores, quotquot hactenus deprehendi potuerant, ſive editos, ſive typis nondum impreſſos recenſuit, & eruditos per univerſum orbem Chriſtia-

num, ut bibliothecarum angulos excuterent, & inſtitutum auguſti hujus operis pro viribus juvarent, excitavit. In ipſo autem volumine primum EXCERPTA LEGATIONUM a *Davide Hæſchelio* Græce quondam edita, & poſtea a *Carolo Cantoclaro* Latine reddita, cum ejusdem & *Henrici Valeſii* notis; deinde ECLOGÆ HISTORICORUM de rebus Byzantinis, cum notis, quas jam olim *Joannes Meurſius* ad Heſychii de rebus patriis libellum, & in novo hoc ſyntagmate *Labbeus* ad reliquorum Autorum eclogas adornaverat; tum THEOPHYLACTI SIMOCATTÆ hiſtoriarum libri octo, cum Latina interpretatione & notis *Jacobi Pontani* & *Fabroti* gloſſario; & denique NICEPHORI Patriarchæ Conſtantinopolitani breviarium cum notis Latini interpretis *Dionyſii Petavii* ſimul exhibentur.

Eodem anno 1648 *Jacobus Goar*, GEORGII CODINI Curopalatæ, de magnæ eccleſiæ & aulæ Conſtantinopolitanæ officiis tractatum, nonnullis acceſsionibus locupletatum, cum ſuis & *Jacobi Gretſeri* annotationibus, ejusdemq; *Gretſeri* opere de imaginibus Chriſti non manu factis in publicum emiſit. Quem anno proxime ſequenti 1649 ANASTASII BIBLIOTHECARII hiſtoria eccleſiaſtica, ejusdemque liber de vitis Romanorum Pontificum excepit; quibus illuſtrandis is, quem de corpore hiſtoriæ Byzantinæ bene meritum jam aliquoties innuimus, *Fabrotus* annotationes, varias lectiones, & gloſſarium adjunxit; quale etiam ad LAONICUM CHALCONDYLAM addidit anno 1650 cum Latina verſione *Conradi Clauſeri*, & annalibus Sultanorum a *Johanne Leunclavio* Latine redditis, illuſtratis & usque ad annum 1588 continuatis, e typographia Regia emiſſum.

GEORGII ACROPOLITÆ hiſtoria, cui *Joelis* chronographia compendiaria, & *Johannis Canani* narratio de bello Conſtantinopolitano ſubjecta fuit, cum obſervationibus *Theodori Douſæ* & notis *Leonis Allatii*, ejusdemque de Georgiorum ſcriptis diatriba, anno 1651 prodiit; quo etiam DUCÆ hiſtoria cum notis *Iſmaelis Bullialdi*, & CHRONICON ORIENTALE ab *Abrahamo Ecchellenſi* Latine redditum, & ANNÆ COMNENÆ ALEXIAS quindecim libris comprehenſa, cum *Davidis Hæſchelii* notis, & Latini interpretis *Petri Poſſini* gloſſario, in ſplendidiſsimo hoc Byzantinæ hiſtoriæ opere locum meruerunt.

Secutus anno 1652 GEORGIUS SYNCELLUS, cujus chronographiam

graphiam *Jacobus Goar* Latine reddidit,& cum brevi *Nicephori* Patriarchæ Conſtantinopolitani chronologia, adjectis ad utramque annotationibus & emendationibus, evulgavit. Ejusdem *Goari* interim mortui, & ſuccedanea *Franciſci Combefiſii* opera, THEOPHANIS & LEONIS GRAMMATICI chronographia,Latina verſione,annotationibus & variis lectionibus illuſtrior, in orbis eruditi conſpectum prodiit. Factum id anno 1655, quo præterea CONSTANTINI MANASSIS breviarium cum *Johannis Leunclavii* & *Johannis Meurſii* notis, & *Fabroti* gloſſario,ejusdemq; & *Leonis Allatii* variis lectionibus;nec non GEORGII CODINI origines Conſtantinopolitanæ,cum aliis nonnullis antiquitatis Byzantinæ monumentis, quibus & ſuas & aliorum clariſſimorum Virorum annotationes *Petrus Lambecius* adjecit,inſigne corpori hiſtoriæ Byzantinæ augmentum præbuerunt.

Anno 1660 & AGATHIÆ Scholaſtici de imperio & rebus geſtis Juſtiniani libri quinque, cum notis *Bonaventuræ Vulcanii*,& MICHAELIS GLYCÆ Siculi annales nunquam antea Græce editi, cum *Leunclavii* continuatione & *Philippi Labbei* notis atque emendationibus, Regiæ typographiæ prelum evaſerunt, quæ anno 1661 in imprimendis NICEPHORI BRYENNII commentariis, quibus illuſtrandis *Petrus Poſſinus* ſuam operam impendit, anno autem 1662 & 1663 in edendis duobus PROCOPII Cæſarienſis tomis, quorum unus octo hiſtoriarũ libros interprete *Claudio Maltreto*, alter libros ſex de ædificiis Juſtiniani,& hiſtoriam arcanam cum verſione & notis *Nicolai Alemanni* continet,occupata fuit. Ad quos longo poſt tempore, anno nimirum 1670, JOHANNES CINNAMUS de geſtis Johannis & Manuelis Comnenorum,& PAULI SILENTIARII deſcriptio ædis Sophianæ, cum *Caroli du Freſne Domini du Cange* ad Nicephorum Bryennium, Annam Comnenam & Cinnamum notis, ejusdemque uberiore ad Paulum Silentiarium commentario acceſſit.

Verum hanc diuturnam Lutetiæ moram Roma quodammodo penſavit. Ibi enim *Franciſci Barberini* Cardinalis typis GEORGII PACHYMERIS de rebus ſub Michaelis & Andronici Palæologorum imperio geſtis hiſtoria,in duos tomos, quorum prior anno 1666,alter anno 1669 prodiit,diſtributa,& *Petri Poſſini* gloſſario notisque hiſtoricis & philologicis illuſtrata, lucem publicam aſpexit, quam cæteris

hiſtoriæ Byzantinæ monumentis hactenus recenſitis ſplendore non inferiorem deprehendimus.

Sed ad Luparæam typographiam redeamus, quæ cum hactenus per quindecim annos ab evulgandis Byzantinæ hiſtoriæ Scriptoribus quieviſſe viſa fuerit, hoc ipſo anno novum hiſtoriæ Byzantinæ tomum evulgavit, *Franciſci Combefiſii* ſtudio, dum viveret, collectum, cujus annotationes poſt obitum non inventas, ſive caſus perdidit, ſive mortis interventus antevertit. Continentur autem hoc tomo nonnulli Scriptores, qui hiſtoriam Orientalium Imperatorum a Leone Armeno, in cujus anteceſſore Theophanis chronicon deſiit, usque ad Nicephorum Phocam pertexuerunt.

Primo enim loco comparet *chronicon anonymi Autoris* juſſu Conſtantini Porphyrogenneti conſcriptum, quo Leonis Armeni, Michaelis II cognomento Balbi, Theophili, & Michaelis III vitæ recenſentur, pro Imperatorum iſtorum numero in totidem libros diſtributum. Sequitur vita Baſilii Macedonis a *Conſtantino Porphyrogenneto* literis mandata, quam cum *Leonis Allatii* interpretatione inter ejusdem *σύμμικτα Bartoldus Nibuſius* anno 1653 jam ediderat. Verum pro Allatiana verſione Combefiſius in hoc volumine novam adornavit. Baſilio Macedoni Leo Sapiens ſucceſſit, cujus & reliquorum usque ad Romanum Conſtantini Porphyrogenneti filium proxime ſequentium Imperatorum hiſtoriam, *Autor* quidam *anonymus* concinnavit, qui tertium in hoc volumine locum occupat. Huic appendicis loco ſubjicitur *invectiva adverſus iconomachos*, ab autore itidem incerto ſcripta, & *dialogi* nomine, quamvis nullas perſonas colloquentes inducat, inſignita, cum *Johannis* cujusdam *Hieroſolymitani* narratione ejusdem argumenti. Hanc excipit *Johannis Cameniatæ* de excidio Theſſalonicenſi narratio, quæ cum jam olim a *Leone Allatio* Latine reddita, & cum cæteris ejus *συμμίκτοις* edita fuerit, nunc Combefiſii, qui novam verſionem compoſuit, opera priſtinum habitum mutavit. Aliud Theſſalonicæ excidium, quod non ab hoſtium furore, ſed ab inteſtino civium tumultu conflatum eſt, *Demetrius Cydonius* deſcripſit, cujus monodia ob argumenti ſimilitudinem Cameniatæ ſubnectitur. Claudunt hoc volumen *excerpta ex vita Baſilii Junioris* autore *Gregorio* ejus diſcipulo, *Simeonis Magiſtri* ac *Logothetæ* annales a Leone Armeno ad Nicephorum Phocam, & *Georgii Mona-*

chi

chi vitæ recentiorum Imperatorum, a Leone Armeno uſque ad Conſtantinum Porphyrogennetum.

Poterat ad Theophanis continuatores hoc volumine contentos etiam GENESIUS adjungi, qui Byzantinam hiſtoriam a Leone Armeno uſque ad Baſilium Macedonem perduxit, Scriptor inſignis, quamvis paucis notus, paucioribus viſus. Manuſcriptus extat in bibliotheca Academiæ noſtræ Paulina, quem codicem edendi ſpe facta jam pridem celeberrimi nominis Polyhiſtor *Joh. Andreas Boſius* deſcripſit. Sed quod morte præventus præſtare non potuit, nunc a clariſſimo viro *Georgio Schubarto* expectamus. Quod indicaſſe Byzantinæ hiſtoriæ cultoribus non ingratum fore pollicemur.

DISSERTATION SUR DOUZE MEDAILLES des Jeux Seculaires de l'Empereur Domitien, par le Sieur Rainſant de Reims, Medecin, Antiquaire & Garde des Medailles de ſa Majeſté.

ſive

Diſſertatio ſuper XII Nummis Domitiani, Ludos Sæculares concernentibus, autore Dn. Rainſantio, Remenſi, Medico, Antiquario ac ſupellectilis nummariæ cuſtode Regio.

Verſalii, apud Franc. Muguet, 1684 in 4.

Ludorum ſæcularium feſtivitatem in priſtina Romanorum republica inter leviores minime recenſitam fuiſſe, vel inde evidens eſt, quod eadem non niſi elapſis 100, aut, ut quidem Quindecimviri Auguſti tempore contenderunt, 110 annis regulariter recurrebat, ipſa adeo raritate illuſtris: unde & in eorum ludorum publicatione per præconis vocem proclamari ſolebat, ut quisque veniret viſurus ludos, quos nec ante vidiſſet, nec poſthac, dum viveret, reviſurus eſſet unquam. De eorundem vero ſolennitatibus tametſi haud pauci ſcripſerunt, (quos inter *Panvinium*, & *P. Taffinum Soc. Jeſu* præcipue commendat Autor,) ipſorum tamen opera vel ideo imperfectionis arguit idem, quod numiſmatum adminiculo deſtitutis haud leves ſub-

inde ceremoniarum circumſtantiæ fuerint ignoratæ. Qua ex parte cum ſors favorabilior Autori, cimeliarchæ quippe regio, contigiſſet, tanto alacrius ad dilucidandam hanc materiam ſemet accinxit, expreſſo inſuper Regis juſſu, ut quidem rubrica teſtatur, ad id faciendum inſtigatus. Tametſi vero ipſi hanc ad rem varia variorum, Auguſti inquam, Domitiani, Severi item ac Philippi numiſmata in promtu eſſent: cum tamen diſſertationem tantum, non juſtum volumen concinnare ipſi eſſet propoſitum, idcirco ſolos Domitiani nummos de ludis ſæcularibus agentes enucleandos ſibi ſumſit, maxime quod eos a nemine adhuc explicatos exiſtimaret. Fundamenti vero loco, ne ſuper incertis tantum conjecturis fluctuare videatur narratio, ſubſternit Zoſimi hiſtoriam, præcipuas ſcilicet iſtorum ludorum ceremonias continentem: cujus proinde etiam Librum II, ubi nempe hanc materiam pertractat, aut ejusdem potius fragmentum, integrum Gallico idiomate operi ſubjectum voluit.

Ipſam tractationem quod concernit, præmittit initio pauca de origine & intervallis ludorum ſæcularium: quæ cum apud Roſinum aliosque antiquitatum Romanarum Scriptores ſatis obvia ſint, hic referre nil attinet. Feſti ipſius introitum hunc fuiſſe ait, quod Imperator, Pontificis maximi ſcilicet munere una fungens, in Capitolio ad populum verba fecerit, exhortans, corporis ſe animique puritate ad feſtum adeo ſolenne præpararent. Teſtem hujus rei allegat Nummum I, in quo Cæſar exhibetur ſtans in templo, ſpecie perorantis ad populum genibus incumbentem manusque elevantem: quem ipſum tamen populi geſtum Autor unice adſcribit ambitioni *Domitiani*, divinitatem nempe adeoque adorationem affectantis; cum alioqui genuum flexio in actu tali adhiberi ſolita non fuerit. Nummi hujus inſcriptio, quam tamen cum reliquis omnibus communem habet, his verbis conſtat: COS. XIIII. LVD. SAEC. FEC. indicans nimirum ſub quartodecimo Domitiani conſulatu, hoc eſt, octavo ejus Imperii anno ludos hos fuiſſe celebratos. Nummus II ſiſtit Cæſarem ſuggeſtui ante templum inſidentem, poſitis ex utroque latere vaſis: adſtat miniſter cum puero, uterque quaſi porrecta manu a Domitiano quid accepturus: inſcriptio præter communem illam ſupra dictam, eſt hæc: SVF. P. D. Scilicet *Suffimenta Populo Data* hic ſignificari ait Autor, ſulphur nempe & bitumen: hæc enim a Cæſare Quindecimviris

TAB. XI.

ris dari ſolita fuiſſe, ab his rurſus populo diſtribuenda, quo hic ſuffitu tali ſemet luſtraret: puerum vero una hic appingi ideo autumat, quod parvulis etiam, dummodo jam aliqualem rationis haberent uſum, talia ſuffimenta haud fuerint denegata. In Nummo III Domitiano ſuggeſtui itidem prope templum inſidenti adſtant Romani duo, quorum alter menſuram fructuum ad pedes Cæſaris effundit; adduntur verba: A. POP. FRUG. AC. *Acceptas a populo fruges* hoc deſignari docet noſter, primitias ſcilicet novorum anni fructuum, tritici inprimis, hordei, & fabarum, quas ipſas ſiquidem in rebus ſacris Romanorum haud exigui uſus fuiſſe probat.

Atq; hactenus quidem recenſita non niſi præparatoria inſtantis feſti habenda eſſe dicit: ipſum vero Ludorum initium ab inſtituta ſolenni Supplicatione fuiſſe factum; cui non Sacerdotes tantum omnium ordinum, ſed & Senatus aliiq; magiſtratus, populus deniq; albis veſtibus indutus, floribus redimitus palmasque manibus geſtans adſtiterint, hymnos præterea per plateas cantatos, Deorumque ſtatuas ſuperbis impoſitas lectis in tranſitu adoratas fuiſſe. Affert in hujus rei teſtimonium Nummum IV, in quo ante duas perſonas, in altiori ſtrato ſtantes, (quarum alteram pro Domitiano, alteram pro Præfecto Prætorio habet Autor) tranſeunt tres aliæ, frondes manibus geſtantes. Supplicationem hanc inſecutum ait trium noctium pervigilium, vacaturnque in templis fuiſſe precibus & ſacrificiis. Et prima quidem nocte, cum Diis inferis placandis inprimis ludi hi inſtituti eſſent, Plutoni taurum nigrum, Proſerpinæ vaccam ejusdem coloris immolatam fuiſſe: die vero inſequente Jovi & Junoni ſimiles victimas cecidiſſe, ſed candidi coloris: reliquum diei tempus ludis publicis fuiſſe dicatum, Apollini & Dianæ ſacris. Secunda nocte preces & ſacrificia inſtaurata fuiſſe, & quidem ad Parcas inprimis directa, quibus ovis & capra, atri utraque coloris ſacrificatæ fuerint: ſequenti die matronas Capitolium aliaque templa frequentare conſueviſſe, ſupplicantes non pro ſalute tantum publica, ſed & pro privatis neceſſitatibus, præſertim pro felici puerperio; cui ſcilicet Parcas non minus, quam Lacinas præſidere crediderint: reliquum diei ſimiliter ut præcedentis, ludorum & ſpectaculorum gaudiis exactum fuiſſe. Tertia nocte Telluri ſuem mactari ſolitam perhibet ex Zoſimo Autor. Atque triplicis hujus ſacrificii veſtigia in Nummo, V, VI & VII exhiben-

Digitized by Google

hibentur: in quorum quidem ſingulis Domitianus repræſentatur, pateram in aræ flammam vergens, adſtantibus duobus muſicis, quorum alter lyra, alter duplici tibia canit: at vero in Nummo V victima adſtat taurus, in VI ovis cum capella, in VII denique ſcrofa: adjacet in hoc ultimo imago Tiberis, ſpecie viri barbati ac ſeminudi cum cornu Amaltheæ: rationem hanc reddit Autor, quod ſacrificium hoc in ripa hujus fluminis peractum fuerit. Die tertiam noctem ſequente, tanquam ultimo horum ludorum ſæcularium, ait choros duos, alterum puerorum, puellarum alterum, e melioribus Romæ familiis, quique omnes patrimi matrimique eſſent, ceciniſſe hymnum, ſpeciatim hanc in rem compoſitum; cujusmodi inter odas Horatii ſub finem libri Epodon extat, Auguſti ævo recitatus. Eodem die Salios etiam ſaltare more ſolenni ſolitos fuiſſe conjicit Autor ex Nummo VIII & IX, quorum prior exhibet Salium gradientem cum habitu conſueto, alter vero Salium ſtantem ante tripodem, & cippum, inſcriptione ſub initium memorata inſignitum. Cum vero uterque horum ſcutum geſtet rotundum, Minervæ, (quam ſcilicet Domitianus protectricem ſibi elegerat) capite ſignatum, qua tamen figura Ancilia, Saliis alioqui propria, minime fuiſſe, ſed oblonga potius & ovali, ex aliis numiſmatis conſtet; hinc Autor in cauſam hujus rei inquirens, exiſtimat, Ancilia ob Antiquitatis venerationem iſtis temporibus ſanctius aſſervata, eorumque loco tantum ſcuta iſta Saliis geſtanda tradita fuiſſe. Nec porro dubitat, quin eodem die moneta, in feſti memoriam cuſa, in vulgus jactata fuerit, ejus nempe figuræ, quam Nummus X repræſentat, generatim ſcilicet omnia horum ludorum ſacrificia indigitantis: coincidit enim fere cum nummo VII ſuperius memorato, niſi quod nulla hic omnino victima adſtans apparet; quod ideo factum credit noſter, ne ſi omnia iſta hoſtiarum genera exprimenda fuiſſent, figurarum multitudo adſpectum confunderet. Feſto finito ait munera ab Imperatore data adminiſtris ceremoniarum, & ab his deinde rurſus eorum partem in populum diſtributam fuiſſe, tanquam rem ſacram, reliquo ſibi ſervato. Colligere hoc audet ex Nummo XI, exhibente Domitianum ſuggeſtui inſidentem, ſtantibus ex utroque latere vaſis, porrigentemq; pateræ ſpeciem duobus togatis, qui & ipſi ſimile quid manibus tenere videntur. Fatetur quidem Autor nummum hunc magna ex parte cum III coincidere,

ma-

maxime quod hic quoque verba addita: A.POP. FRVG. AC; nihilominus typi diverſitatem ſatis innuere autumat, diverſa etiam ex occaſione utrumque numiſma excuſum eſſe. Denique ex Nummo XII cippum cum inſcriptione: COS.XIIII.LVD.SAEC.FEC. continente, probat, memoriam hujus feſtivitatis monumentis publicis inſcribi ac marmori inſculpi ſolitam fuiſſe, tametſi hujus rei veſtigia vix alibi, quam in numiſmatis reperiantur. Atque hi quidem ſunt XII iſti nummi, quos Rainſsantius explicandos ſibi ſumſit, confidens eosdem vix alibi conjunctim repertum iri, niſi in cimeliarchio Regis ſui; quem proinde hac etiam ex parte, quod ampliſſimo antiquorum numiſmatum apparatu inſtructus ſit, ſibi parem neutiquam habere aſſerit. Quod de cimeliarchiis, in quibus numiſmata ipſa aſſervantur, capiendum eſt: nam ad libros, quibus ea deſcribuntur, reſpicere ſi velis, non diſſimulamus, plures & ad viginti usque nummos, a Domitiano occaſione ludorum ſæcularium cuſos, exhibere *Franc. Mediobarbum Biragum, in Theſauro numiſmatum Imperatorum Romanorum*, quem *ſuperioris anni menſe Majo* retuliſſe nos meminimus.

POMPONII MELÆ
Libri tres de Situ Orbis &c.
Lugd. Bat. apud Jord. Luchtman, 1685 in 8.

POmponii Melæ de Situ Orbis libri, ſæpius jam olim diverſisque locis, ac diverſorum Auctorum ſtudio excuſi fuere: aſt nulla eorum editio majori hactenus in pretio Eruditis fuit quam quæ Hagæ Comitis a. 1658 curante viro longe clariſſimo *Iſaaco Voſſio* lucem adſpexit. Nam non textum tantum ipſum Pomponii quam emendatiſſimum ea exhibet, ſed ſubjectæ etiam illi ſunt luculentæ ac profundam eruditionem criticam præ ſe ferentes Voſſii obſervationes, ut poſtrema adeo jam manus Pomponiano illi operi, quod vel brevitate ſua obſcurum male collocata quorundam editorum induſtria inſuper depravaverat, emendando ac illuſtrando impoſita videretur. Nec commentarium tantum in Melam exhibuiſſe viſus eſt Vir doctiſſimus, ſed ad aliena etiam ſubinde digreſſus, argumenti varii doctrinam illi intermiſcuit, notatis paſſim aliorum virorum celebrium, quæ putavit, erratis. Verum ea in re cum uſus licentia magna fuiſſet, nec ipſi

pepercifſet *Salmaſio*, cujus in Solinum exercitationes hic illicque, exprobrata etiam Viro, qui Ἑλληνικώτατος cenſeri voluit, Græcarum literarum ignorantia, redarguit; fieri non potuit, quin in eorum incurreret offenſionem, qui ſanctam habent Salmaſiani nominis memoriam, nec æquo animo quascunque vellicationes ferendas putant, quibus Viri de literis tam præclare meriti famæ derogetur. Surrexit itaque tandem Salmaſii vindex, is qui novam hanc Pomponii Melæ editionem adornavit, Vir, quisquis eſt, (*Jacobum* vero *Gronovium* eſſe fama fert) ingenio ac doctrina præcellens. Tametſi enim in Præfatione ad Lectorem, Voſſium *clariſſimi per bona ſtudia nominis & meriti Virum* vocat, fateturque, hanc etiam Pomponii editionem plurimum illi debere; mox tamen conceptam in eum indignationem haud obſcure prodit, inque ipſa præfatione ſpeciminis velut loco oſtendere nititur, quam varie hallucinatus lapſusque in explicando Arriani loco Vir celeberrimus fuerit, ubi de Pallacopa, nobiliſſima Euphratis dioryge in Arabum campos agitur; & in novis in Pomponium Melam notis, id unum fere videtur agere, ut Iſaaci Voſſii ad eundem Auctorem Obſervationes perſtringat refellatque, eandem in eum licentiam uſurpans, quam in Salmaſium ille quondam exercuerat. Nos Palæmonis partes in hiſce doctiſſimorum virorum contentionibus criticis minime ſumimus, per quas tamen haud parum lucis obſcuriſſimis antiquorum ſcriptorum locis accenditur, dum viri juſta doctrinæ copia ad id inſtructi, ad explicanda antiquitatis monumenta vires intendunt, ac utiliſſima publico æmulatione experiuntur, uter plus ingenio ac conjiciendi dexteritate, ad eruendos veterum ſcriptorum ſenſus, aut reſtituendos integritati ſuæ auctores antiquos valeat. Gratulamur interim rei litterariæ, prognatam nobis hac occaſione novam eamq; commodiſſimam Pomponii Melæ editionem, & ea quidem induſtria correctam, ut confidat Curator illius, præter unam in fine indicatam mendam, vix aliam repertum in ea iri; indice inſuper, quem in prioribus editionibus cunctis futilem ridiculumque ac fallacem deprehenderat, concinnius formato inſtructam, ac denique acceſſione non contemnenda auctam. Melæ enim de Situ Orbis libris, tum *Julii Honorii* Oratoris Excerptum, quod ad Coſmographiam pertinet, toties a viris doctis citatum, ſed nunc demum ex manuſcripto Bibliothecæ Thu-

anææ

anææ exemplari editum; tum Coſmographia, quæ *Æthicum* auctorem, ſed ex eruditiorum ſententia falſò præfert, variis lectionibus ex MS. illuſtrata ſubjiciuntur.

ADDIZIONI COPIOSE DI LIONARDO NICOdemo alla Bibliotheca Napolitana del Dottor Nicolo Toppi.

ſeu

Leonardi Nicodemi locupletes additiones ad Nicolai Toppii Bibliothecam Neapolitanam.

Neapoli, 1683 in fol.

CUm & eruditionis partem non minimam bonorum Autorum cognitio faciat, & ex lege gratitudinis obligata videatur poſteritas, ad ſtudioſe conſervandam illorum memoriam, quorum eruditis laboribus tanto cum fructu utitur; mirandum non eſt, hiſce facibus accenſos eruditorum complures, ſacra iſta nomina cum deſignatione operum ſtudioſe congeſſiſſe, totque nobis Bibliothecas & indices librorum dediſſe, ut ex horum tantum titulis locuples Bibliotheca Bibliothecarum componi potuerit. Sed quia diffuſior hæc materia videtur, quam ut unius cujuscunque hominis induſtria eidem exhauriendæ ſufficiat, rectius ſeſe facturos credidere aliqui, ſi ad certæ tantum gentis eruditos enumerandos operam referrent. Ex quorum numero eſt *Nicolaus Toppius*, qui ante aliquot annos Scriptores ex regno Neapolitano oriundos, magna cura in ſua Bibliotheca Neapolitana digeſſit, eo inſtituto, ut patriam, officia, & geſtos honores, opera edita & inedita, & teſtimonia denique aliorum eruditorum cuivis nomini ſubjiceret. Cum vero prodiiſſet iſthoc opus, incidit id in manus Illuſtris MAGLIABECHII, qui cum in tranſcurſu non pauca deprehendiſſet, vel perperam ab Autore poſita, vel in tanta materiæ copia omiſſa, breves notas ſub manu natas in marginem libri conjecit, & *Petro Valerio Diazio*, Viſitatori generali Siciliæ & Regis Catholici Conſiliario, pro mutua familiaritate illas communicavit. Quas hic intra privata ſcrinia deliteſcere minime paſſus, *Leonardo Nicodemo* tradidit, adjecta lege, ut certo or-

dine digeſtas editioni præpararet. Nicodemus vero non modica acceſsione de ſuo locupletatas, ſub titulo *Additionum ad Bibliothecam Neapolitanam* Nic. Toppii, typis exſcribi fecit. Quo tamen facto neutiquam in alienam gloriam involare, aut Toppii laudibus detrahere ſe voluiſſe profitetur, potisſimam libri partem celeberrimo *Magliabechio* (cujus liberalitati eum & nos debemus) acceptam referens.

C. CORNELII TACITI OPERA. Interpretatione perpetua & Notis illuſtravit Julianus Pichon Abbas. Juſſu Chriſtianisſimi Regis in uſum Sereniſſimi Delphini.

Tomus primus. Pariſiis, 1682 in 4.
Tomus ſecundus. Pariſiis, 1684 in 4.

HORATIUS PETRI RONDELII E SOCIETATE Jeſu, ad Serenisſimum Galliarum Delphinum.

Toloſæ, 1683 in 8.

D. JUNII JUVENALIS ET A. PERSII FLACCI Satyræ. Interpretatione & Notis illuſtravit Ludovicus Prateus Rhetoricæ Profeſſor emeritus. Juſſu Chriſtianiſſimi Regis in uſum Sereniſſimi Delphini.

Pariſiis, 1684 in 4.

C. SUETONII TRANQUILLI Opera omnia quæ extant. Interpretatione & notis illuſtravit Auguſtinus Babelonius, Juſſu Chriſtianiſſimi Regis, ad uſum Serenisſimi Delphini.

Pariſiis, 1684 in 4.

P U-

PUBLII PAPINII STATII OPERA. Interpretatione & Notis illuſtravit Claudius Beraldus. Juſſu Chriſtianisſimi Regis ad uſum Sereniſſimi Delphini.
Pariſiis, 1685. in 4.

CAII PLINII SECUNDI NATURALIS HISTORIÆ libri XXXVII. Interpretatione & Notis illuſtravit Joannes Harduinus Soc. Jeſu. Juſſu Regis Chriſtianiſſimi Ludovici Magni in uſum Sereniſſimi Delphini.

Pariſiis. 1685. in 4.

DE bonorum Auctorum in Delphini uſum aptandorum cultu, præclare cum antea meruerint varii in Gallia eruditi homines, quorum plurimos in Actis anni 1683 menſe Martio p. 83 recenſuimus; iſtud inſtitutum ab eo usque tempore promoverunt, & quos eruditionis laude florere animadverterent, ad urgendum idem incitarunt ii, quorum glorioſisſimo auſpicio patrocinioque opera hæc cœpta fuerat, Illuſtrisſimus Dux MONTAUSERIUS, Reverendisſimus Præſul JACOBUS BENIGNUS BOSSUETUS, doctisſimusque Abbas PETRUS DANIEL HUETIUS. Hi nimirum ut Regii ſui alumni animum ingeniumque optimis diſciplinis & virtutibus imbuerent, & exemplis firmarent, auctores extiterunt præſtanti doctrina viris, ut meliores Latinæ linguæ auctores ſic adornarent, quo recte conſtitutus textus interpretatione ſeu paraphraſi Latina perpetua perſpicuus redderetur, notisque illuſtraretur.

Hunc in modum excultus TACITUS jam anno 1682 prodire cœpit, editis primo tomo prioribus quinque Annalium libris: quem ſuperiori anno ſecutus eſt alter tomus, reliquos Annalium libros complexus; Hiſtoriarum & cæteris Taciti monumentis in aliud tempus ſepoſitis, quo publicam lucem ſic apparata conſpicient.

SVETONIUS eadem ratione eundemque habitum indutus prodiit, nulla tamen paraphraſi inſtructus, Notis autem inſignibus exornatus, & accuratisſimo vocabulorum indice auctus.

HORATIUS minori forma, eodem tamen modo quo cæteri, in

uſum Delphini proditi auctores, publicam lucem aſpexit: cuique ſive odæ ſive ſatyræ ſive epiſtolæ argumento præfixo, & interpretatione ſeu paraphraſi ſubjecta, notisque additis: præmiſſa Chronologica ſynopſi rerum temporibus Horatii & Auguſti Cæſaris geſtarum, ut cuivis facile conſtet, quo anno quodvis carmen ſcriptum fuerit, aut geri contigerit res, quarum mentio fit in carminibus.

IVVENALIS ET PERSIVS, STATIVSQVE, ab auctoribus quos nominavimus, cum librorum titulos exhiberemus, eadem cura inſtructi ſunt; interpretatione ſubjecta, & luce in notis allata locis caligine quadam laborantibus. Cumque Satyrici immunda quædam & obſcœna aſperſa habeant, caſtitati lectorum conſulturi ea omiſere editores, potiorem rationem habentes animorum virtutibus inſtruendorum, quam aurium molliculartum. Indicibus etiam accuratis verborum hos poetas inſtruxere eorum editores, ut modo unicum memoriæ ſuccurrat verbum, illico verſus, in quo iſtud legitur, inveniri poſſit: quod apprime utile eſt iis qui verborum curam ſollicitam habent, & auctoritates in numerato habere cupiunt.

PLINII Naturalis Hiſtoria, vaſtum & eruditum opus, nec minus varium quam ipſa natura, ingenti ſtudio & inexhauſto labore ab Editore doctisſimo eſt pertractata. Si quid in ea truncum mutilumque extitit, terſum jam omni ex parte & nitidum atque integritati ſuæ reſtitutum: quæ mendoſa hactenus, nunc emendatisſima: explanataque omnia jam eſſe quæ tenebris involuta fuerant, ipſe profitetur. Nec disſimulat, plus laboris ac induſtriæ ad opus hoc illuſtrandum & abſolvendum ſe attuliſſe, quam omnes, qui antea in expoliendo eo fuerunt verſati, adhibuerint: quorum tum eos, qui integrum Plinium ediderunt & notis dilucidarunt, *Joannem Andream, Hermolaum Barbarum, Sigiſmundum Gelenium, Beatum Rhenanum, Stephanum Aquæum, Ferdinandum Nunneſium, Guzmanum Pincianum*, & *Jacobum Dalechampium*; tum hos qui locos quosdam ex toto opere delibatos, vel partem aliquam explicandam ſumpſerunt, longo ordine in Præfatione recenſet, de quovis quid ſentiendum, monens. Salmaſio tamen iniquior; quem in Exercitationum Plinianarum in Solinum vaſto opere multa aliena ab inſtituto attuliſſe; difficilia loca prætervectum eſſe; quidquid demum boni & probabilis, quod ad Plinium quidem attineat, in iſtis lucubrationibus continetur, id fere totum

totum ex alienis hortis eſſe ſubreptum; quidquid de ſuo primum excogitatum protulerit, obelo configendum fuiſſe, profitetur. Uni ſibi plus laboris ſuperfuiſſe, quam quantum ab omnibus & ſingulis fuerit exhauſtum, affirmat; nam vix partem operis milleſimam attigiſſe univerſos. Retractandas igitur ſingulorum lucubrationes, diſcrepantes codicum lectiones excutiendas, veramque conſtituendam, (quod factum in bis millibus & pluribus locis) geographica reſtituenda, truncata, divulſa, aut male conflata nomina nitori ſuo & ſitui reſtituenda, hiſtoriamq; ab editoribus aliisve corruptam confirmandam, curationes medicas diſcutiendas, omnia denique recte conſtituenda fuiſſe. Quod quibus adjutus præſidiis præſtiterit, quaque arte ac via tandem effecerit, ut non modo emendatior multo prodeat Plinius quam antea extitit, ſed & politior, nitidior, integriorque quam cæterorum Latinorum ſcriptorum ullus legatur, in Præfatione aperit: duos Codices MSS. e Regia, quatuor e Colbertina, unum e Claromontani Collegii (cui ipſe præfectus eſt) bibliotheca ſibi præſto fuiſſe indicans, aliorum etiam operam, qua in conferendis variantibus lectionibus uſus ſit, commendans: ſed præter iſtud ſtudium, ſexcenta tum priſca tum recentia, tum Græca tum Latina, evolvenda ſibi fuiſſe volumina, & diligenter conferenda alia cum aliis, cum Plinio ſingula, ut is emendatior ac luce neceſſaria illuſtratus prodiret, memorans. Hoc eruditionis apparatu & induſtriæ copia inſtructæ *Notæ* mirum quam inſignem utilitatem non Plinio ſolum recte legendo & intelligendo, ſed omni literaturæ cognoſcendæ afferant. Quippe in iis & emendationum ratio perſpicue redditur, & altercationes Auctorum ſuper controverſis Plinii locis dirimuntur, & innumera uberius explicantur; nec veterum tantum ſcriptorum menda tolluntur, ſed recentium quoque, qui de ſitu terrarum, quique de animalium natura, & qui de re herbaria medicaque volumina concinnarunt, errata non pauca animadvertuntur. Titulos ſeu lemmata capitum ſuſtulit Editor, quod Plinium non haberent auctorem, & quibusdam nihil potuerit fingi ineptius, recepta etiam capitum ſectio in antiquioribus & melioris notæ libris inveniretur nulla. Totum vero opus in quinque volumina partitus eſt: quorum *primum* reliquorum librorum indicem, & *κοσμογραφικὰ καὶ γεωγραφικὰ* libris ſex; *alterum τὰ περὶ ζώων*, libris quinque; *tertium τὰ περὶ φυτῶν*, libris octo; *quartum τὰ ἰατρικὰ* libris tredecim;

quin-

quintum denique τὰ μεταλλικὰ libris quinque exhibet. Indices inſtructiſſimos, ne quid abſoluto operi deſit, maxime induſtrius editor adjecit, Syllabum quidem auctorum, qui a Plinio in partes vocantur, præmiſit, calci adjectum primi libri, in quo Plinius ipſe eos recenſuerat, ſed quorum nomina ætatis vitio valde fuerant corrupta; quæ doctiſſimus Editor reſtituit, & ætatem, patriam, ſcriptaque eorum undique collecta indicavit. Elenchum emendationum ſingulis libris, Geographicos autem & verborum ſingulorum accuratos Indices operi integro ſubjecit, omnibusq; adeo numeris iſtud abſolutum reddidit, ut nihil amplius ad conſummationem præſtantiſſimi hujus operis deſideretur.

INSTITUTIONUM JURIS NATURALIS IN moralis philoſophiæ doctrina Repræſentatio, Auctore Joanne Eiſenhart *in Acad. Julia P. P.*

Helmſtadi apud Wolfg. Hammium 1684. in 12.

QUi jus naturæ hoc noſtro ſeculo tradere inſtituerunt, diverſas inter ſe ac a veteribus vias ingreſſi ſunt: vel quod veterum modus, tradendi hanc diſciplinam, minus vitæ ac moribus noſtris convenire videretur: vel quod novitatis gratia magis ſeculo adblandiretur. *Autori* vero libri hujus *clariſſimo*, ex veteris philoſophiæ practicæ doctoribus, Ariſtotele inprimis, novas *Juris naturalis Inſtitutiones* adornare placuit; ut de uſu illius philoſophiæ in Jurisprudentia, quam ſimul cum hac, in laudata Academia Julia ſtrenue profitetur, conſtaret magis. Primum ergo ex hiſtoria literarum vetuſtos juris naturalis interpretes, poetas & philoſophos recenſet; quippe ex quibus veteres JCti ſuam juris peritiam hauſerunt. Inde, poſtquam obiter *Conradum Sincerum* notaſſet, qui in *diſſertatione Epiſtolica*, jus Hebræum eundem uſum præſtare poſſe, quam Romanum, aſſeruerat; pergit de recentioribus juris naturalis interpretibus agere. Hos inter nominat Thomam Aquinatem, Franciſcum Petrarcham, Fr. Victorium, Dominicum Soto, Azorium, Leonhardum Lesſium, Suareſium, Jac. Covarruviam, Fernandum Unſyvium, Albericum Gentilem, Joachimum Hopperum, Benedictum Winclerium Soltquellenſem, Hugonem & Guilielmum Grotios, Seldenum, Samuelem Pufendorfium, Thomam Hobbeſium (quem ſimul ob perverſam doctrinam perſtringit)

git,) Samuelem Rachelium, Caſparum Zieglerum, noſtrum Valentinum Alberti, & Joh. Joachimum Zentgravium. His nominatis aut laudatis, de Juris naturalis exiſtentia, definitione, origine atque immutabilitate: item de principiis & objecto juris naturalis tractare ſatagit. Quibus quatuor libri capitibus quaſi præmiſſis, docet, ut jus naturale pietatem in Deum præcipiat, impietatem vetet. Inde reliqua ejus præcepta adducit, eaque ad virtutes morales, prout in Ethica doctrina tradi ſolent, adplicat; tandemque ut proceſſum forenſem jus etiam naturæ dirigat, ſubjunctis duobus de *pœnis* & *præmiis* capitibus, demonſtrat.

ANTONII DADINI ALTESERRÆ, U. J. PROFESſoris & Decani Univerſitatis Toloſanæ, Recitationes Quotidianæ.

Tomus II.

Toloſæ, apud B. Guillemette, 1684 in 4.

QUanta cum dexteritate Profeſſorio munere, quod in Academia Toloſana ſuſtinet, defunctus ſit Autor, Quotidianæ hæ, quas ſiſtimus, Recitationes abunde teſtantur; prælectæ ſcilicet ac dictatæ Auditoribus, famoſam iſtam Univerſitatem frequentantibus. Illuſtrare vero prælectionibus his allaboravit varias partes Digeſtorum pariter atque Codicis, prout eas ad palatum, aut explicatu præ aliis digniores eſſe judicavit. Et partium quidem iſtarum leges ſingulas extantiores, legumve paragraphos, quo diſtinctius procederet, ſeorſim adgreſſus eſt. Ubique vero ſervavit Autor modum docendi jus κατὰ πόδα, a Juſtiniano ipſo injunctum: unde legem tantum ex lege declarans, rejiciendam omnino duxit molem commentariorum, quos ſcilicet ingenium obruere potius, quam ſublevare, magisque tenebras legibus, quam lucem affundere autumat. Diviſit totum opus in quinque tomos, quorum primus jam anno 1679 editus, in frontiſpicio exhibet elenchum harum recitationum, commonſtrantem qualis materiarum ſeries in ſingulis tomis lectori ſit expectanda. Agmen in primo tomo ducunt Claudii Tryphonini Libri 21 Diſputationum, quos ſcilicet, quatenus eorum fragmenta per jus noſtrum diſperſa reſtant,

ſtant, interpretari primum aggreſſus eſt Autor. Sequuntur promiſcue ex Codice ac Digeſtis tituli, quos illuſtrandos Auctor ſuſcepit. Cæterum optandum utique eſt, ut in editione trium, qui reſidui ſunt, tomorum celerius, quam quidem hactenus factum, pergatur: verendum enim alioqui, ne ob provectam nimis Autoris, octogenario quippe jam majoris ætatem, longior procraſtinatio iisdem nos forte penitus defraudet.

LA DOCTRINE DES RAPORTS DE CHIRURGIE, par Mr. Nicolas de Blegny Docteur en Medecine &c.

hoc eſt,

Doctrina Relationum Chirurgicarum, autore Nicolao Blegny Medicinæ D.

Lugduni apud Amaulry 1684 in 12.

Autor hic, qui pluribus Scriptis, v. gr. de Lue venerea, de Remedio febrium Anglico, Zodiaco inprimis Gallico, literario jamdum Orbi innotuit, Cadomi a Medica Facultate in Doctorum relatus numerum, quo gratum huic referret animum, præſentem de Relationibus chirurgicis divulgavit libellum, e tribus quem contextum voluit partibus. Quid Chirurgicæ enim Relationes in generoſibi velint; quæ ipſis juratorum Chirurgorum, tam magiſtrorum ſimpliciter talium, quam in Gallia ſimul vel a Rege, vel a primario Regis Medico eum in finem delegatorum, intuitu virtus inſit; & quotuplices demum Relationes chirurgicæ habeantur, una cum circumſtantiis æque ſingulis Relationum ſpeciebus appropriatis, ac qualitatibus in Chirurgo pro Relationibus bene conficiendis neceſſariis, in prima declarat parte. Hinc in tradendis formulis triplici Relationum a ſe conſtitutæ claſſi accommodatis deſudat totus, Relationum videlicet proprie ſic dictarum, v. gr. circa vulnera diverſa, ingravidationem itidem, abortum, virginitatem, &c. exempla in parte ſecunda; in tertia vero Excuſationum in variorum infirmorum gratiam ac Æſtimationum exhibens ſpecimina.

LA

LA VIE DE JEANNE DE VALOIS REINE DE France, par le R. P. Louis de Bony de la Compagnie de Jeſus.

ſive

Vita Johannæ Valeſiæ Reginæ Franciæ, autore Ludovico Bonio, Jeſuita.

Pariſiis, anno 1684 in 8.

HAud obſcurum in Hiſtoria rerum Gallicarum eſt nomen Johannæ illius, quæ trium Franciæ Regum filia fuit, ſoror, & conjux, ſed inviſa ob impenſum pietatis ſtudium patri Ludovico XI; neglecta a fratre Carolo VIII; poſtque viginti fere annorum matrimonium repudiata a marito Ludovico XII, pronunciante per Delegatos ſententiam divortii Alexandro VI, quem ſpes eminentis lucri, Regemque ſibi conciliandi deſiderium, adverſus Reginam armaverant. Infelicis hujus Joannæ vitam & res geſtas peculiari libello ita nunc deſcripſit Jeſuita Bonius, quaſi ipſam Sanctorum numero propediem inſerendam eſſe crederet, quod quidem antehac fruſtra a ſede Romana aliquot Galliæ reges petierunt. Quicquid ergo laudis cumulari in Sanctos ſolet, id Joannæ Valeſiæ Bonius tribuit; quicquid ſingularis pietatis ſpeciem hominibus conciliat, id de Joanna Bonius affirmat; viſionumque inprimis & miraculorum, quæ inde a tenera ætate patraverit, catalogum ſat prolixum texit. In quatuor partes diviſum eſt totum opus, quarum prima exponit, quid Joannæ acciderit imperante patre; ſecunda, quid evenerit imperante Carolo: tertia quantum adverſi experta ſit ſub initium regiminis mariti: quarta quid egerit poſt inſtitutum a ſe novum ordinem monachalium. Merentur a nobis potiſſimum tria commemorari, in quibus ab aliis Gallicæ hiſtoriæ conditoribus ſeceſſum Bonius fecit. Primum, quod, cum Joannam vulgo deformem, claudam, monſtroſamque nobis Autores depingant; Bonius eam ita deſcribat, ut formoſa videri poſſit; nixus vetuſta quadam ipſius effigie, quam operi etiam ſuo præfigi curavit. Alterum, quod cum alii Ludovicum quidem matrimonium cum Joanna invitum iniiſſe, poſtmodum tamen idem & approbaſſe & conſummaſſe

maſſe aſſirment; Bonius in eam ſit ſententiam pronior, quæ Ludovicum illico clam renunciaſſe conjugio palam inito, & toto illo viginti annorum tempore fraterno potius, quam conjugali amore uxorem proſecutum fuiſſe ſtatuit. Id vero Jeſuita eo, niſi fallimur, animo aſſeruit, ut novi nomine miraculi poſthac celebrari in Joanna poſſit, quod per tot annos conjux virginitatis florem conſervaverit. Tertium eſt, quod Joannam iſthanc Ordinis monachalium, qui Annunciationis dicitur, autorem fuiſſe Bonius pronunciet. Quamvis enim ab aliis ſcriptoribus diſerte id non negetur, diſſimulant tamen plurimi, & dum Joannam monaſterium virginum Annunciationis ingreſſam fuiſſe memorant, Lectori perſuadent, ut iſtius congregationis originem non ad Joannam referat, ſed in vetuſtiorum temporum caligine inveſtigandam putet.

NAUWKEURIGE VERHANDELINGE VAN DE Scheur-buik en des ſelfs Toevallen. Als ook een naakt vertoog wegens de Fermentatie oft innerlyke beweginge der ligbamen, meeſt op de gronden van Des-Cartes gebouwt door S. Blankaart, N. F. Ph. & Med. Doctor en Practiziin tot Amſterdam.

h. e.

Tractatus Curioſus de Scorbuto ejusdemq; Symptomatis. Nec non Demonſtratio plana Fermentationis ſeu inteſtini corporum motus, maximam partem fundamentis Carteſii ſuperſtructa. Autore Stephano Blancardo, N. F. Ph. & Med. Doct. ac Practico Amſtelodamenſi.

Amſtelodami, apud Johannem ten Hoorn, 1684 in 8.

TAmetſi omnibus, qui Scorbutum hactenus ſcriptis publicis enodare ſuſceperunt, *Williſius* & *Charletonus* palmam videantur præripere; nihilominus cum nec ab his univerſum difficultatis nodum expeditum fuiſſe Autor noſter clariſſimus deprehendiſſet, operam ſibi relictam autumavit, Scorbutum non minus, ac Fermentationem,

tra-

tractatu præſenti penitius & inprimis ex acutiſſimi Philoſophi Carteſii placitis, (ceu quibus Academiam jamjam ſuam Carteſianam ſeu Medicinæ Inſtitutiones, Actis noſtris menſe Aprili hujus anni inſertas, adaptaverat) excutiendi. Variis proin Scorbuti, quem ipſi quoque Indiæ utrique præter regiones alias obſervat endemium, nominibus enucleatis, ac definitionibus diverſis, prout a *Sennerto*, *van der Voorde*, *Eugaleno*, *Horſtio*, *Williſio*, *Charletono* aliisque ſuggeruntur, labefactatis, morbum hunc ſimpliciter ſanguinis incraſſationem eſſe aſſerit, aſſertumque remediis antiſcorbuticis volatilibus, generalique morborum theoria confirmat. Ipſam vero craſſitiem uti duplicem concipit, a pituita ſeu viſciditate alteram, alteram ab acido particulas volatiles figente provenientem; ita & a differentia notata duplicem pariter ſcorbutum, calidum alium, alium frigidum dimanare oſtendit. In craſſiori ſiquidem ſanguine, qui viſciditatis expers, eo ipſo, quod particulæ hujus a materia ſubtili tantum admiſſa valde agitentur, ac globuli una cœleſtes excludantur, magnum excitari calorem; in ſanguine contra viſcido, quia ab hujus hamis ætherei globuli retineantur firmius, nec adeo liber materiæ ſubtili aditus concedatur, enaſci frigus. Unde ad præcipuas ſanguini noſtro ſpiſſitudinem inducentes commode progreditur cauſas, tanquam ſcorbuti remotas, effectum ejusmodi ab aere, ab ædificiis novis cellisque ſubterraneis, ab alimentis itidem tam ſalſis, quam acidis, v. g. lacte ebutyrato, vino Rhenano, ſaccharo &c. aliisq; proficiſci non ſolum ſubinnuens, ſed & rationem e Carteſiana philoſophia deſumptam ſubnectens. Sic e. g. ab aere inſpirato, ſi purus ſit, ſanguinem rite accendi indigitat, quatenus prævaleat tunc materia ſubtilis, locumque ubique occupet derelictum a globulis cœleſtibus, velut quibus nitroſæ particulæ aereæ pyramidalem obtinentes figuram, dum a calore paulatim primum, mox celerius ac velocius quidem verſus apicem quam baſin moventur, ſint impedimento, quo minus cito invicem aſſociari denuo queant; vice verſa, ubi aer alterius figuræ atque motus particulis, e. g. acidis atque ſalſis, quales aeri Amſtelodamenſi ineſſe rationibus æque evincere nititur atque experimentis, inſpiretur inquinatus, cum impuritates ejusmodi convenientem nitri aerei motum, inſtar obſtaculi cujusdam rotarum in horologio circumgyrationi poſiti, remorentur, oppido talem ſanguinis ceſſare accenſionem ſeu

volatiliſationem, qua deficiente non poſſe non ejusdem ſequi incraſſationem. Quem fere in modum poſtquam reliquas quoque cauſas Scorbuti remotas explanavit, & contagioſum una recte dici Scorbutum, propter vermiculos e ſanguine ſcorbutico inter expirandum aliis communicatos demonſtravit, ad ſigna ulterius ſcorbuti diagnoſtica & prognoſtica accedit, curamque in genere craſſum attenuando ſanguinem perficere docens, in ſcopum hunc ex alterantibus remediis alcalia fixa, ſub quibus & terrea comprehendit, petroſa ſibi dicta, & alcalia volatilia, adeoque potum quoque Thée ac Coffée, nec non aromatica vult commendata, quorum partim catalogum, partim formulas cum fructu a ſe uſurpatas enumerat, acidis medicaminibus, quæ alias hic ſimul laudari ſolent, parvi vel nihili æſtimatis. Ex Evacuantibus vero venæſectione omni omiſſa moderatum ſaltem Emeticorum & Catharticorum ſuadet uſum, operandi horum rationem materiæ ſubtili acutas purgantium particulas verſus nerveam Ventriculi & Inteſtinorum tunicam adigenti attribuens. Tandem prolixum ſatis ac ſolicitum ſeſe gerit in ſpeciali pluriumScorbuti ſymptomatum, numerum denarium ter excedentium, & Theoria & Praxi e cauſis datis appoſite deducendis, ita quidem, ut præter eos caſus ſub finem appoſitos alia nonnulla hinc inde immiſceat obſervata, e quibus illud omnino curioſum, quod in cadavere cujusdam, dum viveret, gravi ſæpius cordis palpitatione oppreſſi, aperto pericardium lympha limpida ad libras ſeptem apparuiſſe repletum, item naturalem cordis magnitudinem altero tanto auctam, magnamque arteriam una cum valvulis plane oſſeam, & adeo circa valvulas anguſtatam, ut vix majoris aciculæ caput potuerit pertranſire, reliqua vero viſcera omnia, præter hepar ſcirrhoſum, ſana fuiſſe deprehenſa recenſet.

Alter vero qui de Fermentatione adjunctus eſt tractatus, ſi generalem elementorum doctrinam ad Carteſii mentem evolutam, nec non generalia Fermentationis requiſita ejusque phænomena demonſtrata excipias, non niſi ſpeciales fermentationis exhibet modos, circa panem v. g. cereviſiam, vinum, lac, plantas, corporum item incaleſcentias, corruptiones, efferveſcentias, ſolutiones, præcipitationes, coagulationes, quin & ignem ipſum obſervabiles. Verum quia nimis longum foret ſingularum iſtarum mutationum rationes, e Carteſia-

teſianis plerumque principiis deprompras, hic velle commemorare, earum unam vel alteram ſaltem, quo de reliquis haud difficulter judicare liceat lectori, nobis nunc attuliſſe ſufficiat. Scilicet Autor, dum panis exponit piſturam, farinam frumenti poſt aquam additam ideo aceſcere aceſcendoque fermenti naturam induere oſtendit, quod particulæ frumenti acidæ ac rigidæ præ aliis ejus moleculis a materia ſubtili impetuoſius commotæ, ratione figuræ acutæ & utrinque ſecantis, connexas ſibi particulas ramoſas ſeu oleoſas, a quibus antea velut ligatæ tenebantur, diſcindere nunc ſoleant ac diſcerpere, adeoque omnibus reliquis prævalere. Inde, priusquam uvarum ſuccum, muſti nomine venientem, a materia elementi primi in fermentationis abripi motum, tranſitus rectilinei denegati intuitu, doceat, ipſæ quandoq; uvæ immaturæ cur duritiem contrahant, ſi a grandine ſcilicet tangantur, apte a tubulorum plurium, ſuccum ad uvarum veſiculas devehentium, læſione derivat. Quod uvæ autē novi-ac plenilunii tempore magis matureſcant magisq; ſucci ſint plenæ, majori ſeu celeriori, quem Luna tunc in vortice ſuo oblongo habet, adſcribit motui. Sed uti porro globulorum æthereorum preſſioni motuique materiæ ſubtilis refert acceptum, quod lac ſibi relictum in tres ſubſtantias diſtinctas, pinguem videlicet, ſeroſam & caſeoſam, ſecedat: ita utriusque pariter motum ac preſſionem in plantarum, quæ totæ jamdum in ſeminibus ſuis fabarum & lupinorum exemplo conſpiciantur, conſiderat vegetatione, jucunde ſatis & prolixe a ſe delineata. Ulterius ubi in acidi atque alcali invicem commixtorum inquirit efferveſcentiam, hanc ex eo ſuboriri declarat, quod primo acidum alcali ex particulis longis & politis compoſito affuſum æque inde reſiliat, ac globulus ſive pila in pavimentum politum incidens; deinde vero, cum inter reſilitionis hunc motum particulæ confundi incipiant, ipſi tunc extrudantur globuli cœleſtes, quorum meatus triangulares ſola permeare poſſit materia ſubtilis motum priorem auctiorem reddens; demum, dum particulæ ſic invicem impingantur, quidam adhuc excutiatur ignis, non ſecus ac ex chalybe cum ſilice percuſſo. Inter varias denique quas rimatur præcipitationes, haud infimum meretur locum ea, quæ Mercurii ab Aqua forti ſoluti interveniente ſale communi vel ſpiritu ſalis contingit præcipitatio, hunc in modum

dum

dum ab Autore expedita. Scilicet, etiamſi ſal commune & ſpiritus ſalis acido non minus ſint imprægnati ac Aqua fortis, quia tamen præcipitantium horum ſpicula acida longe ſint craſſiora, quam ſolventis, ideo evenire, ut, ſtatim ac gravia ejusmodi ſalis hujusve ſpiritus acida poris argenti vivi ſeſe inſinuent, acidasque exinde Aquæ fortis moleculas ſubtiliores per circularem quendam motum ejiciant, ipſum argentum vivum gravius ſic redditum præcipitetur ad fundum.

De reliquo cum Autor in Inſtitutionibus Medicinæ fuſe jam egerit de alterationibus in ſanguine ac humoribus noſtri corporis occurrentibus, ſtudio earundem nullam hic injecit mentionem, alia quoque quæ hic afferri una potuiſſent, ad tractatum *de medicamentorum operationibus*, it. *de Chymia* ſibi reſervans; quorum contenta, ubi lucem aſpexerint, impoſterum pariter dabimus ac eorum, quæ *de Podagra, Lue Venerea, Infantum Educatione ac Morbis, Praxi itidem Medica &c.* a Noſtro in publicum jamdum prodiere.

ΘΕΜΙΣΤΙΟΥ ΛΟΓΟΙ ΛΓ.

h. e. Themiſtii Orationes XXXIII, cum notis Dionyſii Petavii & Johannis Harduini Jeſuitarum &c.

Pariſiis in Typographia Regia, 1684 in fol.

Philoſophis acutiſſimis ſuo merito jam olim adſcriptus eſt Themiſtius, isque ex familia Ariſtotelis, ſi Hermolao Barbaro credas, oriundus. Egregium ſua memoria Philoſophum vocat Auguſtinus, & Casſiodorus diligentisſimum ſcriptorem ac lucidum, & omnia ad facultatem intelligentiæ reducentem & revocantem. Antonio Zimarræ, qui Tabulas ſuper Ariſtotelem edidit, creditus eſt Alexandri Aphrodiſæi abbreviator; ſed falſo, ſiquidem ab eo diſſentit haut timide, obſervante eodem Hermolao, cum collibuit, ordinemque ac ſeriem ejus variavit; veſtigiis tamen ejus inſiſtens Ariſtotelis Poſteriora & Phyſica, item librum de anima, memoria & reminiſcentia, ſomno & vigilia, inſomniis & divinatione per ſomnum eleganter & perſpicue explanavit, ſeque ipſum paraphraſten *Ariſtotelis* non obſcure eſt profeſſus. Hos libros Themiſtii Paraphraſti-

cos

cos Hermolaus Barb rus, Patritius Venetus jam dictus, Latinos reddidit, & Venetiis A. 1570 in fol. edidit, una cum Themiſtii ejusdem paraphraſi in libr. III de anima, a Comite Ludovico Nogarola Veronenſi tralata, & ſubtilisſimis ſcholiis illuſtrata. Sed ſi Voſſium *de Philoſophia p. 8.* audire velis, Themiſtius ab Hermolao, dum nimium ſtudet elegantiæ, tanta converſus eſt libertate, ut ſæpisſime longe aliud dicat, quam ſenſerit Themiſtius; optandumque adeo ſit, edi tralationem veterem, quam apud Carpetanos alicubi deliteſcere ajunt. Fuit autem Themiſtius non inſignis tantum Philoſophus, ſeu *lucidiſſimus Peripateticus*, uti in titulo libri jam dicti ſalutatur, ſed & Orator ſine pari; unde & *εὐφραδὴς* h. e. eloquens fuit cognominatus. *Themiſtii Orationes dum lego* (inquit Muretus, Orator ipſe diſertisſimus, II Or. 18) *nullum ei Sophiſtarum, qui hoc unum agebant, ut comte ac polite dicerent, antepono.* Nec mirum, eum, cum excellentis fuerit indolis, tam celſum ſapientiæ atque eloquentiæ culmen attigiſſe. Patrem enim (ut & vitam ejus ſtrictim percenſeamus) habuit Eugenium, Philoſophiæ in Paphlagonia Profeſſorem ſapientisſimum, cumque ſub diſciplina ejus plurimum profeciſſet, in Ponto Aſiæ præclaris artibus fuit inſtitutus. His præſidiis inſtructus commentarios ſcripſit in Ariſtotelem, qui tanti a Sicyonio quodam Philoſopho fuerunt æſtimati, ut ſchola ſua derelicta recta Conſtantinopolin advolarit, ferturque & ipſe non minus, quam Socrates ab Oraculo, a diſcipulis dubitantibus conſulto, ſapientisſimus omnium judicatus. In ipſa autem celebritatis *ἀκμῇ* conſtitutus peregrinari cœpit, & Philoſophiam hinc inde, Antiochiæ inprimis, Nicomediæ, & in Galatia, & Conſtantinopoli, & Romæ profiteri. Et Romæ quidem tanto cum applauſu omnium Philoſophiam docuit, ut, quo retinere eum apud ſe poſſent, non honeſtisſimas tantum conditiones ei proponerent, ſed & Imperatorem ipſum ea propter interpellandum cenſerent. Sed Conſtantinopolin ille, ubi docendi munere functus jam viginti annos fuerat, rediit, ibique & uxorem duxit, & liberos procreavit. Fixo ibi fortunarum ſuarum domicilio, & principatum inter Philoſophos, & gratiam apud Imperatores obtinuit. A Theodoſio certe non urbi tantum, poſt legationes X obitas, ſed & Arcadio filio, cum profecturus in Occidentem eſſet, fuit præfectus; quanquam non ſoli Theodoſio, ſed & plerisque Imperatoribus charus extitit; Conſtan-

Digitized by Google

tio inprimis, a quo Senatoribus Conſtantinopolitanis adſcriptus, Prætoriisque inſignibus exornatus, imo & ſtatua ærea fuit donatus, & Valenti, cujus & ſævientem in orthodoxos rabiem eloquentia & autoritate ſua compeſcuit. Chriſtianus inde, & quidem hæreticæ factionis princeps, nonnullis fuit viſus. Verum diſcernendus omnino eſt hic Themiſtius a Themiſtio alio, qui ſectam Agnoetarum condidit, proque gentili habendus, cum in Orationibus non alio, quam perpetuo gentilium more conſuetudineque loquatur. Tametſi enim in Orationibus illud in ſacro Codice obvium: COR REGIS IN MANU DEI eſt, aliquoties afferat, affert tamen tanquam ex libris peregrinis, atque Aſſyriis, ut vocat, arceſſitum. Fuit interim cum Gregorio Nazianzeno familiariter conjunctus, teſtibus Gregorii ad eum ſcriptis, atque huic operi præfixis literis. Sed de vita Themiſtii ſatis; nam, quo anno, quove Imperatore diem ſuum obierit, nondum cognitum atque exploratum eſt.

Orationes ejus quod attinet, earum XX annis abhinc LXI doctiſſimus Jeſuita Dionyſius Petavius edidit: nec intermiſit poſt illa tempora MSStos hinc inde codices quam diligentiſſime conquirere, ut tredecim aliæ acceſſerint prioribus, atque adeo XXXIII Orationes jam edi potuerint. Ex hiſce paulo ante obitum undecim fere ipſemet, eam deinde, quæ ordine XVII eſt, & extremam *XIII* Orationis partem *Gabriel Coſſartius*, poſtremam vero *Johannes Harduinus*, magnæ eruditionis Jeſuita, & hujus editionis adornator, a *Johanne Garnerio* ejuſdem Societatis inſtimulatus, in Latinum ſermonem transtulit. De ordine Orationum Panegyricarum ſeu Auguſtalium ſi quæras, Harduinus non ſine ingenti labore eas diſpoſuit, prout ſcripta unaquæque ab autore ac pronunciata eſt. Cæterarum vero, quæ Sophiſticæ & declamatoriæ ſunt, ob temporum veſtigia non deprehenſa, primo loco eas, quæ jam antea fuerunt editæ, & denique e MSStis libris erutas, eo, quo repertæ ſunt, ordine collocavit; & ne eruditis moleſtiæ quid creari queat, Themiſtianas Orationes primæ editionis longe aliter diſpoſitas jam videntibus, triplicem Orationum indicem ſubjunxit, primum Petavianarum, quæ A. 1618 Pariſiis prodierunt; alterum Themiſtianarum omnium, eo, quo nunc ſunt, ſitu & ordine; & tertiam Panegyricarum, ſeu Auguſtalium Chronologicum, ſeu quo quæque anno, quibus

Digitized by Google

bus Auguſtis, quibusque Conſulibus dicta ſit, præmonſtrantem. Addidit etiam notas & obſervationes, & primum quidem Petavianas ſuo quasque loco repoſuit, easque intactas, ſi paucas exceperis, reliquit; dein & ſuas inſeruit annotationes, utque ſuæ a Petavianis diſcerni poſſent, ſingulis notis Petavii nomenque ſuum præfixit. Has pervolventibus non pauca occurrunt lectu & obſervatu digna, v. g. cingulum militiæ primum, tum cujusvis magiſtratus & honoris, etiam Auguſtalis ſymbolum f. 372; calceus purpureus Imperatoris inſigne f. 378; coronæ aureæ publice a civitatibus, a ſociis etiam ac fœderatis, Regibus ac Principibus oblatæ, f. 391; Trabeæ veſtis triumphalis deſcriptio f. 444, ritusque plures notabiles alii. Occurrunt & loci autorum correcti & emendati, qualis ille eſt Herodoti, pontes a Xerxe in Helleſponto fabricatos deſcribentis f. 450 ſeqq. ut & narrationes ſententiæque gravisſimorum autorum confutatæ, v. g. Appiani f. 396, qui de Syllæ Dictatura loquens, Romæ regnatum Ç Olympiadibus, h. e. CCCC annis, a Regibus fuiſſe abſurde dixerat, totidemque Olympiades Conſulari Reipublicæ tribuerat, a quibus tamen XXXIII anni ad ſummum deeſſent, annumque præterea illum, quo Sylla dictaturam iniit, cum Olympiade CLXV, contra rationem temporum, comparaverat; Plutarchi item f. 404, qui Græcorum navalem ad Salaminem conflictum jam menſe Munychione, alibi menſe Boedromione contigiſſe memoravit, cum tamen pugna illa in Myſteriorum dies inciderit; ut & Joſephi Scaligeri f. 405 ſeqq. qui pugnam hanc Salaminiam tanquam baſin periodi Atticæ conſtituerit, quæ tamen magis ad ſpeciem, quam ad rei veritatem ſit expreſſa; minora etiam Cereris myſteria trieterica, & majora quinquennalia fecerit, cum tamen & majora & minora, uti Petavius ex Scriptoribus Græcis oſtendit, celebrata fuerint, f. 409 & ſeqq. Inter ea autem, quæ Harduinus annotavit, non prætereundum eſt illud f. 477, de Theodoſii M. & Flaccillæ liberis. Cum enim Arcadium & Honorium Theodoſii filios ex Flaccilla natos plerique omnes doceant, nec occurrat facile, qui liberos alios, præter hos, numeret, Harduinus par alterum reperit, Gratianum & Pulcheriam, in Gregorii Nyſſeni & Ambroſii ſcriptis. Nam ille in extrema Oratione, quam in funere matris Flaccillæ habuit, diſerte liberos quatuor fuiſſe illi profitetur, tres virilis ſexus & filiam; hic vero

Ooo 2 de

de obitu Theodoſii etiam fratris nomen prodit, imo, ſi cum Harduino legas, etiam ſororis. Quatuor ergo Harduinus Theodoſii ac Flaccillæ repræſentat liberos, Arcadium, Honorium, Gratianum, & Pulcheriam. Ex his Pulcheriam ante matrem ex Gregorio, Gratianum ante patrem obiiſſe, ex Ambroſio declarat. Sed conſulatur Themiſtius ipſe Petavii & Harduini notis illuſtratus, qui & indice verborum ac rerum neceſſario non deſtituitur.

SUPPLEMENTUM PATRUM, quod e MSS. Codicibus eruit, notisque & diſſertationibus illuſtravit Jacobus Hommey, Auguſtinianus Communitatis Bituricenſis.

Pariſiis, apud Petrum de Laulne 1684 in 8.

QUanquam Bibliotheca Patrum in noviſsima editione immane quantum fuit adaucta, reperiuntur tamen indies in Bibliothecis Codices MSS. quibus multo auctior ea ac cumulatior poteſt reddi. Cujusmodi ſcripta cum in diverſis Bibliothecis invenerit *Jacobus Hommey*, hactenus in Iſidori Hiſpalenſis operibus caſtigandis ac locupletandis occupatus, *Supplementum* hoc, ut vocat, *Patrum*, quin ederet, intermittere non potuit. In hoc primum ſe offert *S. Bernardi Muſica*, inq; ea (1) epiſtola ſive præfatio in Antiphonarium Ordinis Ciſtercienſis. (2) tractatus de ratione cantandi Antiphonarium, (3) tractatus de ratione cantandi Gradale. (4) de tonis in genere, & (5) qui quærendus p. 188, de tonis in particulari. Deinde *S. Bernardi Expoſitiones morales*, quas quidem S. Bernardi genuinas eſſe ipſe Hommey non agnoſcit; item liber S. Bernardi de laudibus Deiparæ metricus, & continuatio *Commentariorum in Cantica Canticorum*, autore Abbate G. cujus nomen adhuc incognitum eſt. Succedit S. Ambroſii ſupplementum, ſeu tria ejus opuſcula, quorum primum eſt Fidei ejus Symbolum, 2 expoſitio in Cantica Canticorum, & 3 Recapitulationes. Sequitur Supplementum D. Gregorii ſive Commentaria in Cantica Canticorum, ſed quæ Hommey Radulpho Fontanellenſi, qui hactenus Flaviacenſis dictus eſt, poſtliminio reſtituit; & Guilelmi Diaconi S. Guillelmi Bituricenſis allegoriæ veteris & novi teſtamenti,

ti, ejusdemque opuſcula de quinque ſenſibus, de paſſione Domini, de Euchariſtia, & prologis librorum bellorum Domini contra Judæos & hæreticos &c. Excipit hæc Supplementa Supplementum Operum Hildeberti, primum Cenomanenſis, dein Turonenſis Archiepiſcopi. In hoc exhibetur 1. liber de querimonia & conflictu ſpiritus & carnis, 2. liber de concordia veteris & novi teſtamenti metricus, 3 Orationes Theologicæ ſeu rhythmi ſacri, quorum initium eſt *Alpha & Omega Deus meus, Eli, Eli, meus Deus &c.* 4. liber unus elegiacus de ſuo exilio, cujus initium: *Nuper eram locuples &c.* 5. liber metricus de urbe Roma, & 6. alia miſcellanea metrica. Adduntur his opuſculis nomina eorum, ad quos Hildebertus epiſtolas ſuas direxit, ut & notæ ad ejusdem epiſtolas, in quibus Hommey acephalis eorum, ad quos ſcripta ſunt, nomina impoſuit, depravatis lectiones veras reſtituit, & obſcuras illuſtravit. Annectitur Viridarium Gregorianum, ſive Biblia Gregoriana a Jacobo Folquerii, Eremita Auguſtiniano, & Doctore Tholoſano collecta, & vita S. Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi a B. Jordano de Saxonia Eremita Auguſtiniano ſcripta, nec non Supplementum Concilii Baſileenſis, ſive Oratio præambula reſponſionibus diſputatorum hujus Concilii ad articulos Boemorum; ut & Index rerum ac verborum locupletisſimus. Si de MSStis Paulinæ Bibliothecæ noſtræ addere quid hoc loco licet, aſſerere cum nobilisſimo Barthio, Paullini Collegii quondam incola, & Critico admirando, non dubitamus, ex ineditis ejus libris non multo pauciores tomos, quam Caniſianos, poſſe confici; tanta ſiquidem a Bibliothecario ejus in nupera excuſſione deprehenſa eſt copia, ut Supplementa id genus Patrum vel librorum Theologicorum ἀνεκδότων evulgari adhuc alia posſint. Sunt inter illos MSS. Hildeberti Epiſtolæ ac Sermones, verſus item de Sacramentis, de vita S. Mariæ Ægyptiacæ, de creatione mundi & operibus ſex dierum; nec rhythmi tantum illi ab Hommey hoc libro editi, ſed & alii LXXX in Mariam Deiparam, quorum initium: *Imperatrix reginarum, & Salvatrix animarum* &c. ut & Elegia de ſuo exilio. Extat in eadem Bibliotheca & *Muſica Bernardi.* Hunc enim titulum præ ſe fert liber quidam membranaceus; eſtque epiſtolæ dedicatoriæ hoc initium: *Domino Deoque dilecto Archipræſuli Piligrino, vero hujus mundi advena & peregrino Bern.* Sed Bibliothecarius in fine adſcripta reperit hæc verba: *Explicit Mu-*

ſica Bernonis. Scripſit enim Berno, Abbas Cœnobii Augienſis, & Ordinis Cluniacenſis, non hunc tantum libellum, ut vocat, tonarium Piligrino inſcriptum, ſed & de Muſica peculiarem librum, ut & librum de menſura Monochordi, & Antiphonarium; qui libri & ipſi MSSti in Bibliotheca noſtra reperiuntur. Extant præterea in eadem Bibliotheca tot rhythmi Latini MSSti, ut Tomus exinde non exiguus poſſit concinnari. Sed hæc omnia clarius pateſcent ex catalogo MSStorum Paulinorum novo propediem publicando.

JOH. CHRISTOPH. AB UFFENBACH, COMItum ab Yſenburg & Budingen Conſiliarii, Tractatus de Conſilio Cæſareo-Imperiali Aulico, vom Käyſerlichen Reichs-Hoff-Rath/ *ejusque prærogativis, ordinationibus & praxi.*

Viennæ Auſtriæ, typis Joh. Chriſtoph. Coſmerovii, 1683 in fol.

Suprema in Imperio noſtro Romano-Germanico, & extremæ provocationis tribunalia eſſe Conſilium Cæſaris Aulicum & Cameram Spirenſem, nemini, qui vel ſummis ſaltem labris Reipublicæ hujus notitiam deguſtavit, ignotum eſſe poteſt. Ac de hac quidem, Camera nempe Spirenſi, non eos tantum, qui generatim jus noſtrum publicum explicare ſunt adgreſſi, fuſe ſatis egiſſe paſſim deprehendes: ſed & præterea ejusdem formam ac proceſſum ſingularibus libris delinearunt *Blumius in Proceſſu Camerali noviſſimo, Rodingius in Pandectis Cameralibus*, aliique. De Aulico tamen judicio, quod mireris, parcior hactenus notitia extitit. Præter eos enim, qui aut Academicis Diſſertationibus materiam hanc delibarunt, aut incidenter ſaltem in operibus ſuis de ea tractarunt, (quorum utrorumque catalogum præfatio hujus libri exhibet) nemo hucusque comparuit, qui juſto ac methodice ſcripto volumine & ex profeſſo naturam & practicam ſplendidisſimi hujus tribunalis traderet. Unde & ipſe noſter Autor non abnuit elogium, quod operi huic Rich. Malcomeſius, Conſiliarius Haſſo-Darmſtadinus, in epiſtola parænetica ad eundem tribuit; nimirum *ejusmodi opus eo habitu inter ju-*

ris

Digitized by Google

ris publici ſcriptores hactenus viſum non eſſe. Optime proinde de publico meritus eſt laudatus Autor, quod ad dilucidandam pleniusque tractandam hanc materiam manum admovit: tanto majoribus inſuper gratiis dignus, quod non ſuper incertis rumoribus aliorumve relationibus, ſed propria plerumque experientia, optima illa rerum magiſtra edoctus, ſcriptum hoc concinnavit; utpote qui, cum hæc literis mandaret, jam per duodecim annos in negotiis Statuum & membrorum Imperii, Judicium hoc & Cameram Imperii Spirenſem frequens inviſere conſueverat; occaſionem adeo nactus ſpecialia complura, quæ alios fere latent, obſervandi atque inveſtigandi. Liber ipſe, cujus contextus jam Latino, jam Germanico idiomate, prout Autori commodius viſum fuit, conſtat, in diverſa capita digeſtus eſt, quorum ſingulorum œconomia & architectura quaſi, in tabella operi præmiſſa exhibetur, elegantem eorum inter ſe nexum oſtendens. Et initio quidem de judicii hujus præſtantia, ſtatutis, autore item & ſcopo agit: hinc perſonas, ex quibus componitur, partes item litigantes ſiſtit: porro de ejus Jurisdictione & cauſis exemtis tractat; ac denique ſingulas proceſſus partes, & quid in qualibet obſervandum, ſtudioſe explicat; ultimo loco, quomodo mortuo Cæſare ipſum quoque hoc archidicaſterium quaſi commoriatur, & quid vigente Vicariatu obtineat, tradens. Ad ſpecialia, quæ ſubinde communicat, ſi deſcendendum foret, facile prolixi eſſe poſſemus: ſed brevitatis & inſtituti noſtri rationem habentes pauca ſaltem, quæ de ipſis hujus Conſilii aſſeſſoribus perhibet, ſpeciminis loco attuliſſe erimus contenti. Numerum horum Conſiliariorum, licet juxta Ordinationes ultra 18 adſcendere non debeat, hodie ait ad 29 usq; auctum eſſe; eo quod nunc ad legationes obeundas frequentiſſime adhiberi ſoleant: providendum ergo fuiſſe, ne per horum abſentiam collegium ad exilem nimis numerum redigeretur. Salarium eorundem ordinarium eſſe 1300 florenorum (ſicut Aſſeſſorum Spirenſium 1000 Imperialium) una cum habitatione libera: accedere dein accidentia, quæ vocant, nonnulla, quæ itidem enarrat *pag. 28.* Ulterius aſſerit, Conſiliarios hos dignitate antecedere Aſſeſſoribus Cameralibus; atque hoc inſuper habere prærogativæ, quod ii etiam, qui ex literatorum ſaltem ordine ſunt, ex eo ipſo tempore, quo recipiuntur in hocce Collegium, Nobiles fiant, ac nobilium juribus ac privile-

giis

Digitized by Google

giis gaudeant, in tantum ut etiam titulus Hochedelgebohren ipſis tribuatur. Indefeſſam porro ipſorum induſtriam commendat inter alia ex eo, quod ne quidem meſſium, vindemiarum aut nundinarum tempore ferias agant; ſed non niſi anniverſariis feſtis, quorum catalogum *pag. 216.* exhibet, a laboribus ceſſent. Prohibitum inſuper ait, ullis, præter Cæſaris regentis effigiem, picturis conclave, ubi conveniunt, exornare; ne hoc pacto fortean cogitationes eorundem quodammodo diſtrahantur. Notat denique, per mortem aut reſignationem Cæſaris officia & functiones horum Conſiliariorum plane expirare, in tantum ut in liberrima Succeſſoris voluntate ſit, quosnam ex illis de novo recipere velit. Et hæc quidem de Aſſeſſoribus ſummi hujus tribunalis allata ſufficiant; quorum inſuper conſeſſum integrum cum conclavis, in quo congregantur, figura in tabula ænea delineat Autor; tam ſcrupuloſa quidem cum accuratione, ut nec nolæ argenteæ, cujus tinnitu ſignum pedello ſive janitori dari ſolet, ſuum in menſa locum adſignare fuerit oblitus. Non minus fere exactum ſe præbuit in deſcribendis ceremoniarum minutiis, quæ in diverſis actibus ſolennibus obſervandæ veniunt: ſic v. g. *pag. 257*, enarrat ritus, quibus Heraldi, ſi quando id ipſis committitur, Cæſaris mandata inſinuare ſoleant: quam in rem affert ipſam relationem Balth. Hamoir, Heraldi Imperialis de expeditione ſua apud Francofurtenſes, ad quos tumultum machinantes ablegatus fuerat anno 1614. Pariter ſuo ipſius exemplo exponit ceremonias in audientiæ actu coram Cæſare obſervandas, *pag. 226.* Inveſtiturarum etiam ritus & ſolennia multis ediſſerit *pag. 114. ſeqq.* ubi inter alia narrat, Rudolphum Cæſarem non, ut hodie fieri ſolet, porrecto ad oſculum gladii cono vaſallos inveſtiiſſe; ſed pertactum imaginis Crucifixi. Notat etiam ibidem, tametſi moris ſit in actu inveſtituræ utrumque genu coram Imperatore flectere, Bohemum tamen uno tantum flexo admitti: imo Archiducem Auſtriæ id privilegii habere, quod tecto & plumis criſtato capite, equo inſidens inveſtituram recipiat. Cæterum utut liber hic jam per ſe ſatis æſtimari mereatur, nihilominus ejusdem pretium & præſtantiam haud parum adaugent appendices, quas Autori ſubnectere placuit. Sic enim primo exhibet ſex diverſas ſupremi hujus dicaſterii Ordinationes a Ferdinando I, eumque ſecutis Imperatoribus promulgatas. Porro com-

communicat Decreta hujus Conſiſtorii communia, quorum ope variis abuſibus, qui ſubinde ibidem irrepſerant, obviam itum eſt: quæ ipſa hactenus nondum edita Autori ex Originali, dem Reichs-Hof-Raths-Buch/ ad deſcribendum conceſſa fuere. Sequuntur Cancellariæ atque Taxæ Ordinationes, & ſpeciatim noviſſima, cura Electoris Moguntini anno 1659 die 6 Januarii publicata, ipſa quoque hactenus in lucem publicam nondum emiſſa. Ulterius quo modus re- & correferendi, in Judicio hoc receptus, melius cognoſceretur, exempla diverſarum Re- & Correlationum, nec non votorum aulicorum retulit Autor, prout ab ipſis Aſſeſſoribus fuere concepta. Denique ſubjungit Codicem Titularem tam Conſiliariorum, quam Agentium & Cancellariæ inſervientium in hoc Judicio, qui & ipſe ſcilicet ad pleniorem ejus cognitionem, maxime cum integer cujusque titulus recenſeatur, haud parum contribuere poſſe ipſi viſus eſt.

JOHANNIS PAULI LANCELLOTTI Inſtitutiones Juris Canonici, cum notis Johannis Doujatii, Anteceſſorum Pariſienſium & Regiorum Profeſſorum Primicerii atque Hiſtoriographi Regii.

Tomi duo.

Pariſiis, apud Antonium Dezallier, 1685 in 12.

SUpervacuum & otioſum foret, multis hic deprædicare, quanto in pretio, apud Romanæ inprimis Eccleſiæ aſſeclas, habeantur Inſtitutiones a Lancellotto conſcriptæ. Præterquam enim quod primus fuit, qui ad concinnandum tale compendium manum admovit; ipſius etiam Pontificis autoritate, aut indultu certe, id conſcripſit: ipſiſſimis inſuper plerumque verbis uſus eſt, qualia in corpore juris canonici adhibentur; unde eadem opera & præcepta ab eo accipere, & receptis in jure iſto loquendi formis adſueſcere poteſt lector. Atque hæ etiam aliæque ſimiles rationes Doujatium permoverunt, ut ſatius duceret, Lancellottum notis explicare, quam Inſtitutiones juris Canonici proprio Marte contextas, quas alioquin in promtu habebat, edere. Cum vero Lancellotti labor uſibus cupidæ canonum


juventutis in Gallia per ſe non ſatis accommodatus videretur, eo quod Jus ejus regni eccleſiaſticum ſpecialia multa habet, ab ipſo, homine ſcilicet Italo, quique paulo ante exitum Synodi Tridentinæ (cujus tamen Decreta ibidem magnam partem per conſtitutiones regias recepta,) ſcripſit, omiſſa: hinc Doujatius id inprimis egit, ut notis ſuis illius Synodi ſanctiones ſuis locis inſereret, rerum dein Eccleſiaſticarum origines indicaret, ac denique Eccleſiæ Gallicanæ inſtituta peculiaria ſuppleret. Curæ etiam ipſi fuit, loca juris canonici, ex quibus ceu fontibus ſcriptum ſuum hauſit Lancellòttus, in margine ubivis allegata, cum mendis antea ſcaterent, ſuæ integritati reſtituere. Appendicis tandem loco diverſa ſubjunxit, quæ ad commodius addiſcendum jus Canonicum facere poterant: nimirum brevem ejus juris hiſtoriam; rubricas Decretalium, adjuncta per modum tabellæ ſequentium collectionum concordia; porro notarum & abbreviationum utriusque juris explicationem; regulas juris ex VI. Decretalium; ſeriem, numerum, ætatem Pontificum Romanorum, nec non Conciliorum omnium: indicem item Patrum Græcorum & Latinorum ſervato ſæculorum ordine; ac tandem Regulas Cancellariæ Apoſtolicæ: ut adeò fatendum ſit, librum hunc uſibus ſtudioſæ juventutis, cui jam per quadriennium in Academia Pariſienſi principia juris Canonici clariſſimus Autor profitetur, apprime convenire.

NOVA METHODUS CASSINIANA obſervandi Parallaxes & diſtantias Planetarum a terra, tentata Romæ a Clariſſimo Abbate Franciſco Blanchino, transmiſſa Lipſiam ab Illuſtriſſ. Emanuele a Schelſtraten, Bibliothecæ Vaticanæ Præfecto.

In literis a. 1685, d. 15 Sept. Roma datis.

TErreſtris Semidiametri longitudo, modica quidem ſi cum Cœli amplitudine conferatur, ſatis tamen ampla ad Aſtronomiæ veſtigium excipiendum, modulus eſt, quo Planetarum diſtantias metimur. Pro quantitate anguli, quem illa ſubtendit, ſi ex diverſis ætheris partibus inſpiciatur, illius puncti, a quo inſpicitur, elongationem conjicimus ope Trigonometricæ facultatis, quam longe facillimam reddidit hoc ipſum, quod vivimus, ſæculum. Fit itaque, ut ſinus dimi-

Digitized by Google



Digitized by Google

dimidii anguli, ſub quo tellus e. g. e Luna ſpectata appareret, ad ſinum totum; ita Semidiameter Terræ ad Lunæ diſtantiam in terreſtribus pariter Semidiametris. Tota igitur difficultas definiendæ diſtantiæ in eo verſatur, ut quiſpiam terræ inſiſtens metiri poſſit angulum, quem terrena Semidiameter ſubtenderet, ſi ab eo puncto ſpectaretur, cujus elongationem a nobis inquirimus.

Antiquitus anguli hujus quantitatem inveſtigabant Aſtronomi ope duplicis obſervatoris, qui eodem tempore e diverſis ac diſtantibus terræ locis in idem Aſtrum intenderent. Ut puta cum Mars eſſet in M, alter vero obſervatorum in V, alter in Z, duobus Globi Terraquei punctis ab invicem diſſitis: uterque illorum notabat Cœli punctum, ad quod referri e loco ſuo Mars videbatur. In hac poſitione, obſervator Z vidiſſet Martem cum ſtella S per rectam lineam Z M S; alter vero degens in V, illum vidiſſet per rectam V M R cum ſtella R. Tum collatis obſervationibus, ex differentia R S arguebant angulum R M S (qui in maxima fixarum elongatione fere idem eſt ac R Z S) ſeu illi ad verticem Z M V, nempe illum, ſub quo Terræ portio Z V e Marte ſpectaretur. *TAB. XII. Fig. I.*

Præclariſſimus ætatis noſtræ Aſtronomus Jo. Dominicus Caſſinus prudenter animadvertit, ſtellas ipſas fungi poſſe munere alterius obſervatoris. Quapropter in doctiſſimo opuſculo, de Comete anni 80 hujus ſæculi, methodum docet accuratiſſimam & maxime compendioſam ejusdem rei præſtandæ, per unicum obſervatorem, qui per plures vices eadem nocte collimet in aſtra tubis opticis, reticula ſeu micrometro (ut aliqui vocant) armatis. Operæ pretium eſt tanti viri nunquam ſatis commendatum inventum uberius exponere, ut ſæculi noſtri felicitas in dies adaucta illos potiſſimum recreet, a quibus dignitatem accipit plurimam, & novam amplitudinem ſibi non temere pollicetur. Quod ſi præſtitero, fidem quoque diligentiæ noſtris obſervationibus aſtruam, & auctoritatem non modicam exhibito inventi ſpecimine comparabo.

Quærendum itaque eſt, quonam pacto ab unico Obſervatore in Terra poſito inveniri poſſit Quantitas anguli, quem ſubtenderet Terræ Semidiameter, ſi ex aliquo Planetarum ſpectaretur.

Supponamus me in Axe mundano poſitum Terram D inſpicere. Punctum D referet Polum Terreſtris æquinoctialis, qui per circu- *Fig. II.*

lum A B C apte exhibebitur. Intelligatur planum B A C indefinite produci: jam referet planum Cœleſtis æquatoris in omnibus Planetarum ſphæris quas attinget, tum etiam in ſuprema fixarum ſede, cum eo usque productum fuerit. Sit itaque e. g. Mars in H, qui ſupponatur verſari in plano æquatoris. Ut diurnam illius vertiginem deſcribamus, nihil aliud præſtandum erit, quam centro D diſtantiam D H circumducere; deſcribetur enim circulus H M K E, quem intra 24 horas Mars videbitur abſolvere, ſi nullo proprio motu niti in anteriora, vel contra ordinem ſupponatur. Ita cum Jovem, Saturnum, & ſtellas etiam attingemus, ut diurnam iſtorum corporum vertiginem exhibeamus, ſatis fuerit e centro D ad illorum diſtantiam circulos concentricos deſignare. Quod ſi unum ex hiſce Circulis in 24 partes æquales diviſerimus, per quarum ſingulas ducantur plana ad æquatorem recta, & in puncto D ſe mutuo ſecantia, jam habebuntur etiam Circuli horarii, qui reſpectu locorum Terræ vicem obibunt meridianorum. Unum ex his ſit planum L H A D, nempe Circulus meridianus loci A ſub æquatoris linea in Terra conſtituti, ubi ſupponatur aliquis Martem H & ſtellam L inſpicere. Sit autem ſtella & Mars in eodem æquatoris plano, in quo & obſervator degit: limbisque ita cohæreant, ut eadem linea D H L tranſeat per limbum planetæ & ſtellæ, quod modo facilitatis gratia præſtat ſupponere. Si nec *ſtella* nec Mars ullo alio motu cieretur, quam eo, quem vocamus diurni raptus, intra 24 horas utrumq; aſtrum ad priſtinum locum devolveretur: & ſi diurnus iſte motus æquabilis foret, intra ſex horas utrumque eſſet in plano E D M ad meridianum recto, & per polum D tranſeunte, nempe in circulo horæ ſextæ Aſtronomicæ. Si quis itaque in axe revolutionis iſtius, & in plano æquatoris inſimul poſitus, hoc eſt in centro Terræ D, poſſet perpetuo Martem & ſtellam ſpectare, utrumque corpus eodem modo limbis connexum videret, ſive Mars & ſtella eſſent in plano D H L, ſive in plano D M R. Non ita vero contingeret priori obſervatori, quem ſuppoſuimus degere in A, qui in ſuo quidem Meridiano tam ſtellæ quam Martis limbos in eadem recta A H L videbit: ſed cum fuerint in alio Meridiano D R, qui reſpectu loci A eſt Circulus horæ ſextæ Aſtronomicæ, Martem videbit in plano A M, ſtellam vero in plano A R, adeoque illi videbitur Mars in antecedentia regreſſus, vel *ſtella* in conſequentia ſignorum promota, licet

Digitized by Google

cet revera æquabiliter a ſolo diurno motu utrumque aſtrum ex ſuppoſitione fuerit circumactum.

Cæterum cum ſciat æquabiliter utrumque moveri, poſt ſex horas cognoſcet utrumque degere in plano horæ ſextæ Aſtronomicæ veræ: at inveniet etiam, paulo ante horas ſex Martem præterlapſum fuiſſe planum horæ ſextæ ſenſibilis, cum hora ſexta ſenſibilis reſpectu loci A non ſit planum EDR, ſed planum APN. Differentia vero temporis, quæ intercedit inter tranſitum Martis, e. g. per duo plana horæ ſextæ, nempe AP horæ ſextæ ſenſibilis, & AM horæ ſextæ rationalis ſeu Aſtronomicæ, dignoſcetur a portione PM paralleli diurni à Marte deſcripti, quæ portio æqualis erit angulo PAM, ſeu alterno in parallelis AMD, nempe illi, ſub quo Terræ Semidiameter e Marte M ſpectaretur: Ita ut ſi portio iſta MP fuerit unius gradus, e. g. Mars videatur pertranſire planum AP quatuor minutis horariis, antequam ſex horæ elapſæ fuerint a tranſitu ipſius per meridianum. Quo longius autem removebitur Mars a Terra, eo minori ſub angulo Terra e Marte ſpectabitur, ut Optica aperte demonſtrat: atque adeo minor futura eſt differentia tranſitus Martis per planum horæ ſextæ ſenſibilis & rationalis. Quod ſi elongatio maxima aſtri illius ſit, qualis eſt diſtantia fixarum, ad eam exiguitatem perveniet angulus ARD ſeu illi æqualis NAR, ut ſenſus noſtros omnino fugiat, & eodem ſenſibili tempore, quo ſtella eſt in plano DR, appareat in plano AN.

En itaque quomodo ſtella ipſa, vel potius horologium automatum una cum ſtella obire poſſit vices alterius Obſervatoris degentis in C. Peto enim quid aliud præſtaret obſervator C, niſi quod certiores nos redderet ſe vidiſſe ſtellam & Martem in eodem plano meridiani ſui, ſeu noſtræ ſextæ horæ Aſtronomicæ, dum Nos in hæc aſtra intendentes diverſum illarum ſitum obſervaremus? Atqui primum illud præſtatur ab horologio noſtro, dum horas numerat poſt Martis tranſitum per meridianum. Cum enim conſtet, ſtellam L poſt ſex horas a tranſitu ſuo per meridianum, futuram eſſe in plano horæ ſextæ DR, ſatis certi ſumus ſtellam in eo verſari, ſi ſexta hora nobis ab horologio indicetur. Quoniam vero relate ad fixas planum horæ ſextæ ſenſibilis convenit cum plano ſextæ rationalis, ſi poſt ſex horas a tranſitu ſtellæ per meridianum diſponatur planum aliquod

 per

per noſtrum oculum & ſtellam tranſiens, axi mundano parallelum, id erit planum horæ ſextæ ſenſibilis, in quo neceſſario verſabitur ſtella. Mars vero ab eo diſcrepare videbitur tot minutis ſui paralleli, quot exigit illius Parallaxis. Attendatur itaque ope penduli numerus minutorum temporis, quæ intercipiuntur inter tranſitum Martis & ſtellæ: ita enim fiet, ut attribuendo quatuor ſecundis horariis ſingula minuta prima paralleli diurni Martis, cognoſcamus angulum MAR ſeu MAN, qui ad ſenſum idem eſt ut explicuimus, ſive alternum in parallelis AMD, hoc eſt, eum, ſub quo Telluris Semidiameter e Martis diſtantia ſpectatur, quod nobis præſtandum erat.

Hoc angulo invento, in triangulo rectangulo ADM ſi fiat ut ſinus anguli AMD, ex obſervatione cogniti, ad ſinum totum anguli recti D; ita linea AD ad quartum, proveniet quantitas lineæ AM ſeu Martis diſtantia a loco obſervatoris A, in partibus terreſtri Semidiametro reſpondentibus.

Fig. III. Quomodo vero præſtet obſervare hanc differentiam temporis inter tranſitum Martis & ſtellæ, docet in eodem libro Caſſinus, ope machinæ peculiaris tubo optico & reticula, ſeu micrometro (ut quidam vocant) armatæ. Diſponuntur in concurſum focorum lentis objectivæ & ocularis quatuor vel plura fila ad rectos angulos ſe invicem decuſſantia: tamdiu circumagitur Teleſcopium ita præparatum, quo usque ſtellarum aliqua Marti vicina per aliquod filum videatur fluere, dum imago illius in Teleſcopio movetur æquatori parallela; tunc enim conſtat, etiam fila eſſe in eodem ſitu parallelo æquatori: fila vero, quæ primis orthogonaliter inſiſtunt, reſpondent circulis aſcenſionum rectarum, ſatis apte in exiguo cœli ſpatio, quod a Teleſcopio comprehenditur, præſertim cum ea ſidera obſervantur, quæ intra Tropicos ſunt locata, ut in appoſita figura filis AB, CD parallelis, fila AC, BD inter ſe parallela ad rectos incumbant. Sit alicujus ſtellæ ex iis, quæ Marti proximæ reperiuntur, imago in C, quæ moveatur recta per filum AB, dum ſtella diurno motu circumlata ſuum iter deſcribit per imaginem ſuam in foco lentium: conſtabit filum AB eſſe æquatori parallelum; adeoque fila AC, BD quæ priori filo ad rectos incumbunt, reſpondebunt circulis aſcenſionum rectarum. Expectetur tantiſper, quo usque Mars F diurno motu citatus attingat filum AC in H, & tunc invitetur pen-

pendulum: numerentur vibrationes inter tranſitum Martis F & ſtellæ T, quæ non multo tempore poſt Martem in idem filum videbitur impingere. Tempus hoc in minuta Circuli converſum exhibebit minuta parallaxeos Martis, ex quibus deinde ejus a Terra diſtantiam per ſolutionem Trianguli eruemus.

Huc usque facilitatis gratia plura ſuppoſuimus, nempe Martem nullo proprio motu cieri, obſervantem degere in æquatore, & differentiam ſumi in circulo horæ ſextæ (quod poſtremum attuli tantum exempli cauſa; nam revera in eo ſitu Sphæræ talis obſervatio fieri non poteſt, cum circulus horæ ſextæ reſpectu loci ſub æquatore poſiti ſit ipſius horizon: in horizonte vero plurimis de cauſis obſervationes iſtæ fieri nequeant.) Quod itaque huc usque contemplati ſumus, tanquam poſſibile aliquod in ſuppoſitionibus data opera conſtitutis, reducamus ad Praxin in iis caſibus, ubi conditiones illæ non adſunt, ſicut in noſtro horizonte, dum Martem hoc anno conſpeximus.

Sit itaque ***primo*** obſervator in alio Terræ parallelo, ab æquatore ſatis diſſito, puta in Romano, diſtante ab æquinoctiali 41° 56, Parallaxis aſcenſionis rectæ hic obſervabilis ſeu differentia horæ ſextæ ſenſibilis a vera minor erit; non enim locus obſervantis erit in A, ſed in aliquo puncto intermedio inter D & A, nempe in I, per quod cum duci debeat planum horæ ſextæ ſenſibilis I Q, differentia planorum utriusque horæ ſextæ minor erit, adeoque minor & Parallaxis. Hanc autem proportionem habebit Parallaxis maxima aſcenſionis rectæ hic obſervabilis, ad Parallaxim maximam ſub linea æquinoctiali ſpectabilem, quam habet linea I D ad AD, nempe ſinus complementi elevationis poli ad ſinum totum. Si ergo in Parallelo Romano obſervetur Parallaxis maxima aſcenſionis rectæ, quæ Marti competit in æquatore verſanti, ut habeatur quantitas Parallaxeos, quam obſervabunt illi, qui degunt ſub linea æquinoctiali, fieri debet per regulam auream, ut ſinus complementi latitudinis urbis Romæ, ad ſinum totum; ita Parallaxis aſcenſionis rectæ Romæ obſervata, ad Parallaxim obſervabilem in Inſula S. Thomæ, vel in quacumque alia regione, ſub æquatoris linea conſtituta. *Fig. II.*

Secundo concedamus primam quidem obſervationem fieri Marte verſante in Meridiano, ſecundam vero non fieri in Circulo horæ

ſextæ,

ſextæ, ſed in Circulo horæ tertiæ v.gr; hic denuo ponenda erit duplex hora tertia, alia quidem Aſtronomica ſeu rationalis per centrum Terræ tranſiens, altera vero ſenſibilis, priori æquidiſtans & per locum regionis noſtræ ducenda. In ſchemate noſtro prima erit D O, altera vero IT: quæ inter ſe non diſſidebunt tota linea ID, ſed tantum linea I S, quæ ad ID ſe habet, ut ſinus horæ 3 ſeu anguli H D O graduum 45, ad ſinum totum. Fiat itaque ſicut in præcedenti: ut ſinus I S anguli A D S, ad ſinum totum ID, anguli recti S; ita parallaxis Martis obſervata in circulo horæ tertiæ, ad obſervabilem in circulo horæ ſextæ.

Tertio demus & Martem extra planum æquatoris. Inſtituenda modo erit Regula aurea e converſo ſuperiorum, nempe ut ſinus totus, ad ſinum complementi declinationis Martis; ita Parallaxis inventa in parallelo, quem Mars deſcribit, ad maximam obſervabilem in aliquo maximo circulo: eo prorſus more, quo reducimus diametrum Solis apparentem ad minuta circuli maximi, quando illam metimur penduli adjumento, Sole percurrente Tropicos, vel alium circulum extra planum æquatoris.

Demum auferatur & illa ſuppoſitio, qua Martem nullo proprio motu juxta vel contra ſignorum ordinem ferri ſuppoſueramus. Demus illum moveri æquabiliter, vel ſaltem uniformi & certa acceleratione, aut retardatione, quam inquiremus ope plurium obſervationum diebus ſequentibus &antecedentibus faciendarum, dum Mars per Meridianum feretur: igitur ſingulis temporibus innoteſcit nobis locus verus Martis, quem ſi comparemus cum apparenti per Parallaxim, perinde erit, ac ſi ſuppoſuiſſemus Martem nullo alio motu quam diurno circumferri. hanc enim ſuppoſitionem quietis in Marte idcirco feceram, ut certum locum ſtatuerem pro ſingulis momentis. Ita cum hunc locum inquirere poſſimus etiam conceſſo Martis motu, jam abſque illa ſuppoſitione Regulæ Caſſinianæ evidentia & uſus apparebit.

Quas gratias doctiſſimo Caſſino debeat Aſtronomorum Reſpublica pro invento adeo admirabili, facile teſtabitur quisquis animadvertit compendia Methodi iſtius, & ſuperiorum pericula cum illa contulerit. Teſtatur autem ſe hac methodo Martis diſtantiam exploraviſſe, cum Soli oppoſitus Terræ maxime propinquus ferretur.

Ipſe

Ipſe quoque tanti viri veſtigia relegens, licet non paſſibus æquis, conatus ſum Martis acronychie fulgentis hoc anno Parallaxim inveſtigare. Obſervationum harum nonnullas elegi, quæ peractæ a me ſunt diebus proxime ſequentibus Martis oppoſitionem cum Sole, cæterarumque omnium viſæ mihi quam diligentiſſime habitæ: exhibitæ ſequenti Tabella

Obſervatio	Dies. H. ′ ″	ſtyli novi. Inſpiciatur Figura IVta.
	Maij	
I	30. 8. 45. 55.	Martis limbus in revolutione diurna antecedens ad filum EF.
		Poſt vibrationes 106 penduli (qualium 92 æquivalent uni minuto primo horario) ſtella A ad idem filum appellit.
		Poſt vibrationes 365 a tranſitu Martis ſtella D eodem illabitur.
		Poſt vibrationes 375 a tranſitu Martis ſtella C ad idem filum fertur.
II	11. 10. 12.	Martis prior limbus ad filum EF.
		Stella C ad idem filum poſt vibrationes 393.
III	12. 20. 12.	Martis limbus antecedens ad filum EF.
		Stella C poſt vibrationes 399 ad idem filum pertingit.
IV	31. 11. 23. 55.	Martis limbus prior ad filum EF.
	Jun.	Stella C poſt vibrationes 535 illuc fertur.
V	1. 11. 6. 19.	Martis limbus occidentalis ad filum EF.
		Stella C ad idem revolvitur poſt vibrationes 670.

Fig. IV.

Supputatio ex obſervationibus.

Collatis obſervationibus 2 & 4, conſtat Martem intra horas 24 & min. 13 mutaviſſe tantum aſcenſionis rectæ, quantum ſubtendit portio Cœli excurrens vibrationibus 142. Igitur intra unam horam, ſi æquabiliter mutet aſcenſionem rectam (mutat vero, ut ex obſervationibus 2, 4 & 5 patet, fere æquabiliter) regreditur ab hiſce ſtel-

lis ſeu elongatur per vibrationes $5\frac{1}{1}\frac{0}{2}$. Ab obſervatione prima ad tertiã excurrunt horæ 3. $3\frac{\prime}{4}$. Ergo ſi nullam pateretur retardationem, conficeret tantumdem ſuæ aſcenſionis, quantum important vibrationes $20\frac{1}{2}$. Sed cum tempore obſervationis primæ volocius retrocederet, quia ſenſim indies ejus regreſſio imminuitur vibr. circiter 5 vel 6. mutare debuiſſet intra illud tempus vibrationes ſaltem $21\frac{1}{4}$. Hanc mutationem confero cum prima & tertia obſervatione, ex quibus apparenter mutavit vibr. 24. Igitur differentia quæ ſumma eſſe poteſt, non excedit vibrationes $2\frac{3}{4}$. Jam ad parallaxim indagandam propius accedo.

Tempore obſervationis primæ Mars diſtabat a Meridiano horis 3 ſeu gr. 45, quorum ſinus eſt 707. Tempore ſecundæ obſervationis diſtabat Mars a Meridiano horis o $3\frac{\prime}{4}$, ſeu gr. $8\frac{1}{2}$ Horum ſinus 148

Summa 855

Ut 885 ad ſinum totum 1000, ita $2\frac{3}{4}$ ad $3\frac{2\frac{1}{2}}{24}$ ſeu $3\frac{5}{48}$

Ut 744 ſinus complementi Latitudinis Romæ ad 1000 S. T. ita $3\frac{5}{48}$ ad $4\frac{7}{48}$.

Ut 1000 ad 921 ſinum complementi declinationis Martis, ita $4\frac{7}{48}$ ad $3\frac{41}{48}$ ſeu rotundo numero ad 4.

Jam vero ſi 92 vibrationes mei penduli dant minuta horaria ſecunda 60, quot dabunt vibrationes quatuor? Invenio $2\frac{56}{92}$ ſeu $2'':36''':30''''$. At horaria $2'':36''':30''''$ ſunt minuta æquatoris & conſequenter cujuſcunque circuli maximi $39'':7''':30''''$ Ergo parallaxis *maxima* horizontalis Martis eſt minutorum ſecundorum $39''$ .ejusque diſtantia a terra eſt ſemidiam. terreſtrium 5250 circiter. Si aſſumas parallaxim rotunde $40''$ erit diſtantia ejus a terta ſemidiam. plusquam 5100. Non curavi, ut vides, minimas fractiones, ne fruſtra in re adeo ambigua moroſus haberer.

NOVUM MICROSCOPIUM,

Autore Carolo Antonio Tortono, Sacerdote Piceno.

Communicatum in iisdem Dn. Schelſtratenii literis.

IN Academia Phyſico-Mathematica Romana, habita de more *in* domo Illuſtrisſimi Domini Ciampini die quinta menſis Auguſti præſentis anni 1685, inter res alias curioſitate dignas, quæ prædicta die

die in ipſa Academia fuerunt expoſitæ, non minoris admirationis fuit illa parvuli tubi duorum digitorum, duarum ſcilicet unciarum longitudinis & duorum ſcrupulorum ex ſemidiametro latitudinis ad menſuram palmi Romani.

Uſus hujus exigui Tubi maxime inſervit ad hoc, ut in majori copia colligantur ſpecies objectorum viſibilium, & ad hoc ut appareat objectum majoris magnitudinis: quod certe nequit præſtare Microſcopium conſtans tribus palmis; quin immo etiam cum majore luce, propinquitate & termino, cujus rei experimentum exhibitum eſt in ipſa Academia, in qua omnes ſpectatores communi conſenſu dixerunt, hunc parvulum Tubum novum eſſe Artis prodigium, tum ratione maximi commodi, quod ex ipſo reſultat, cum ipſius adminiculo intueri poſſimus objecta etiam ſine magnæ lucis beneficio, quæ tamen neceſſario requiritur in aliis Microſcopiis, tum etiam quia poteſt quis curioſitatis gratia obſervare ſanguinis curſum in beſtiolis diaphanis & transparentibus, quapropter poteſt etiam Medicis inſervire in ordine ad curandos morbos.

Ex hoc parvulo Microſcopio nova curioſitas reſultat, quæ manifeſte oſtenditur, ex eo quod ex iisdem chryſtallis dictum microſcopium componentibus efformatur etiam eximium conſpicilium ab auctore nuncupatum Tuboſpicillus digitalis, & idem prorſus habet præſtare, quod præſtaret conſpicilium unciarum octo.

Tubus quamvis ſit parvulus, componitur tamen quinque partibus, quæ ſimul uniuntur mediantibus commiſſuris ſe invicem copulantibus in parte ſubſequenti; unde ex hoc parvulo Tubo duo commoda reſultant, unum microſcopii, aliud conſpicilii.

Inquiſitus auctor ab aliquibus, qualis eſſet ſtructura hujus parvuli, ſed mirabilis opificii, non aliud notum fecit, niſi quod componatur ex quinque chryſtallis, & unum ex iis formam ſphæricam non habere; pollicitus tamen eſt, ſi poterit poſt multa ſtudia ad breviorem formam redigere conſpicilia magnæ amplitudinis, notam facere ſtructuram.

Huic opificio Academici proludentes diverſi diverſa dixerunt, inter quos unus dixit, quod vitrum ab auctore non propalatum habere poſſit figuram hyperboleam, quod certe majus prodigium eſſet,

Qqq 2 cum

Digitized by Google

cum noſtra ætas potuerit adinvenire theſaurum, quem nondum tot laboribus potuerunt Patres noſtri.

Deinceps prodibit in lucem, quidquid Autoris ingenium in hac ſcientia propalare conabitur. Eſt autem autor Carolus Antonius Tortonus Sacerdos Picenus in urbe a multo tempore degens, & in conſtruendis omnium generum conſpiciliis verſatiſſimus.

NOUVEAU TRAITÉ DU TOISE RENDU FACILE & demonſtré par I. B. Tarragon Profeſſeur des Mathematiques,

hoc eſt,

Tractatus de calculo Hexapedario reddito faciliori & demonſtrato per I. B. Tarragon Matheſeos Profeſſorem.

Pariſ. 1685 in 8.

Autor *Punctum phyſicum* vocat quantitatem ſenſibilem tam exiguam, ut earum 72 conficiant pollicem. Habet ei *Hexapoda* (toiſe) pedes 6, *pes* pollices ſeu digitos 12, *pollex* lineas 12 (linea enim, *ligne*, apud Gallos appellatur $\frac{1}{12}$ pollicis.) Denique *linea* continet puncta (phyſica) ſex. Ut autem menſuras lineares componit ex punctis phyſicis, ita ſuperficiales ex punctis phyſicis quadratis, ſolida vero corpora ex punctis phyſicis cubicis; calculi arithmetici uſum in menſuris lucide ſatis oſtendens.

TRAITÉ DES FORTIFICATIONS, CONTENANT la demonſtration & l'examen de tout ce qui regarde l'art de fortifier les places, tant regulieres qu'irregulieres, ſuivant ce qui ſe practique aujourdhuy. par le Sr. Gautier de Niſme.

id eſt,

Tractatus de Munitionibus, continens demonſtrationem & examen eorum quæ ad artem muniendi loca tam regularia quam irregularia pertinent, ſecundum hodiernam praxin, per H. Gautier.

Lugduni, 1685. in 12.

Libellus

Libellus eſt ſatis brevis. Autor præmiſſis more ſolito Geometricis quibuſdam principiis, partes munimentorum explicat, inde tradit varias diverſarum nationum muniendi methodos. Comitis Pagani munitiones parum laudat, Caſamattas ait mature deſtrui a tormentis obſidentium, & cum alæ C. Pagani ad lineam defenſionis angulum rectum faciant, propugnaculorum humeros *(epaules)* magis detectos atque expoſitos eſſe, quam ut diu poſſint reſiſtere. Caſamattam infimam tectam quidem eſſe, ſed ſuperiorum ruinis mox inutilem redditum iri. Apicem propugnaculi Paganici, cum obtuſus eſſe ſoleat, non valde procurrere, ideo nec obſidentibus ſatis incommodi afferre, præterquam quod plus ſumtuum & temporis talia munimenta requirant.

THE ELEMENTS OR PRINCIPLES OF GEOMETRIE.

h. e.

Elementa ſive principia Geometriæ.

Londini, 1684 in 12.

Autor ait, ſe uſui tironum ad praxin feſtinantium hæc deſtinaſſe. Euclidis ordini ſe non obligat. Theoremata ſeparat a problematibus, ſed irrationales lineas aliaque difficiliora omittit. Nonnulla tamen ſupplet, quæ apud Euclidem non habentur.

LA GEOMETRIE PRACTIQUE DE Mr. OZANNAM Profeſſeur en Mathematiques à Paris. Tables des Sinus tangentes & ſecantes & des Logarithmes par le méme.

id eſt,

Dn. Ozannami Profeſſoris Matheſeos Pariſini Geometria practica; nec non Tabulæ Sinuum tangentium & ſecantium, ac Logarithmorum.

Pariſiis, 1685 in 8.

Autor in præfatione ſuæ Geometriæ practicæ, promittit novam editionem *Diophanti* ad calculum Algebræ ſpecioſæ reducti, cum multis additionibus, quibus duplo auctior ſit futurus; nec dubitamus

Digitized by Google

bitamus, complura non aſpernanda in hoc genere, in quo apprime verſatus eſt, præſtari ab eo poſſe. Quod vero hunc tractatum præſentem attinet, ait ſe praxi voluiſſe adjungere demonſtrationes faciliores. Itaque ad dimenſionem Circuli practicam facillime demonſtrandam, Autor noſter adhibendam ſibi putavit admirabilem illam *proportionem Leibnitianam* inter Circulum & Quadratum circumſcriptum, ſcilicet ut $\frac{1}{1}-\frac{1}{3}-\frac{1}{5}-\frac{1}{7}-\frac{1}{9}$ &c. ad 1 (quæ jam decennio & amplius abhinc inventa, & demum anni noſtrorum Actorum primi menſe ſecundo publicata eſt) quoniam ita ſine omni conſideratione polygonorum, & extractione radicum, magnitudo Circuli perfecte & ſimpliciſſime in numeris rationalibus exprimitur. Demonſtratio autem inſignis adeo theorematis partim a clariſſimo Inventore, partim ab ejus amicis, communicata eſt dudum ſummis quibusdam Pariſinorum ac Londinenſium Geometris, ac magno cum applauſu ſuſcepta; unde ad hunc quoque autorem pervenit. Intereſt autem ſcientiarum, ut ab ipſo inventore editio demonſtrationis, cum multis aliis novis repertis poſteritate digniſſimis, obtineatur.

S. PONTII MEROPII PAULINI NOLANI EPIſcopi Opera digeſta in duos tomos, ſecundum ordinem temporum nunc primum diſpoſita, & ad manuſcriptos codices Gallicanos, Italicos, Anglicanos, Belgicos, atque ad editiones antiquiores emendata & aucta, nec non variorum notis illuſtrata.

Pariſiis apud Johannem Couterot & Ludovicum Guerin 1685 in 4.

EDitiones operum S. Paulini Nolani Epiſcopi, novæ hujus editionis Autor in præfatione hoc ordine recenſet, ut primo loco Pariſienſem, anno 1516 *Jodoci Badii Aſcenſii* typis ex corrupto & mutilo codice expreſſam, & ab ipſo Badio, ut cenſet, magis depravatam; ſecundo Colonienſem, anno 1560 Choliniano prælo *Henrici Gravii* Dominicani ſtudio emiſſam; tertio Baſileenſem, anno 1569 a *Joh. Jacobo Gryneo* monumentis orthodoxographis inſertam; quarto Colonienſem, quæ A. 1618 in bibliotheca Patrum *Andreæ Schotti* opera epithalamio Juliani & Jæ auctior evaſit; & quinto denique Antverpienſem numeret

ret, quam anno 1622 ſuis & *Frontonis Ducæi* notis illuſtratam, *Heribertus Rosweidus* Plantinianis typis evulgavit.

Eundem in referendis Paulini editionibus ordinem & numerum jam olim *Petrus Franciſcus Chiffletius* tenuit, miratus, quod Rosweidus, dum editos Paulini codices recenſet, Gravianam editionem Pariſienſibus Patrum bibliothecis, quæ Margarini de la Bigne nomine prænotantur, inſertam dixerit; cum tamen in tribus illis Pariſienſibus Patrum bibliothecis, quæ Colonienſem anteceſſerunt, Paulini opera non legantur. Verum qui Rosweidum falſa perſuaſione deceptum exiſtimavit Chiffletius, ipſe fallitur, cum utique tomo tertio, quem S. Patrum epiſtolis Bigneus deſtinavit, Paulini quoque epiſtolæ, & ſoluta & ligata oratione ſcriptæ, lectorum oculis incurrant. Nam de vita Martini Turonenſis in ſex libros diſtributa, quam ſub Paulini Nolani Epiſcopi nomine ad octavum bibliothecæ ſuæ tomum Bigneus retulit, dicere hic nihil attinet, cum jam pridem inter eruditos opus illud non Pontio Meropio Paulino, ſed *Benedicto Paulino Petricorio* tribuendum eſſe conſtet.

Cæterum, quamvis Rosweidiana Paulini editio in poſtremis Patrum bibliothecis, quæ Colonienſi ſucceſſerunt, repetita cæteris palmam præripere videretur, prædictus tamen *Chiffletius*, poſtquam eam cum manuſcriptis aliquot codicibus contuliſſet, Paulini ad Eucherium & Gallum in Lero inſula degentes epiſtolam plane omiſſam, eas quas Paulinus Pammachio & Alethio inſcripſit, turpiter inter ſe commixtas & confuſas, & cæteras paſſim depravatas animadvertit. Quocirca parum abfuit, quin novam Paulini editionem moliretur, ſed cum manſionem ſuam Divionenſem propoſito huic, ob accuratioris typographiæ defectum, non ſatis oportunam intelligeret, ſaltem alios, ut egregio operi manum admoverent, excitare, & non pœnitendo ſubſidio viam illis paratiorem reddere voluit, cum anno 1662 Divione Paulinum ſuum illuſtratum, ſeu appendicem ad opera & res geſtas S. Paulini, luci publicæ donavit.

Certe Chiffletii collectanea ad emendandum Paulinum, & hiſtoriam ejus illuſtrandam, haud parum ſibi profuiſſe, novæ hujus, quam nunc recenſemus, editionis Autor ingenue fatetur, quamvis his non contentus, longe plures manuſcriptos codices, quorum

haud

Digitized by Google

haud mediocrem copiam ab *Emerico Bigotio* ſibi factam agnoſcit, contulerit, & majori apparatu inſtructus nulli pepercerit operæ, ut Paulinus elegantior, quam unquam antea prodiret. Ac ne cœco impetu Paulinum emendaſſe videretur, lectionum ſuarum rationes in annotatiunculis Pauliniano contextui ſubjectis diligenter annotavit.

Totum opus duobus tomis conſtat, quorum prior indubitata Paulini opera continet. In his primum locum tenent epiſtolæ expeditioris uſus gratia in certa capita diviſæ, & juxta temporis ſeriem, a qua non parum lucis accipiunt, digeſtæ, ad quas unicus, qui ſupereſt, ſermo de gazophylacio, nec non Auguſtini & aliorum ad Paulinum epiſtolæ accedunt. Ac ne novus epiſtolarum ordo quempiam perturbet, vulgaris numerus in margine notatur, in quo etiam præter vocum quarundam obſcuriorum explicationem, Sacræ Scripturæ loca conſignantur. Nec minor diligentia in Paulini poematibus adhibita, quæ alteram prioris tomi partem conſtituunt.

In poſteriorem tomum rejecta ſunt opera Paulini dubia, aliena & ſuppoſititia, quibus Autor ſuas & aliorum ad Paulinum obſervationes, nec non inſignia Paulini elogia ex variis Scriptoribus collecta, cum *Uranii* de Paulini obitu epiſtola, & vitam præterea Paulini ex ipſius aliorumque veterum Scriptorum operibus prolixe concinnatam ſubjunxit. Quæ quantum cum ea, quam tacito Autoris *Franciſci Sacchini* nomine, jam pridem Rosvveidus edidit, conveniat, aut ab ea diſcrepet, quibus otium eſt, conferre poterunt. Hanc Paulini vitam ſeptem diſſertationes excipiunt, in quibus primum de ordine chronologico epiſtolarum & poematum Paulini, deinde de Sulpitio Severo, Alethio, Victricio, & Apro, ad quos *Paulinus* ſcripſit; tum de operibus Paulini amiſſis, dubiis & ſuppoſitis, ac tandem de Paulini captivitate ejusque tempore agitur. Poſtremo loco præter variantium lectionum Syllogen, quindecim indices comparent.

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipſiæ
Calendis Novembris Anno M DC LXXXV.

L' HISTORIA AUGUSTA DA GIULIO Ceſare a Conſtantino il Magno, illuſtrata con la verita dell' Antique Medaglie da Franceſco Angeloni. Seconda impreſſione &c.

i. e.

Hiſtoria Auguſta a I. Cæſare usque ad Conſtantinum M. illuſtrata antiquorum numiſmatum veritate a Franc. Angelonio. Editio ſecunda, cum emendationibus poſthumis ipſius Auctoris, & Supplemento exhibente averſas nummorum facies, quæ in tabulis prioris editionis deerant, depromptas ex Theſauro Nummario Reginæ Chriſtinæ Auguſtæ, & deſcriptas a Joh. Petro Bellorio.

Romæ, apud Fel. Ceſarettum. 1685. fol.

ANni jam plures abiere, ex quo *Franc. Angeloni* hiſtoria Auguſta, antiquorum numiſmatum autoritate illuſtrata, prælum prima vice ſubiit, eo adplauſu ab eruditis excepta, quem & hiſtoriæ ex ſeleċtiſſimis Autoribus decerptæ jucunditas, & non vulgaris eruditio in explicatione numiſmatum elucens merebatur. Sane enim hoc opere luculenter oſtendit Angelonus, quanta fuerit antiquitatis & rei nummariæ cognitione inſtructus, ſuæque in hoc ſtudiorum genere peritiæ fidem ingenioſis conjecturis, ad exolvendas difficultates adhibitis abunde fecit. Sic numiſma quoddam Trajani tempore cuſum, in cujus poſtica parte pontis in Danubio extructi memoriam conſervari hactenus interpretes crediderant, de Anconitano

portu erudite explicat p. 96. ſeq. nec minori felicitate alia expoſuit, quæ brevitatis ſtudio omittere cogimur. Sed quod peritiſſimis quibusvis in hoc genere eruditionis verſantibus accidere ſolet, ut conjecturas ſuas non omnibus æque adprobare queant, id Autori quoque noſtro evenit. Non enim defuere ex eruditis, qui nævos quosdam in pulcherrimo opere detegerent, ſive illi irrepſerint temporum vitio, quibus hæc eruditionis pars nondum ad iſtud perfectionis faſtigium pervenerat, in quo nunc virorum ſummorum induſtria collocata eſt, ſeu quod Autor aliis negotiis diſtrictus (Cardinali enim Aldobrandino operam addixerat) labori ſuo ad accuratiorem limam revocando unice vacare nequiverit. Erat tum adhuc in vivis Angelonus, qui ubi ſcripta contraria expendit, alicubi ſe lapſum ingenue agnovit, & emendandis erroribus alteram quam adornabat, editionem deſtinavit. Verum his curis intentum mors, non immatura quidem, erat enim provectæ ætatis, acerba tamen occupavit, & propoſitum tam egregium evertit. Videbatur ergo ſpes omnis Autoris obitu concidiſſe, ſed factum bonum; ſucceſſit in hoc labore *Joh. Petrus Bellorus*, amicitia & ſimilitudine ſtudiorum defuncto conjunctiſſimus, & ex ſcriptis eruditis orbi jam pridem notus. Is ergo amicitiæ quondam cum Angelono contractæ & communium amicorum precibus hoc dedit, ut novam quam nunc habemus, Hiſtoriæ Auguſtæ editionem inſtrueret, in qua ea ratione verſatus eſt, ut in ipſo textu nihil plane mutaret, ſed contrarias doctorum virorum ſententias, quibus manum dederat ipſe Angelonus, ſæpius ſuo quoque calculo comprobatas, aliquando rejectas ſubnecteret, Lectori judicium relinquens, uter felicius conjeciſſe videatur. Non pauca etiam numiſmata, quorum notitia accuratam Angeloni diligentiam fugerat, ad explendos hiatus in tabulis prioris editionis occurrentes, ex Sereniſſimæ Suecorum Reginæ Chriſtinæ, cui a cura Bibliothecæ & Antiquitatum eſt, cimeliarchio adjecit; ut adeo lectio hujus libri hiſtoriarum & antiquitatis ſtudioſis non niſi jucundiſſima eſſe queat.

IACO-

IACOBI PERIZONII ANT. F. ANIMADverſiones hiſtoricæ, in quibus quamplurima in priſcis Romanarum rerum utriusque linguæ Auctoribus notantur, multa etiam illuſtrantur atque emendantur, varia denique antiquorum rituum eruuntur & uberius explicantur.

Amſtelodami, apud Boomios 1685. in 8.

QUam in Diſſertationibus eruditis doctiſſimus Auctor promiſerat variarum animadverſionum decadem, hiſtoriis veterum Scriptorum inter ſe conferendis deſtinatam, poſt ſex annos dedit: In quibus priſcorum auctorum errores aliquot manifeſtos detexit, nodos quosdam intricatiſſimos expedivit, obſcuriſſima & corruptisſima nonnulla loca ſive illuſtravit ſive emendavit, & bona fide Critici exacti munus implevit. Nam cum iis etiam, qui olim ingenii ac doctrinæ monumentis æternitatem ſibi pararunt, ſomnum aliquando obrepſiſſe animadverteret, ita in eorum ſcriptis ſibi verſandum duxit, ut errata neutiquam disſimularet; quod plerique agunt, modo alienisſimis & longisſime quæſitis interpretationibus ſententiam Auctorum obſcurando atque adulterando, modo verba violentisſimis conjecturis audacisſime contra codicum auctoritatem torquendo & interpolando; ſed potius oſtenderet, plerosque rerum Romanarum Scriptores, vel memoriæ vitio, vel animi quadam incuria, humani interdum quid paſſos & falſos fuiſſe. Quod ante ſe jam Sabellicum ad Livium, Budæum in commentario de aſſe, aliosque dudum obſervaſſe, immo a Paulo Manutio in comm. ad Ciceron. epiſt. Att. integrum *de mendoſa hiſtoria* hujus argumenti librum fuiſſe promiſſum refert. Dum propoſitum autem ſuum exequitur, plurima intexit, inter quæ nihil vulgare aut protritum, ſed omnia ex reconditiori doctrina, qua clarisſimus Auctor hoc ſeculum exornat, deprompta. Complura etiam antiquorum Scriptorum loca, quæ longinquitate temporis & incuria librariorum corrupta & multa vitiorum labe inquinata erant, eruditionis atque ingenii ope emendavit pasſim & illuſtravit: nec recentium auctorum, doctisſimorum hominum, παροράματα intacta prætermiſit, ſed acri judicio cum obſervaſſet, ſub cultisſimi ſtyli cenſuram vocavit,

vit, absque omni tamen verborum acerbitate. Indiculus eorum ipſis animadverſionibus ſubjectus eſt, nec recenſere propoſiti ratio permittit. Optamus autem, ut eruditas *in Valerium Maximum animadverſiones*, quarum hic qui nunc prodit liber, & ante ſexennium evulgatæ Diſſertationes guſtum præbuerunt, ut & doctiſſimum *de Nominibus* commentarium, plurimum lucis multorum auctorum tenebricoſis locis allaturum, a celeberrimi nominis & eruditionis reconditæ viro Perizonio abſolvi & in publicum emitti quamprimum detur.

THESAURUS ASCETICUS, SIVE SYNtagma opuſculorum octodecim a Græcis olim Patribus de re aſcetica ſcriptorum. Ea nunc primum prodeunt e vetutiſſimis MSS. codicibus eruta: Collectore atque interprete Petro Poſſino Soc. Jeſu.

Pariſiis apud Ant. Oezallier, 1684. in 4.

CUm, qui Scriptorum gentilium fragmenta colligunt atque typis publicis exſcribi curant, non leve operæ pretium feciſſe putantur; tum majus illi laboris præmium meruiſſe cenſendi ſunt, qui ſanctorum virorum fragmenta pietati excitandæ idonea, typorum opera vindicant ab interitu. Fecit id laudabili ſane induſtria eruditiſſimus *Poſſinus*. Nam *Theſauro* hoc *Aſcetico*, duodeviginti opuſcula complectitur: quorum ſedecim ex antiquiſſimo volumine Mſc. Græco triginta lucubrationes de re aſcetica continente, & a Franciſco Turriano in domo profeſſa Romæ anno 1566 depoſito, cum Societatis Jeſu ille membrum fieret, deſcripſit. Reliqua duo, nempe *S. Theodori Studitæ capitula* ex codice Vaticano perantiquo, cui numerus inſcriptus 730, & *Vitam S. Bartholomæi Abb. Cryptoferratenſis*, quod ultimum eſt in hoc volumine, ex Cryptoferratenſi bibliotheca deprompſit.

Primum omnium iſtorum opuſculorum eſt *S. Joannis Chryſoſtomi* Epiſtola *ad monachos* in Turriano codice inſcripta, quam ſcripſiſſe illum putat, cum Antiochiæ inter monachos vixerit, antequam

quam epiſcopus fieret Conſtantinopolitanus. *Septem opuſcula*, quæ poſt laudatam epiſtolam collocantur: ut, de *Cuſtodia cordis*, de *Perfectione in Spiritu*, de *Oratione*, de *Patientia & diſcretione*, de *Elevatione mentis*, de *Caritate*, de *Libertate mentis*, Macario Magno, prout in codice Turriano illa hoc titulo ſignata legerat, ipſe tribuit. Qua occaſione *duos* celebres fuiſſe *Macarios* obſervat: *unum* Ægyptiũ in *Scithi*; *alterum*, & quidem eo juniorem, Alexandrinum: in *Celliis* degentem: ambos Antonii anachoretæ diſcipulos. Ab utroq; vero hoc *aliũ Macarium*, & illis quidem antiquiorem fuiſſe, ex *Athanaſio* in *S. Antonii*, & *Hieronymo in Pauli primi Eremitæ vita* comprobat. Hi enim Magnum Antonium ajunt duos ſecum habuiſſe diſcipulos intimos, comites individuos, *Macarium* & *Amatham*; obitus ſui teſtes, qui anno Conſtantii XIX. Chriſti CCCLVI contigit. Atqui de Macario Ægyptio, quem paſſim ponunt Alexandrino fuiſſe ſeniorem, ex ejus actis conſtat, eum naturæ debitum ſolviſſe anno 391 nonagenarium, poſt annos ſexaginta in Scithica ſolitudine transactos: unde ſequitur, capeſſiviſſe illum ſolitariam vitam apud Scithin anno Chriſti 331; ubi cum ad finem vitæ commoratus fuerit, conſequitur, hunc non fuiſſe Macarium illum Amathæ collegam, magni Antonii ſocium indivulſum, quem ille jam ab anno Chriſti 341; dum in montem interiorem, reliquæ vitæ illic ſtadium decurſurus ſecederet, in loco huic vicino, hoc eſt, in monte exteriore, præſto ſibi ſemper ad extremum eſſe juſſerit. *Macarium* ergo ſocium Amathæ, *Poſſinus* autorem fuiſſe tum quinquaginta *Homiliarum*, quæ Macarii nomine inſcriptæ proſtant, tum *ſeptem* modo nominatorum *opuſculorum* ſtatuit. Atque ideo Joh. Picum, qui illos a ſe latine redditos vulgavit, & Macario Ægyptio Scithicæ ſolitudinis incolæ tribuit, contrario Gennadii Maſſilienſis teſtimonio nixus refutat. Deinde, ne quis *juniorem Macarium*, vulgo Alexandrinum a civitate, qua natus fuerat, dictum, illarum autorem putet, negat, hunc quidquam, quod in lucem & famam exierit, ſcripſiſſe; quia Sozomenus libr. III. c. 13, Socrates lib. IV. c. 18. & qui ex his de more ſua hauſit, Nicephorus l. IX c. 14, ubi de Macario hoc agitur, nihil de ſcriptis ejus commemorent: neque alius quisquam ſeu veterum ſeu recentiorum ſcriptorum illi libellos hos tribuerit. Quapropter memoratas homilias cum hisce VII opuſculis *antiquiſſimo Macario* ma-

 gni

gni Antonii intimo individuoque miniſtro vindicat, ita quidem, ut eum non tam illorum autorem, quam interpretem faciat. Audita enim ab Antonio magiſtro Coptice loquente, ipſum Macarium in gratiam monachorum Græce reddidiſſe ac peroraſſe; inde illis Macarii nomen præfixum fuiſſe ait. Enimvero quod de *Macario Alexandrino* heic inſpergit *Poſſinus*; nihil illum ſcripſiſſe, quod quidem innotuerit eruditis; aliter ſeſe habere ex codice MSc. antiquo bibliothecæ Lipſienſis noſtræ Academicæ, quæ Paulina vocatur, novimus. Nam inter varia ejus MSc. quorum catalogum ſingulari induſtria confectum proxime bibliothecarius noſter Academicus, vir clariſſimus *L. J. Fellerus* publicabit, extat Macarii Alexandrini MSſ. hoc titulo inſigne: Τȣ̃ ἁγίȣ Μακαϱίȣ τȣ̃ Ἀλεξανδϱέως λόγος πεϱὶ ἐξόδȣ ψυχῆς δικαίων καὶ ἁμαϱτωλῶν, τὸ πῶς χωϱίζονται ἐκ τȣ̃ σώματος καὶ πῶς εἰσίν, id eſt *D. Macarii Alexandrini ſermo de egreſſu animæ juſtorum & peccatorum, qua ratione ſeparentur a corpore & quomodo ſint.* Id quod obiter hic memorare libuit. De cætero recte *Poſſinus* nævum Macarii de Angelorum & animarum corporeitate, qui in *opuſculo Theſauri* hujus *ſexto* p. 121. & in ejus *Homilia III* occurrit, ſimul notavit. *Nonum opuſculum* Theſauri hujus ſunt *Apophthegmata Patrum*, a ſcriptore anonymo collecta. *Decimum*, de *non deſperando*, S. Amphilochii nomen præfert, omiſſa epiſcopatus Iconienſis cui ille præfuit, mentione: quia ut Poſſinus arbitratur, commentarius hic ab Amphilochio adhuc monacho ſcriptus fuerit. Confer Amphilochii opera ante hos 41 annos Pariſiis Græce ſimul & Latine edita p. 91. ſeqq. ubi oratio *de pœnitentia, quodque de ſua ipſius ſalute non ſit deſperandum*, legitur. *Opuſculum XI*, quod *alloquia quatuordecim B. Abbatis Zoſimæ* ſanctimoniæ laude celebris continet, ipſe editor magnopere commendat, ſimul probans, eundem eſſe hunc Zoſimam cum illo celebratiſſimo viro, qui ſanctæ Pœnitentis Mariæ Ægyptiacæ cognovit vitam ejusque funus curavit. Poſtea *Iſaaci Syri de cogitationibus* libellus ſequitur: cujus autoris multa & præclara opera nondum edita, in bibliotheca Vaticana ſeſe vidiſſe memorat. Huic *S. Theodori Studitæ*, qui ſeculo octavo vixit, *Capitula* ſubjungit, quæ *XIII opuſculum* faciunt. De quo multa præfari ſuperſedit *Autor*, quia vir quidam doctiſſimus omnium ejus operum plenam & luculentam editionem adornaret,

ret. Extant alias in noſtra Paulina bibliotheca viri hujus *ducenti & viginti ſermones Græci*, una cum *Teſtamento* ejus *Græco ad diſcipulos*, & *Naucratii* filii Studitæ, qui ſe ἁμαρτωλὸν μοναχὸν nominat, *Epiſtola Græca MSS. ad ſpirituales Fratres* & *Patres hinc inde diſperſos.* In *Theſauro* autem hoc porro *Abbatis Iſaiæ* vel *Eſaiæ* opuſculum XIV, *capitulorum* nomen inſcriptum habet: qui quo tempore vixerit, *Bellarminus de Script. Eccl.* invenire ſe non potuiſſe ſcribit. Nicephorus tamen monachus infra in opuſculo XVII ejuſdem mentionem injicit. *Sermo S. Philothei de mandatis Chriſti*, qui XV opuſculum eſt, ſubjungitur: quem alium eſſe ab illo, cujus *Spondanus in Contin. tomo ad ann. 1350. 1354. & 1362.* meminit, *Autor* tribus argumentis evincit. *S. Theodori Archiepiſcopi Edeſſeni*, qui opuſculi ſequentis XVI autor vocatur, ætatem ad initium ſeculi XII refert. In tomo XXII Bibliothecæ Patrum editionis noviſſimæ Lugdunenſis, quinquaginta ejus capitula Latine extant. Sed *Poſſinus* centum & duo heic Græce & Latine exhibet. Paris cum Theodoro Edeſſeno ætatis *Nicephorum Monachum*, autorem opuſculi de *Cuſtodia cordis*, quod eſt hic penultimum, *editor* clariſſimus facit. *Ultimi* denique *opuſculi de vita S. Bartholomæi* autor anonymus, monachus cœnobii Græci ordinis S. Baſilii in agro Tuſculano, a S. Nilo juniore circa finem ſeculi X fundati, celebratur. His octodecim memoratis opuſculis, index rerum copioſus ſatisque accuratus ſubjungitur.

Gründlicher Beweiß von der Menſchlichen Seelen Unſterbligkeit / aus dem bloſſen Licht der Natur abgefaſſet durch *Vincentium Placcium, J. U. L. Phil. Pr. & Eloq. Prof. P. Hamburg.*

Demonſtratio ſolida immortalitatis animæ humanæ, ex ſolo lumine naturæ facta a Vinc. Placcio.

Francof. ad Mœn. apud Jo. Dav. Zunner, 1685. in 8.

PRæfatur clar. Auctor, occaſionem opuſculo amicum quendam magnæ dignationis dediſſe, rogantem, ut cogitata ſua de animæ immortalitate delinearet; quæ a ſe concepta Philoſophis quamplurimis ac Theologis communicarit, ipſorum judicia prius exquirens, quam in lucem proferret. Diſtribuit autem illud in tres partes. *In prima* quæſtionem ſtatuit, *an anima poſt mortem corporis ſemper actu*

Digitized by Google

actu maneat & vivat? In *altera* parte Lectorem ſuum præparat, quem non vult animum afferre vanas mundi voluptates amantem, ac de æternis nunquam aut non ſerio cogitantem, & qui contemnat ac impugnet hæc, antequam ſatis expenderit, veritus, ne ſi æternitatem agnoverit, præſentis vitæ voluptate excidat. Optat autem eum accedere, qui cogitet, res temporales inconſtantes animum ſuum non exſatiare, ideoque aliud æternum & ſufficientius bonum eſſe, de quo aliqui, antea voluptatibus mundanis dediti, conſtanter teſtantur, & præ quo omnia temporalia parvi faciunt; qui cum illius cognitionem adeptus fuerit, præſentia, in quantum ſpem futuri impediunt, relinquere paratus ſit, & porro ſummo ſtudio meditari expetat, quæ de animæ immortalitate traduntur, veriſimilia non contemnat, cum contrariæ opinionis nullam certitudinem habeat, neglecta autem de animæ immortalitate conſideratio periculoſa exiſtat. *Tertia pars* quæſtionem affirmat argumentis, quorum vis ut minori negotio perſpiceretur, ea ſub finem in forma ſua Logica & in certas claſſes diſtincta exhibentur.

Prima claſſis Theſin demonſtrat: Anima humana, ſive ſubſtantia vel pars in homine cogitans, eſt ſpiritus, ſive res incorporea, ſeu ſubſtantia diſtinctæ ac diverſæ a corpore naturæ. Argumenta ex Philoſophia Carteſiana alias nota ſunt.

Secundæ claſſis Theſis eſt: Annihilatio mundi, aut ullius ſubſtantiæ creatæ, non eſt DEO tribuenda. Ratio generalis, quia id facere Deum repugnat perfectionibus divinis, & feciſſe ipſum, nullo compertum eſt exemplo.

Tertia claſſis Theſin proponit: Annihilatio animæ DEUM ut ſummum bonum ſuum amantis, de DEO non eſt præſumenda. Probatur; veritati enim & bonitati divinæ infinitæ contrarium eſt deſtruere Deum animam ſe amantem ut bonum.

Quarta claſſis objectiones adverſus propoſita argumenta cum ſuis ſolutionibus continet.

JO. HENRICI SUICERI, PHILOSOPHIÆ & Linguæ Græcæ in Athenæo Tigurino Profeſſoris, *Compendium Phyſicæ Ariſtotelico-Carteſianæ.*

Amſtelodami, apud Henr. Wetſteinium in 8. & Baſileæ, ap. Joh. Philip. Richter. 1685. in 12.

Tracta-

TRactatum hunc cum a multis expetitum prælo concedere nollet Suicerus, Bibliopola Amſtelodamenſis ad illum amicum ſuum inviſens, inſcio atque inconſulto manuſcriptum ſecum abſtulit, atque typis commiſſum Auctori dedicavit, factum hoc ſuum ſcite excuſans. Comprehendit vero Inſtitutiones Phyſicæ juxta philoſophiam Carteſii per erotemata, facili ac perſpicua methodo. Præfigitur breve & ſuccinctum philoſophiæ theoreticæ, uti appellatur, Theatrum. Altera Baſileenſis editio, omiſſa iſta philoſophiæ idea, in fine aucta eſt *Ontoſophia* Joh. Claubergii, quam ipſe Suicerus in theoremata & axiomata digeſſit.

ATHENAGORÆ ATHENIENSIS PHILOSOphi Chriſtiani de Reſurrectione mortuorum Liber, cum Annotationibus, opera & ſtudio L. A. Rechenbergii Prof. Publ.

Lipſiæ apud J. F. Gleditſch, 1685 in 8.

UT fidem ſuam, qua anno ſuperiori, publicando Athenagoræ Apologiam pro Chriſtianis ſcriptam, ſe quaſi adſtrinxerat, clarisſimus *Editor* libelli hujus liberaret; eundem pari modo, quo *Apologiam* in Actis ſuperioris anni p. 337 nobis memoratam, notis illuſtratam variis evulgavit. Illas partim ex *H. Stephani* conjecturis, partim ex *D. Kortholti* annotationibus deſumtas, ſuis adſperſis reddidit auctiores. Interpretatio Latina, quæ e regione Græci textus ponitur, eſt P. Nannii, τὸ ἀυτοφυές illud ſapientisſimi autoris mire exprimentis. Et ut ſumma tractationis Lectori ſtatim adpareret, illius analyſin tabula comprehenſam opuſculo huic præmiſit, annexa quoque rerum, quæ in illo continentur ſublimes, indice. Nam Athenagoras, dum arduum hoc fidei Chriſtianæ caput, contra Scepticos atque improbos Sophiſtas nervoſe adſtruit, de homine ejusque fine ſimul altisſime philoſophari inſtituit.

OPUSCULA MATHEMATICA DE POTENtiis obliquis, de pendulis, de vaſis, & de fluminibus; Johannis Cevæ Mediolanenſis.

Mediolani, ex typographia Ludovici Montiæ, 1682. in 4.

Quanquam liber hic ſerius ad nos, nec niſi beneficio Illuſtr. *Magliabechii*, pervenerit, placet tamen ob argumenta, quæ ſatis ingenioſe tractat, ei nunc demum locum dare. Dedicatur *Michaeli Angelo Riccio* Cardinali, qui ipſe magni inter Mathematicos nominis fuit. Parte I. *de potentiis obliquis* agens, concipit mobile tanquam affectum diverſis virtutibus, ſecundum quarum unamquamque, ſi ſola eſſet, certa linea & celeritate procederet; aitque mobile affectum duabus virtutibus inæqualibus, in eadem linea recta in partes easdem (vel oppoſitas) tendentibus, ferri ad partes majoris virtutis tanta virtute, quanta eſt ſumma (differentia) duarum. Virtutes autem motrices facit eſſe tanquam velocitates. Quod ſi duæ virtutes tendant ad lineas diverſas, ut ſi mobile A tendat virtutibus & directionibus AB & AC, jungit rectam BC; in eaque ſumit punctum medium D, & AD producit in E, donec ſit AE dupla AD, & hanc AE ait virtutem directionemque qua mobile feretur exprimere, quod cum communi ſententia convenit: eſt enim AE diagonalis parallelogrammi, cujus latera ſunt AB & AC, ipſe autem eleganter ita oſtendit. Ducta ad BC perpendiculari AG, productaque AG in F, ut ſit AF dupla AG, ſupponens virtutem AC eſſe ſummam virtutum AG & GC, & virtutem AB eſſe ſummam virtutum AG & GB, hinc colligit, totam virtutem mobilis conſtare ex virtute AG bis, ſeu *ex virtute AF*, & ex virtutibus GB & GC, in eadem recta tendentibus ſeu (per ſupradicta) *virtute* FE: quia recta FE eſt ſumma vel differentia ipſarum GB & GC, quod eſt lemma Geometricum, cujus demonſtrationem ſubjicit. Summa autem virtutum AF & FE eſt *virtus* AE. Itaque ſaltem ſuppoſito virtutem compoſitam eſſe in diagonali trianguli rectanguli, ſi virtutes componentes ſunt in lateribus, hinc optime conficit idem de aliis triangulis quibuscunque. Hinc porro monſtrat, quomodo invenienda ſit virtus mobilis datis quotcunque virtutibus componentibus: duas ſcilicet ex iis jungendo in unam, tres redigit ad duas, & quatuor ad tres, &c. idque variis modis.

TAB. XIII. FIG. II.

Ex his deinde ducit quædam non inelegantia, de gravi a pluribus funiculis vel palis ſuſtentato, ita ut libretur, nec in unam magis quam alteram partem moveatur.

Tractatus ſecundus *de pendulis* hoc habet peculiare, quod oſtendere conatur contra Galilæum & alios omnes, qui hoc argumentum tracta-

tractaverunt, tempora vibrationum pendulorum non eſſe in ſubduplicata ratione longitudinum, ſed potius ut longitudines; putatque aſſertionem communem natam eſſe ex falſo principio, quod vibrationes ejusdem penduli, licet inæquales, ſint æquidiuturnæ; ut autem oſtendat, tempora vibrationum eſſe ut longitudines, modo gravia ſuspenſa ſint ejusdem gravitatis ſpecificæ, prius hoc lemma oſtendere ſuſcipit: ſi ſint duo pendula longitudine æqualia & æquiangula cum lineis perpendicularibus, tempora ſemivibrationum fore reciproce ut gravitates ſpecificas gravium ſuſpenſorum. Sed in ejus lemmatis demonſtratione aliqua difficultas ſubeſſe quibusdam videtur.

Tractatus III. eſt *de vaſis*, ex quibus aqua effluit: aitque in Schol. ad prop. 1, dubitari a nonnullis, an aqua quæ eſt in vaſe, univerſa moveatur, dum erumpit ex aliquo foramine, vel tantum cylindrulus aqueus deſcendat, qui foramini incumbit; & quoniam Ballianus, P. de Chales, & alii ſint in poſteriore ſententia, ideo ſe velle afferre experientiam a ſe pluries diligentiſſime repetitam. Cadum oblongum in baſi perforatum, foramine ſtuppa obſtructo, aqua ſe impleviſſe, ſuperficiem ejusdem aquæ leviter atramento infeciſſe, permiſſoque exitu optima in luce obſervaſſe, num poſt deſcenſum cylindruli prædicti aqua nigreſceret, quod neceſſarium erat in illa ſententia; ſed nullam ne levem quidem maculam unquam viſam, donec atramentum una cum libella deſcendens imas vaſis partes obtinuit; unde recte concludit, aquam quæ in imo eſt prius erumpere. Porro oſtendit, ſi ſint duo vaſa cylindrica vel priſmatica, velocitates aquæ initio motus fore in ratione luminum, ſubduplicata altitudinum & reciproca baſium.

Tractatu IV. *de fluminibus* notat, ſi vas plenum aqua in aliquo navigio ſtatuatur, liberque ipſi aditus permittatur infra baſin, dum ipſum navigium vehitur a flumine, vas tardius exhauriri, quam ſi navis quieſceret, licet diſcrimen ſit inſenſibile. Nam quatenus vas aliquod, ex quo aqua effluit, ipſummet cum aqua incluſa deſcendit, (ut hic cum navigio) eatenus aqua ex eo non effluit. Notat etiam corpus aqua ſpecie gravius, ſed ita excavatum, ut in aqua nec aſcendat, nec deſcendat, eodem modo moveri in flumine, ac aqua moveretur cujus locum occupat. Hinc infert, ſi ſolidum corpus demittatur in flumen, velocitatem quam habet a flumine, fore ad velocita-

Digitized by Google

tem ipſius aquæ in eodem loco reciproce,ut tantundem aquæ occupantis dicti corporis locum ad ipſum corpus. Conſequentiam probare inſtituit his verbis: Si ſolidum immerſum ita excavatum eſſet, ut concipi poſſet inſtar partis aquæ fluentis, eſſet æque velox ac ipſum flumen; ſed quodcunque ſit corpus, impellitur eodem ſemper fluminis momento; ergo cum momenta amborum corporum ſint æqualia,neceſſe eſt, ut velocitas unius corporis ad velocitatem alterius, ſit reciproce ut corpus ad corpus. Ex iis etiam quæ de vaſis dixerat,colligit, aquarum quantitates per datas fluminum ſectiones aſsignatis temporibus tranſmiſſas, eſſe in ratione compoſita magnitudinum ſectionum,velocitatum atque temporum, aliaque habet lectu non indigna, quæ brevitatis cauſa prætermittimus.

ESSAIS DE PHYSIQUE, PROUVEZ par l'experience & confirmez par l'Ecriture Sainte.

hoc eſt,

Tentamina Phyſica,probata per experientiam & confirmata per Scripturam Sacram.

Pariſiis,apud A.Pralard,1684.in 8.

Autor hujus libri in præfatione & paſſim invehitur in *recentiores* philoſophos,quod Solem,quem Syracides vocat vas *admirabile*, opus Excelſi,velint eſſe minutisſimi cujusdam pulveris ſeu materiæ ſubtilis acervum,& quem Joſua dixit moveri, *velint* quieſcere: item quod dicant nihil ſua ſponte moveri, & vim *elaſticam* ab interlabente materia quadam inſenſibili proficiſci, *in* quo multas ſibi imaginatur difficultates.

Parte prima explicat principia mixtorum, quæ ſtatuit eſſe *Aquam, Spiritum Domini* qui ferebatur ſuper aquas, & *Lumen*. Terram autem eſſe ex aqua, ſeu eſſe partem aquæ ſiccam condenſatione ſeu unione factam. Spiritum aquæ ait eſſe immaterialem, & lumen primitivum charactere mixti cujusque imbutum eſſe fere ſpirituale. Putat autem, id quod replet locum a Mercurio deſertum in experimento Torricelliano

liano eſſe illum Spiritum Domini, ejusque miram vim attractivam patere ex vi qua ſuſpenſum Mercurium tenet. Negat enim pondus aeris,& aliquid funiculo Franc.Lini ſimile defendit. Cauſam cur pila vel veſica ſemiinflata aſcendendo in excelſum montem amplius infletur, hanc eſſe putat, quod ſpiritus cum a centro terræ magis removentur,ſeſe magis dilatant. Putat, ſi aer eſſet gravis, cylinderque ejus tanti eſſet ponderis,quantum eſt 30 pedum aquæ,tunc pendulum aliquod inter oſcillandum, aeremque cui ſuccedit loco pellendum, continuo tantum pondus propellere debere :: aliaque his ſimilia contra novos philoſophos affert. Defendit deinde formas ſubſtantiales, & contra eos diſputat, qui bruta volunt eſſe machinas. Formas plantarum ſpecificas probare conatur ex earum reſuſcitatione apparenti in vitro, quam quidam vir honeſtus ipſi aſſeruit in Germania a ſe viſam. Et cum plantæ creatæ ſint ante aſtra, earum formas eſſe a lumine primigenio tantum, animalium vero formas eſſe participationem duorum magnorum luminarium; & terreſtrium, quippe calidorum, formas eſſe a Sole, aquatilium a Luna, & omnia mixta quodammodo habere naturam lapidis Bononienſis in lumine attrahendo; terram per ſe poſſe producere herbas,non vero animalia, quippe quæ aſtrorum præterea lumine egeant. Species viſuales per diaphanum propagatas eſſe radios lucis primigeniæ latentes, ſed a luminoſo excitatos; eosdem radios ſpecificari in mixtis,& lumen ſpecificum magnetis per corpora ſolida radiare. Animam ſenſitivam eſſe ſubſtantiam mediam inter corpus & animam rationalem, & cum ſit immaterialis,mediante ſpiritu cum corpore uniri. Colores & alias qualitates revera eſſe in objectis, contra ſententias recentiorum, & nos videre res, quales in ſe ipſis ſunt, exiſtimat.

Parte ſecunda ex jactis his fundamentis explicare conatur varios naturæ effectus,& corporum qualitates. Rarefactionem & condenſationem vult fieri, dum ſpiritus ſupra dictus plus minusve loci occupat.Fluiditatem eſſe ab eodem ſpiritu,dum corporum partes disjunctæ in eo quaſi natent. Hunc ſpiritum quatenus hoc præſtat, vocat ſpiritum exteriorem rebus fluidis materialibus connaturalem;eſſe vero alium ſpiritum ipſis magis internum, qui vi caloris dilatatus corpora extra ordinem fluida reddere poſſit, quemadmodum fit cum metalla funduntur.Salia alcalia ſe habere ad fluida unctuoſa & lumi-

noſa, ut magnetem ad ferrum; hinc alcali tartari vult attrahere ſpiritum vini, & ſi oleum commune a creta abſtrahatur, tertia diſtillatione prodire puram aquam; & generaliter in acidis eſſe calidum & luminoſum ſpecificum, quod alcali attrahant & ab eo ſpecificentur: ita cum acido vitrioli aut nitri quodlibet alcali abire in vitriolum aut nitrum. Invehitur non minus in formas accidentales Peripateticorum, quam in corpuſcula recentiorum. Cometas ait eſſe nubes quasdam cœleſtes ex aquis toto cœlo diſperſis forte collectas, eamque eſſe cauſam & novorum aſtrorum. Inde cætera meteora perſequitur ſuo modo. Magnetis proprietates explicans, notat inprimis in mineris ferri aut cupri eos reperiri, & optimos qui in Europa habentur pleroſque venire ex Norvvegia, tantæque eſſe duritiei, ut ferro non cedant, ſed ſecari ferra ænea dentibus carente, humefacto ſmiridis pulvere interveniente. Bonos magnetes ſolere eſſe colore aquæ aut nigredinis lucidæ, vel nonnihil rubeæ, ſolidosque eſſe cæteroquin, & homogeneos, & parum poroſos, & chalybem optimum ex iis elici poſſe. Inter duos magnetes ejusdem bonitatis, longiorem (ſecundum axem ſeu diſtantiam polorum) atq; ita ſectum ut poli duo ſint in extremis, præſtare latiori (ſeu majori ſecundum æquatorem & parallelos) chalybem duplo majorem ferro, ab eodem magnete trahi & ex diſtantia majore; polum quoque ſolidiorem *(le pole le plus maſſif)* fortius trahere. Si culter roſæ nauticæ perpendiculariter immineat, tunc acum ei auſtralem extremitatem obvertere, inferius exhibito ſeptentrionalem; acum nec candefactam directionem amittere. *Cauſam* miraculorum magnetis eſſe lumen quoddam ſpecificum, *& tale* quid etiam in vegetabilibus reperiri, ubi loco polorum magneticorum ſint Zenith & Nadir. Hinc ſi a ſummitate vegetabilis *aliquid* reſecetur, & poſtea rejungatur, eodem ſitu reponi debere, ut curſus ſpirituum a Nadir ad Zenith continuari poſſit. Si alterius vegetabilis portionem loco ſummitatis abſciſſæ inſerere velimus, extremitatem recipientis quæ Nadir reſpiciebat, obverti debere in eam partem, qua inſerendum reſpicit ad Zenith, quemadmodum polus ſeptentrionalis unius magnetis meridionalem alterius naturali ſitu reſpicit. Et quemadmodum duorum magnetum poli ſimiles pugnant, ita inſertionem in vegetabilibus non procedere, ſi inſerendum invertatur, & pars Zenith reſpiciens parti recipientis ad Zenith reſpicienti jungatur. *Si findas*

fruti-

fruticis ſtipitem,& mox partem unam alteri inſerere velis,non debere partes antea conjunctas rurſus conjungi, ſed contra, alioqui inſerendi extremitas quæ Zenith reſpiciebat, nunc ad Nadir tenderet, quod eſſet contra curſum ſpirituum; quemadmodum magnete ſecundum axem ſecto,partes prius connexæ ſe repellunt. Et cum acum magnete tangis,perinde eſſe,ac ſi acus eſſet portio magnetis, quæ nunc reſecatur ſectione ſecundum æquatorem,ubi partium ſeparatarum poli oppoſiti,ſeu qui poſt ſeparationem diverſos mundi polos reſpiciunt,antea conjungebantur,prorſus quemadmodum vegetabili parallele ad horizontem ſecto,extremitates ſectionum prius unitæ in diverſa ſpectabant,una ad Zenith,altera ad Nadir. Et quemadmodum magnes quaſi peculiaris eſt terrella reſpectu acus, ita ſi vegetabile in vaſe quodam terram continente colloces, & vas invertas, cavendo ne terra elabi poſſit, vegetabile ſuum Zenith & Nadir habiturum non reſpectu mundi,ſed reſpectu vaſis, atque adeo futurum in hoc caſu, ut deorſum creſcat. Idem eſſe ſi ſtipitem fruticis inflectas,vel ſummitas deorſum tendat: quod ſi ex ſummitate inflexa quaſi annulum facias, vim primariam communicari portioni, quæ eſt oppoſita ſummitati deorſum flexæ,quemadmodum ſi annulum ferreum magnete tangas, punctum tactum pariter & oppoſitum vim directivam primariam accipiunt. At lumen ſpecificum animalium, cum ſit a Sole & Luna, nulla certa puncta habere quæ reſpiciat.

Parte tertia aliorum principia examinat, & inprimis diſputat contra *Carteſianos*, quos vocat Cartiſtas, quanquam huc multa refera t,quæ non Carteſianis peculiaria, ſed ab aliis etiam ante Carteſium inventa,& nonnunquam omnibus communia ſunt,qui naturam mechanice & intelligibiliter explicant,qualia ſunt motus terræ, gravitas aeris, principium quod nihil a ſe moveatur, ſed omnia quantum in ipſis eſt in priore ſtatu maneant, &c. Irridet Carteſianos, quod non niſi Deo velut per miraculum operante explicare poſſint, quomodo anima ſentiat motus corporis, aut corpus ſequatur animæ affectus, putatq; ſe philoſophiam eorum pulveream diſſipaſſe, probando materiam ſubtilē Carteſianam ne per vitrum quidem penetrare poſſe;nec minus tamen *Peripateticis* iraſcitur, quod vim ſubſtantias producendi accidentibus tribuere ipſi videantur,& lucem putent eſſe accidens; materiam quoque eorum primam explodit, & paſſim diſputat contra

P. de

P. de la Grange, qui contra novos philoſophos probare conatur, ſine entitatibus illis naturam explicari non poſſe. Præfert utrisque *Chymicos*, qui principia mixtorum ſecunda ſtatuunt ſalem, ſulphur, Mercurium, phlegma & terram damnatam; & paſſim urget, ut phyſica principia ex Scriptura ſacra petantur. In Euchariſtia negat ſupereſſe accidentia vera panis & vini, ſed eſſe apparentias tantum, & DEUM in nobis producere effectus, quos produxiſſent panis & vinum, niſi fuiſſent deſtructa. Poſtremo indignatur *Rohaultio*, ſtultitiæ eos accuſanti, qui ratione ſperant artem metalla in aurum transmutandi reperire, eique Augurellum, & Autorem arcani philoſophiæ Hermeticæ, atque Helmontium opponit, tanquam multo in natura Carteſiis oculatiores.

Hæc Autor noſter, de cujus ratione philoſophandi judicium aliis relinquimus, illud tantum admonentes, ſæpe quidem peccare recentiores philoſophos nimium hypotheſibus indulgendo, & parum ad practicas ſcientias ab illis conferri, qui ſola principia corporum remota (ſive illa ſint formæ, ſive corpuſcula) ad phænomena ſpecialia explicanda adhibent; ac proinde felicius ſæpe ad uſum vitæ eos philoſophari, qui ultima analyſi in remotas illas cauſas minime tentata, interim reſolutiones quærunt in illa quæ manu tenere, & ſenſibus vel omnino vel ſic ſatis aſſequi, & in praxin traducere poſſumus. Hos ipſos tamen remotas illas cauſas non explodere, ſed agnoſcere potius debere, tanquam indubitatas, & ad generalia naturæ cognoſcenda, rectumque de ſumma rerum judicium ferendum neceſſarias; cum *nihil* perfecte intelligatur, niſi ad principia velut mathematica, *licet in* partibus a ſenſu remotioribus conſiſtentia, ſit reductum. Hypotheſin etiam eſſe magni faciendam ad uſum, ex qua quamplurima phænomena particularia velut prædici poſſint, licet a priori *aliam* demonſtrationem non habeat. Gravitatem autem aeris, aliaque multa id genus accurate ſtabilita, ac pro demonſtratis habenda doctis pleriſque videri. Denique ſi ſuppoſitiones ſuppoſitionibus comparandæ ſunt, illa quæ ſunt intelligibilia, (qualia ſunt, particulæ ſtriatæ inviſibiles, & his ſimilia) cenſenda eſſe meliora, quam Entia quædam ſemimaterialia in diſtans radiantia, quæ non tantum ſenſu ſed & intellectu percipi nequeunt, & de quibus ob incognitam eorum naturam nulla definitione ſatis explicatam, quidvis etiam fortaſſe repugnans affirmari ſolet; ex priori-

Prioribus enim, ſi diſtinctè concipiantur, ſaltem aliquid diſcimus quod ſit poſſibile, ex his omnino nihil.

G.G.L. DEMONSTRATIO GEOMETRICA regulæ apud Staticos receptæ de momentis gravium in planis inclinatis, *nuper in dubium vocata: & ſolutio caſus elegantis, in Actis Novembr. 1684. pag. 512. propoſiti,* de globo duobus planis angulum rectum facientibus ſimul incumbente; *quantum unumquodque planorum prematur, determinans.*

Sit in *Fig. 2.* planum verticale ADB, & inclinatum ACE; & in illo deſcendere tendat grave B, in hoc grave C, quæ deſigno per puncta, in quæ incidunt eorum centra gravitatis. Sint autem gravia connexa fune BAC, & in æquilibrio, angulusque ABC rectus. *Ajo fore grave B ad grave C, ut recta AB ad rectam AC,* quod ſic oſtendo: Funem, (qui gravitate carere intelligitur), manu prehendendo in C, trahendoque grave C deorſum in E, adeoque ſimul grave B ſurſum in D (quo facto æquales erunt CE & BD) patet æquilibrium, quod prius erat inter gravia, manere, nec manum ab ipſis juvari vel impediri, nec proinde eorum centrum gravitatis commune (ſeu centrum totius ex ipſis compoſiti, ſive centrum æquilibrii) attolli vel deprimi. Et cum gravium in ſitu B, C, centrum gravitatis commune eſſet in recta BC, horizonti parallela, ideo eorundem centrum in ſitu DE poſitorum manebit in recta BC, alioqui attolleretur vel deprimeretur. At idem eſt & in recta DE; quippe quæ eorum centra gravitatis, B & C, jungit: erit ergo in H puncto communi rectarum BC & DE. Jam ex Geometria oſtendi poteſt *Lemma* facile nec injucundum: ſi ſint CE & BD æquales, fore DH ad HE, ut AC ad AB, (*de quo mox.*) Eſt autem etiam grave E (ſive C) ad grave D (ſive B) ut DH ad HE, quia H eſt centrum æquilibrii ipſorum. Ergo erit grave C ad grave B, ut AC ad AB, quod aſſerebatur. *Idem aliter etiam ſine aſſumto lemmate* illo geometrico oſtendi poteſt, ſi grave B attollatur usque ad A, ſeu ſi (D) incidat in ipſum punctum A, eo enim caſu C(E) ſeu B(D) erit æqualis BA, & (H) incidet in C, & (H)(D) co-

TAB. XIII. FIG. II.

incidet cum CA; eritque C centrum æquilibrii gravium ex B & C translatorum in A & (E), ac proinde grave in (E) hoc eſt grave C, ad grave in A, hoc eſt grave B, erit ut A C ad C (E) ſive AB, ut ante Placet tamen ipſius propoſitionis Geometricæ ſupradictæ demonſtrationem ſubjicere.

LEMMA: *Omnium triangulorum, angulum coincidentem, & ſummam laterum circa eundem angulum æqualem habentium, baſes a baſi unius ex ipſis trianguli in eadem ratione ſecantur; quæ ſcilicet eſt ratio laterum hujus trianguli poſitorum circa angulum communem.* Sit angulus communis FAM *in eadem Fig. 2.* & triangula quotcunque ut ABC, ADE angulum BAC, DAE habentia coincidentem, & ſummam laterum BA+AC vel DA+AE ſemper æqualem (unde & BD æqualis erit ipſi CE) unumque ex his triangulis aſſumatur ut ABC: dico a Baſi ejus BC ſecari baſin DE trianguli alterius cujuscunque ſupradictas conditiones habentis ADE, in partes DH, HE, quæ ſint in ratione AC, AB. Nimirum ex D ad AC ducatur DG parallela ipſi BC, & ex G ad BC ducatur GL, parallela ipſi AB. Jam (ob triangula ABC, GLC, ſimilia) eſt AC ad AB, ut GC ad GL, ſeu ad DB, ſeu ad CE. Rurſus (ob triangula EGD, ECH ſimilia) GC ad CE, ut DH ad HE. Ergo (a primis ad poſtrema) erit AC ad AB, ut DH ad HE, quod oſtendendum proponebatur. Patet autem ex demonſtratione, nihil referre utrum angulus B ſit rectus, & proinde etiam DE, baſin trianguli ADE, ſecare baſin BC alterius trianguli ABC (eandem laterum circa communem angulum ſummam habentis) ita ut ſegmenta CH, HB, ſint proportionalia ipſis DA, AE, lateribus trianguli ADE circa angulum triangulis communem A. Poteſt etiam Lemma noſtrum haberi pro acceſſione locorum Planorum. Locus enim punctorum, quibus baſes omnium triangulorum, eandem ſummam laterum circa communem angulum habentium, in data ratione ſecantur, eſt recta.

TAB. XIII. FIG. 3. Supereſt nunc, ut veniamus ad ſolutionem caſus *de globo* I (Figur. 3.) *duobus planis* XC, ZC, *ad horizontem* NO *inclinatis, ſed ad ſe invicem angulum rectum facientibus ſimul incumbente, illi in F, huic in H; ut determinemus, quantum ſit momentum, quo unumquodq; planum premitur.* Statim autem patet, (quod etiam ab Adm. Rev. P. Kochanskio in Actis Junii 1685 recte notatum video) globum in plano aliquo inclinato duplex exercere momentum, unũ quo decliviter deſcendere tendit,

Digitized by Google

tendit, alterum quo planum declive premit, quæ duo ſimul abſolutum ſeu totale gravis momentum conſtituunt. Itaque in noſtro caſu *ob duas cauſas* planum alterutrum ut XFC, a globo I premi intelligitur: *prima* eſt quod globus I deſcendere tendens in plani XFC linea FC, momento, quod ſit ad totale, ut XN ad XC (quemadmodum demonſtravimus) aget reliquo, (quod erit ad totale, ut *XC-XN, ad XC*) in ipſum planum declive XFC, a quo ſuſtentatur. Sed actio iſta etſi vera & realis ſit, eſt tamen alternativa & ob præſentiam alterius plani etiam ſuſtentantis refracta, ut poſtea explicabitur. *Secunda* cauſa premendi planum XFC eſt, quod globus I deſcendens in altero plano ZHC, momento quod ſit ad totale, *ut ZO ad ZC*, premit hoc ipſo momento planum XFC deſcenſui ſuo declivi, in linea HC affectato, ſe directe objiciens, atque ita hanc deſcenſus vim excipiens. Porro eadem ratiocinatio inſtitui poteſt de plano altero ZHC, etiam ex duabus illis premendi cauſis, & quidem *ex prima cauſa* quæ erat *ſuſtentatio* globi in ipſo plano, in quo decliviter deſcendere tendit, premitur hoc planum ZHC momento, quod ſit ad totale momentum globi, *ut ZC-ZO, ad ZC:* at vero *ex altera* cauſa, quæ erat *exceptio* globi, dum ſcilicet planum ZHC, ei in altero plano XFC, decliviter deſcendere conanti, ſe directe objiciens, vim illam excipit, premitur planum ZHC momento, quod ſit ad totale, *ut XN ad XC.* Et quidem cauſa prima premendi planum XFC, & ſecunda premendi planum ZHC, quæ ſunt diſſimilares, ſimul conſtituunt totum momentum globi; globus enim premit planum XFC quatenus ab eo ſuſtentatur, & planum ZHC quatenus a priore non ſuſtentatur. Similiter cauſa prima premendi planum ZHC, & ſecunda premendi planum XFC, licet diſſimilares, conſtituunt totum momentum globi. Cauſæ autem ſimiles conjunctæ, duæ ſcilicet preſſiones ob ſuſtentationem, vel duæ preſſiones ob exceptionem, (quibus duabus poſterioribus compoſitis utitur doctiſſimus Autor ſpeciminis de momentis gravium in Actis Novembr. 1684. exhibiti, qui caſum hunc de duobus planis angulum rectum facientibus, a ſe ingenioſe excogitatum propoſuit) momentum totale non integrant, ſumptæ ſcilicet ex diverſis momenti totalis partitionibus. Verum cum quatuor premendi cauſis ſimul ſumtis bis integretur momentum totale, patet illas ſic abſolute ſumtas non eſſe compatibiles, nec *cumulative*, ſed ut poſt dicam

tantum *elective* ſive alternative componendas: alioqui effectus globi in plana major eſſet momento globi totalis abſoluto. Cum vero manifeſtum ſit, duas ſemper cauſas in quolibet plano æquali ratione in conſiderationem venire debere, nec tamen integras retineri poſſe; adhibenda eſt *regula alternativorum*, quæ in jure accreſcendi, in æſtimatione ſpei alea ludentium, aliisque caſibus locum habet, hoc eſt, utriusque momenti ſumendum eſt dimidium, ſeu quod eodem redit, medium inter ipſa arithmeticum, ſive dimidium ſummæ ex ambobus. Itaque ſi momentum globi totale ſit unitas, cum duo momenta premendi planum XFC ſint $\frac{XC-XN}{XC}$, & $\frac{ZO}{ZC}$ ſeu $\frac{ZO}{XC}$ (ſi ponantur XC & ZC æquales) ſequitur momentum, quo revera in hoc ſitu premitur planum XFC, fore dimid. $\frac{XC-XN}{XC}$ + dimid. $\frac{ZO}{XC}$ ſeu $\frac{XC-XN+ZO}{2XC}$, & ſimiliter momentum quo revera premitur planum ZHC erit dimid. $\frac{ZC-ZO}{ZC}$ (ſeu dimid. $\frac{XC-ZO}{XC}$) + dimid. $\frac{XN}{XC}$ hoc eſt $\frac{XC-ZO+XN}{2XC}$ quorum duorum momentorum revera duo plana prementium ſumma componit momentum globi totale ſeu unitatem, quod omnino opus erat obſervari. Atque adeo ceſſat difficultas, quæ ex caſu propoſito naſci poſſe videbatur; quæ tamen talis erat, ut omnino mereretur explicari: nec ideo minus obligati ſumus Autori ſpeciminis, qui eam excogitavit, pariter atque Adm. R. P. Kochanskio, qui viam jam tum deſignavit, cui recte inſiſtendo ad determinationem preſſionis cujusque plani perveniri poterat. In numeris Kochanskianis ſit XN vel CO, 3. CN vel ZO, 4. XC vel ZC, 5. tunc planum XFC revera premitur a $\frac{3}{5}$ & planum ZHC a $\frac{2}{5}$, momenti totalis. Sin pro 3, 4, 5, numeri ſint 5, 12, 13, tunc planum XFC premitur a $\frac{10}{13}$, & planum ZHC a $\frac{3}{13}$ momenti totalis. Ad examen autem regulæ noſtræ proderit etiam conſiderare, & cum regula conferre ſolutiones caſuum ſpecialium aliunde notas: ut ſi XN fiat æqualis nihilo, planum XFC fiet horizontale, ZHC verticale, rectæq; XC & ZO æquales, ubi etiam ex regula recte prodibit totum momentum totale pro premendo plano XFC, & nihil pro premendo plano ZHC. Si vero rectæ XN & ZO ſumantur æquales, adeoque & anguli XCN, ZCO æquales, tunc per ſe manifeſtum eſt, utrumque planum eodem modo premi a globo, ac proinde

inde dimidium momenti totalis unicuique impendi: quod ipſum & ex regula noſtra prodit. Methodus autem qua uſi ſumus, per regulam alternativorum, etiam in aliis caſibus perplexis enodandis magnum uſum habere poteſt; quamvis non ſit pure Geometrica, ſed quodammodo Metaphyſica ſimul; unde proviſionalis cenſeri poteſt, donec idem demonſtretur alia via, magis ſecundum vulgares notiones geometrica & rigoroſa, quam ubi vacaverit, exhibere mihi reſervo. Porro unum adhuc admonendum eſt, ne quis in captionem ſatis alioqui ſubtilem incidat, & ut appareat clarius, cur duos conatus componendos vocaverimus alternativos: nempe hæc quidem quæ de preſſione cujusque plani determinavimus, tantum locum habent, cum unumquodque planum ſatis firmum eſt, ut reſiſtere poſſit unicuique conatuum alternativorum a quibus premitur, ſeparatim ſumto; ſed ſi unum ex planis reſiſtere quidem poſſet minori conatui ſe urgenti, vel etiam dimidiæ amborum ſummæ, non vero majori, alterum vero planum ita firmum eſſet, ut unicuique ex ambabus in ſe preſſionibus poſſet reſiſtere, tunc eo ipſo locum habebit abſolute unus ex caſibus alternativis *præ reliquis*, ac proinde ceſſante regula alternativorum æqualiter locum habentium, prius illud ſeu debilius planum vi ejus conatus, cui impar eſt, ſuperaretur. Quæ quidem obſervatio ſingularis eſt, utilisque ut conatus naturæ alternativi ſinguli, a conatu ob exitum alterutro modo fruſtra tentatum, ex ipſis alternativis ſibi obſtantibus reſultante, diſtinguantur: nec ideo, exempli cauſa putetur planum XFC premi abſolute momento $\frac{zo}{xc}$, quoniam eo ipſo momento premitur conditionaliter; ita ſcilicet, ut frangendum ſit, ſi ei reſiſtere non poſſit. Nam in caſu quo ei reſiſtere poteſt, vi ſua elaſtica renitens prementi, onus in alterum planum rejicere tentat; quod ipſum ſi etiam ſatis firmum ſit, ex conflictu ea demum æquiſſima diſtributio ſequitur, quam expoſuimus, ubi non ipſa quidem quatuor momenta, ſed tamen ipſis proportionalia adhibentur, in quæ momentum totale diſtribuitur. Sunt autem hæc, quemadmodum prima fronte paradoxa (ut ſcilicet planum aliquod dicatur certo aliquo momento ſeu conatu premi alternative ſive conditionaliter) ita conſideratu jucunda, & proceſſum naturæ non tantum mathematicum, ſed & quodammodo Metaphyſicum illuſtrare apta.

LETTRE DE QUELQUES PROTESTANTS pacifiques, au ſujet de la Reunion des Religions, a l'Aſſemblée de Meſſ. du Clergé de France &c.

id eſt:

Epiſtola quorundam Proteſtantium pacificorum, de conciliatione Religionum, ad Congregationem Cleri Gallicani, menſe Majo, anno 1685. San-Germani habendam.

Impreſſa anno 1685. in 12.

ETſi ſera, imo ut nunc ſunt res *Reformatorum in Gallia*, deſperata videri poſſunt, quæ Autor hujus epiſtolæ ad unionis cum Romano-Catholicis media invenienda proponit; utilitate tamen non carebit, contenta Scripti noſſe & conſiderare. Scopus ejus, & ſumma petitionis ad Clerum eſt, ut reunio ſive conciliatio (quam non immerito a *Rege Chriſtianiſſimo magnum* ſuum *opus* vocari ſcribit) eum in modum ineatur, ut tamen ſalva ſit fides & conſcientia; utque ſublatis perſecutionibus, *Reformati* ad colloquium admittantur, non ad diſputandum, ſed ad tractandum de mediis concordiæ; tum ut *tempus* & poteſtatem habeant inter ſe, & cum religionis ſuæ *ſociis* extra Galliam deliberandi: ſperandum enim eſſe, ut facta conventione, exemplum Gallorum tota Proteſtantium Eccleſia ſecutura ſit. Ante omnia vero requiri, ut Rom. Catholici ipſi reformare & mutare in ſua eccleſia incipiant, quæ pacis cauſa emendare poſſint & debeant, ſoli enim ſpei & pollicitationi, quod id aliquando facturi ſint, fidi non poſſe, & moram ſumme periculoſam eſſe.

Hæc & ſimilia partim in exordio, ſed luculentius & efficacius in epilogo, nec ſine reverentia & modeſtia deducuntur. Argumentorum autem vim, per quæ movere Præſules Gallos aggreditur Scriptor epiſtolæ, *ſeptem* principiis ſive axiomatibus fulcit, quorum ſingula utrinque ut putat, nota & conceſſa præſupponit, dein exemplis & illationibus quibusdam clariora facit & applicat. *Primum* eſt: *concordiam ſive unionem ad quam invitantur Reformati, ad aliarum transactionum modum inſtitui debere, utraq; ſcilicet parte alteri aliquid conce-*

concedènte,& remittente. Si enim pars potentior ſive dominans, per juſſa ſolum eorumque rigoroſas executiones procedere velit, ſubjugationem & oppreſſionem partis debilioris id eſſe, non conciliationem & unionem: neque ſic unius fidei veros confeſſores, ſed hypocritas fieri, aut reluctante conſcientia obſequentes, de ſalute periclitaturos. Obteſtatur inde proceres Cleri, an non credant, cauſas ſchiſmatis vel ſufficientes, vel certe non plane nullas ſuperiori ſeculo fuiſſe. Expetiiſſe enim tunc omnes reformationem; querelis de corruptelis Eccleſiæ omnia perſtrepuiſſe; neq; ſine ratione Legatos & Epiſcopos Galliæ in Concilio Tridentino tot capita propoſuiſſe, a Pontifice mutanda & concedenda: inter quæ nominat uſum linguæ patriæ in re divina, ſacri calicis reſtitutionem, & correctionem abuſuum in cultu imaginum: qualia igitur tunc ſalva religione poſtulaverint, talia nunc ipſos admittere & concedere poſſe, infirmorum conſervandorum cauſa, ex Apoſtoli monitu; vel prætextum ſaltem Reformatis daturos, ut dicere poſſint, Eccleſiam Gallicanam aliam nunc & meliorem eſſe, quam olim fuerit.

Secunda Autori regula eſt: *neutram partem ab altera poſtulare poſſe, ut cedat in rebus gravis momenti, in quibus ſalutis cardinem verſari, etiam ex errore, ſibi perſuaſerit.* Ratio, quia peccatum eſt quicquid fit contra fidem conſcientiæ. Nec ſufficere ſi dicatur, ſtandum eſſe definitioni Eccleſiæ; controverti enim, quæ ſit vera illa Eccleſia, quæ jus decidendi habeat, & an recte deciderit. Eadem æquitate Reformatos quoque non deſideraturos a Rom. Catholicis, ut relaxent, quæ ex ſuæ conſcientiæ præſcripto relaxare non poſſint: explicent modo, quænam illa ſint, & facile appariturum, an concordia ſperari poſſit. Se tamen, conſideratis *Epiſcopi Meldenſis* expoſitionibus, pauca videre quæ neceſſario retinenda ſint; nam nec *Miſſam*, ſi commemorationis ſaltem ſacrificium ſit, in illo cenſu fore, & Chriſtianos aliquo tempore & loco eſſe poſſe, qui Sacerdote & Miſſa careant. Nec majorem neceſſitatem circa ceremonias & alia ejusmodi manſuram, ne quidem circa adorationem Sacramenti, cum utrinque agnoſcatur, Chriſtum adoratione dignum eſſe, ſed tantum quæratur, an etiam in pane adorandus ſit. Magnum etiam illum articulum *de poteſtate Pontificis*, obſtaculo non futurum, abjudicata ei jam publice a Gallis infallibilitate, & aſſerta concilii ſupra eũ autoritate,

tate, quæ tanta ſit, ut etiam monarchiam Pontificiam totam abrogare poſſit, ſi id ex Eccleſiæ utilitate eſſe judicetur.

Tertia regula: *ſi de articulo fidei ſive theoretico ſive practico quæſtio ſit, quem altera pars ut falſum & fundamento Religionis adverſum rejiciat, altera pro vero habeat, ita tamen ut eſſentialiter ad religionem non putet pertinere: hoc caſu eam partem, quæ verum quidem ſed non abſolute neceſſarium ſtatuit articulum, charitate & prudentia Chriſtiana obligari, ut cedat, & infirmitati alterius, quæ articulum pro perniciofo & intolerabili habet, ſeſe accommodet.* Exemplum adducit de *invocatione Sanctorum*, quam veram ſed non neceſſariam habeant Rom.Catholici, item de *imaginum cultu*, quo per trecentos minimum annos caruiſſe Eccleſiam, negari nequit. Huc quoque trahit quæ de *uſu calicis*, de *lingua patria* in ſacris, de *conjugio clericorum* diſputantur. Nec ad rem fore ait, ſi dicatur, liberum relinqui Reformatis, an credere iſta cum Rom.Catholicis & exercere, an ſpectare ſaltem & tolerare velint. Communionem enim cum Eccleſia, quæ articulos, quos Reformati ut fundamento fidei contrarios averſantur, publice aſſerit, ſine peccato haberi non poſſe.

Quarta regula: *Si agatur de articulo, quem una pars affirmat, altera negat, utraque tamen agnoſcit, ſine ſalutis diſpendio aſſeri illum aut negari poſſe: hoc caſu partem potentiorem a debiliori tolerandam eſſe.* Hoc ſtante, multum putat lucraturos eſſe Romano-Catholicos; alioquin populi offenſam non vitaturos Reformatos, ſi etiam tolerabilia mutatum irent.

Quinta: Si vero una pars quosdam articulos magnifaciat, altera levioris momenti eſſe putet, in his cedendum eſſe illis, qui magnifaciunt, nec cogendos, ut ſententia ſua ſeſe abdicent. E.gr. *Rom.Catholici* ſententiam de præſentia reali maximi faciunt, *Reformati* eandem pro erronea habent, ſed tali quæ fundamentum ſalutis non ſubvertat, adeoque in Auguſtanæ Confeſſionis Eccleſiis illam tolerant. Procedente itaque inter partes concordia, Reformatos urgere non debere, ut Rom.Catholici ſententiam de præſentia reali ejurent, neque peccare Reformatos, ſi errorem tolerent, quia error ille non habetur perniciofus ad ſalutem.

Sexta: multum differre, an error toleretur, an etiam credatur & probetur. Prius ex *charitate & prudenter fieri poſſe; poſterius,*

ſi re-

ſi reclamante fiat conſcientia, manifeſtum eſſe peccatum. Ita multa toleraturos eſſe Reformatos apud Rom. Catholicos, licet ea ipſi pro veris agnoſcere non poſſint, nec ut id faciant cogi debeant. V.gr. ſi ferant illos, cum præſentiam realem credunt, non ideo ipſos ad eam credendam, aut ad abjurandam abſentiam realem adigi poſſe. Ita ſi Rom. Catholici abolerent adorationem Sacramenti, aut cultum Sanctorum & imaginum; non ideo poſtulandum eſſe, ut condemnent quæ antea egiſſent. Nihilo magis, ſi ponatur, opinionem de purgatorio tolerari poſſe, obligandos Reformatos, ut ipſi quoque id credant, aut diſſenſum celent: imo etiam partem cultus, qui ſolius purgatorii cauſa inſtituitur, illique articulo innititur, abrogandum fore, quia illo retento ſine peccato communicare cum Rom. Catholicis Reformati non poſſent.

Septima denique: *nullo pacto veritati præjudicari debere, quin per amica colloquia, ſive publica ſive privata, ſuper articulis mutuo toleratis aut remiſſis ulterior fiat inveſtigatio; ita tamen ut pax Eccleſiæ minime turbetur.* Sic in primitiva Eccleſia Judæos & Gentiles ad Chriſtianiſmum converſos diſſenſiſſe, ſalva concordia, de obſervatione legis Moyſaicæ; & in ipſa Romana Eccleſia de magni momenti quæſtionibus, ſine ſchiſmate diſputari.

S. ATHANASII ARCHIEP. ALEX. SYNtagma doctrinæ ad Clericos & Laicos. Valentiniani & Marciani Impp. Epiſtolæ duæ ad Leonem M. Theodori Abucaræ tractatus de unione & incarnatione. Singula, præter Marciani priorem epiſtolam Latine extantem, utraque lingua primum prodeunt cum notis, edente Andrea Arnoldo C. F. Norimbergenſi.

Lutetiæ apud viduam Edmundi Martini & Johannem Boudot, 1685. in 8.

TRia hæc antiquitatis eccleſiaſticæ monumenta, in Anglia, partim ex Voſſiana, partim ex Bodlejana bibliotheca deſcripſit, qui ea nunc in Gallia bono publico donavit.

Primum quod *Athanaſii* nomen præ ſe fert, non alium agno-

ſcere Autorem, quam celeberrimum illum Alexandrinæ eccleſiæ Epiſcopum, ex eo perſuaſum ſibi habet, quod antiqui codicis inſcriptionem confirment ἐρωτήσεις κανονικαὶ καὶ ἀποκρίσεις τῆς ἁγίας συνόδου in bibliotheca Regia repertæ, nec ſtylus ab Athanaſiano multum diſcrepet, & præterea in Athanaſii tractatu de virginitate & in exhortatione ad monachos nonnulla, quæ cum hoc ſyntagmate aliquatenus congruunt, legantur.

E duabus Valentiniani & Marciani ad Leonem M. epiſtolis priorem, quæ jam antea Latine in operibus Leonis prodierat, nova verſione non indignam judicavit, cum prior illa quodammodo imperfecta videretur; ex quo etiam colligit, quod epiſtola illa non Latine ſcripta, ſed ex Græco fonte hauſta fuerit. Poſteriorem, quæ nunquam antea neque Græce neque Latine lucem publicam aſpexit, tanto libentius evulgavit, quod eam actis Chalcedonenſis concilii perquam neceſſariam cenſeret. De utraque *Paſchaſium Queſnelium* noviſſimum operum S. Leonis editorem conſuluit, qui priorem ad annum 452, alteram ad annum 453 pertinere reſpondit.

Quindecim *Theodori Abucaræ* diſſertationes latinitate abs ſe donatas jam olim *Genebrardus* publici juris fecit. Plura ejuſdem opuſcula, a ſe & *Franciſco Turriano* Latine reddita, Jacobus Gretſerus cum *Anaſtaſii Sinaitæ* Hodego poſtea conjunxit. Sed utrobique hunc *de unione & incarnatione tractatum* omiſſum videas, quem nunc Cl. *Arnoldi* paternis inſiſtentis veſtigiis induſtriæ & bonas literas ornandi ſtudio debemus. Cur autem Abucaræ non æque ac Athanaſiano ſyntagmati, & duabus Val. & Marc. epiſtolis notas addiderit, *in cauſa* eſſe dicit venerandum unionis perſonalis myſterium, quod mirari potius quam rimari voluerit, cum præſertim ob iter cunctationis impatiens, ſufficiens temporis copia haud ſuperfuerit. Virum vero quendam doctum in Anglia Theodori hujus ætatem ad ſeptimum ſeculum retuliſſe meminit, & Καρῶν civitatem, ubi epiſcopi officio functus eſt, non aliam eſſe exiſtimat, quam quæ apud *Ptolemæum* lib. 5. c. 18. Καῤῥῶν nomine venit, & in notitia eparchiarum, quam manuſcriptam tenet, Κάρα appellatur.

Cæterum etſi noſtrum de primo e tribus monumento, quod Athanaſio vindicare clariſſimo VOSSIO, *ac editori* Arnoldo *viſum fuit, judicium merito ſuſpendimus: non poſſumus tamen non ex* Novellis Rei-

publicæ

publicæ Litterariæ, *quæ menſe Martio ſuperioris anni cœptæ, in Hollandia Gallico ſermone per menſium intervalla eduntur, huc transferre, quæ de illo opuſculo Vir, quisquis eſt, doctiſſimus cenſuit. Perſuaſum autem habemus, clariſſimum Novellarum illarum Auctorem, cujus magnam variamque eruditionem non minus, ac ingenii acumen & elegantiam, ſtylique venuſtatem merito veneramur, ægre non laturum, ſi in eorum, qui Gallici ſermonis ignari ſunt, gratiam nonnulla ex iis Latine reddita, in Acta hæc noſtra ſubinde derivemus; eum in modum, quo ex celeberrimi Roquii* Diurnis Pariſienſibus, *& Anglorum* Transactionibus Philoſophicis *excerpere quædam, Latinoque ſermone expreſſa Actis noſtris inſerere hactenus conſuevimus. Sicuti viciſſim, ſi quid in Actis hiſce exhibetur, quod Gallice verti mereatur, & ſeu in Diurna Pariſienſia, uti factum non ſemel fuit, ſeu in Novellas Reipublicæ Litterariæ Roterodamenſes referri, quominus id fiat, non intercedimus; illi etiam, qui Acta hæc noſtra integra in Gallicam linguam traducere non ita pridem Hagæ Comitum cœpit, minime ſuccenſentes.*

EXCERPTUM EX EPISTOLA ROTHOmago Autori Novellarum Reipublicæ Litterariæ transmiſſa, qua oſtenditur, ſcriptum non ita pridem ab Arnoldo publici juris factum non eſſe Divi Athanaſii.

Traductum ex Novellis menſis Julii a. 1685. p. 744. ſqq.

RAtiones quibus motus fuit Arnoldus, ut D. Athanaſio iſtud opus aſſereret, hæ ſunt. 1.) Quod titulus id ei tribuat. 2.) Quod in Codice MS. Bibliothecæ regiæ, cui titulus *Quæſtiones Canonicæ & Reſponſiones S. Synodi*, bina ex hoc libro loca tanquam S. Athanaſii citata deprehenderit. 3.) Denique quod complura hic occurrant, illis quæ alibi in Athanaſii libro de virginitate habentur, plane conformia. Quibus reponi poterit (1) Titulum a Scriba adjectum fuiſſe eadem ratione, qua librarius aliquis, cum Novatiani nomen libro cuidam præfixum videret, expulſo illo, Tertulliani ut celebrius & minus exoſum ſubſtituit. (2) Synodum illam, quæ D. Athanaſio laborem hunc adſcribit, ipſo quoque Arnoldo agnoſcente, ſeculo

demum IX habitam fuiſſe, quo tempore prævalente ubivis bonarum literarum ignorantia, facilis error fuit in aſſignando vero autore Codicibus Mſ. (3) Scriptum de quo agitur, a S. Athanaſio in ſuis operibus nullibi eſſe agnitum, nec a quoquam Patrum eidem tributum. (4.) Certum eſſe, Athanaſii temporibus neque communionem inter Monachos fuiſſe, nec regulam, quarum tamen mentio in hoc libro occurrit. Jubet enim iſthoc Monachos 1) bonis ſuis renunciare, aut hæc ſaltem eſt explicatio verbis p. 22. ab Arnoldo ſubjecta. Jam vero Athanaſii temporibus, jus adhuc erat Monachis proprio nomine bona poſſidendi. Codex enim Theodoſianus lib. 5. tit. 3. (ubi videndus Godofr. in Comm.) liberam teſtandi facultatem eis concedit. Et Gregorius M. l. 1. Ep. 42. tradi jubet Fauſtino bona, a Joanne monacho cum moreretur relicta. Doctiſſimus Mabillonius videtur interdictionem bona propria poſſidendi ad D. Benedictum referre velle. Sed agnoſcit ipſe Magiſtrum hunc regulæ c. 82. ſtatuiſſe, ut donationum a Monachis factarum inſtrumenta teſtamento Abbatis inſerantur, talesque donationes factas exemplis Abbatum & Abbatiſſarum, præſertim Reginæ Radegundis & Fulradi S. Dionyſii Abbatis, docet l. 1. de re diplom. c. 2.

2) Vult ab iisdem decimas exſolvi, quod quidem præceptum non ſaltem interpretationi Arnoldi loci ſupra allegati e diametro adverſatur, ſed etiam S. Athanaſium non eſſe hujus ſcripti autorem evidenter oſtendit; nec enim decimæ ſolvi cœpere, niſi longo poſt obitum ejus tempore. Sane deſævientibus decem perſecutionibus in uſu non fuere; & ſi hac voce Cyprianus uſus deprehenditur, factum id eſt reſpectu ad Veteris T. decimas habito. Conſtantinus paſtoribus frumenti certam quantitatem dari præcepit, quod inſtitutum usque ad Juliani Apoſtatæ tempora duravit, & poſt ejus obitum a ſucceſſore Joviano in uſum reductum eſt. Autor hiſtoriæ Beneficiorum originem decimarum avaritiæ Epiſcoporum quorundam Aulam frequentantium adſcribit, qui quarta ipſis aſſignata non contenti omnem penitus adeo exhauſerint ſubſtantiam, ut neceſſarium fuerit, decimas exigi ad alendos Sacerdotes, quam rationem in Italiam primus introduxit Carolus M.

3) Obſervari mandat jejunium Eccleſiæ. Arnoldus rigide hæc verba interpretatur de jejunio a die cinerum ad Palmarum

usque

uſque feſtum obſervari ſolito. Sed ſi ex Socrate Hiſt. Eccleſ. l.5.c.22. conſtat, Alexandrinos ſex ſeptimanis jejunaſſe, certe factum id non eſt niſi Valentiniano atque Theodoſio imperantibus.

4.) Conjugio Clericos prohibet. Nec tamen probabile eſt Athanaſium, qui Concilio Nicæno, ubi contraria ſententia prævaluerat, adſtitit, autorem eſſe prohibitionis ad omnes æque Clericos porrectæ. Oblitus pene eram dicere, librum inſcribi tertium ad Quirinum; & certum quidem eſſe, in operibus Athanaſii duos libros ad Quirinum comparere, ſed contra Judæos ſcriptos; denique illuſtrem Bigotium perſuaſum eſſe, neutiquam Athanaſium, ſed alium quendam ex veteribus eſſe autorem hujus libri, luce alioqui publica dignisſimi.

OBSERVATIO SINGULARIS DE FRACTURA, in qua nova quadam efformata fuit Articulatio, communicata a Dn. Silveſtro Medicinæ Doctore Pariſienſi.

Traducta ex Novellis Reipublicæ Litterariæ menſis Julii an. 1685. p. 118. ſqq.

Anni ſunt plures, cum Vir quidam ex caſu ſibi brachium ſiniſtrum, ad quatuor a carpo digitos transverſos ita fregit, ut utrumque ulnæ & radii os in transverſum diffractum haberet & omnimode diſunitum. Mox equidem Chirurgi pro brachio reponendo fuere accerſiti, Vir tamen hic doloris vehementioris metu tangi ab iisdem plano recuſavit, abnuendo una faſcias ipſas, quibus brachium commode deligaretur. E diverſo brachium commovere potius incepit, huicque poſtea motui tali ſucceſſu asſuevit, ut brachium vel in ipſo fracturæ flecteret loco: in quo ſtatu, commovendo videlicet manum, ac duobus in locis abſque dolore vel incommodo ullo cubiti os flectendo, ſatis diu vitam protraxit. Poſtquam vero eſſet defunctus, unus e Chirurgis, qui ipſum viſitaverant, brachium hoc ab ejus petiit agnatis, muſculisque reſciſſis oppido novam in fractura factam invenit articulationem, ſequenti diſpoſitam ratione. Scilicet ex parte flexus cubiti in utriusque oſſis extremitate caput

quoddam rotundum apophyſeos nomine inſignitum, occurrit; ex parte autem carpi duæ adſunt cavitates ſatis profundæ, capitibus oſſis cujuslibet recipiendis inſervientes. Dehinc ipſum perioſtium, quod tempore fracturæ erat laceratum, circumcirca majori præditum obſervatur craſſitie, adeo ut ligamenti vicem pro articulatione firmanda præſtet. Tandem cavitatum harum oræ a parte anteriori multo minus advertuntur elevatæ, quam a parte quidem poſteriori, unde duo notabiles producebantur effectus; quippe ex una regione ſatis ſic erat opportunitatis pro meliori flexionis motu ineundo; ex altera vero nimia brachii extenſio hoc in loco impediebatur, ſimilem fere in modum, ac in cubiti flexura contingere deprehenditur. Quæ omnia in oſſibus pariter exſiccatis, a Dn. *Du Verney* inter plura alia rara Anatomica aſſervatis, ac in appoſita cernere licet Figura, veluti quam ideo delineandam curavi, ut eo exactius novæ hujus articulationis mechaniſmus queat comprehendi. Eſt vero ibi A A os radii. BB os cubiti. CCC fractura, in qua novus quidam efformatus erat Articulus.

Tab. XIII. Fig. 4. Duo hic ſeſe offerunt conſideratu digna, quorum rationes indagari omnino merentur: primum eſt, qua ratione articulatio talis nova fuerit concinnata; alterum vero, quomodo hic vir cubitum eo in loco flectere potuerit, cum abſque dubio muſculi novi, motui iſti inſervientes, formati eſſent nulli. Quæ meæ circa utramque quæſtionem ſint conjecturæ, ea nunc proferam lege, ut aliorum majori me perſpicacia pollentium ſubjiciam judicio.

Quo intelligatur ratio, qua talis articulus efformatus fuit, animo concipiatur oportet, oſſium brachii, poſtquam utrumque in tranſverſum fractum ac penitus disjunctum eſſet, extremitates nihilominus ſibi invicem oppoſitas, ſimulque unam ſupra alteram ita permanſiſſe adaptatas, ut calli materies e qualibet oſſium extremitate ſtillans, haud dubie illas denuo conglutinaſſet, niſi brachium continuo agitatum fuiſſet. Hic ſiquidem motus in cauſa fuit, quod materia calli non ſaltem a fracturæ lateribus inſenſibiliter defluxerit, ſed &, quia viſcida ac glutinoſa, oſſium fractorum adhæſerit margini, ubi temporis ſucceſſu ſpecies quædam limbi eum ad modum, quo etiamnum in oſſibus cernitur, fuit efficta; qui limbus cavitatis loco eſt, ex carpi potius, quam cubiti parte, ob declivem car-

carpi ſitum concinnatus. Cavitate vero ſic formata, ipſis oſſium extremitatibus ex parte cubiti neceſſario capitis ſeu apophyſeos figura erat recipienda, quoniam materies calli tota exudans mollis atque fluida, brachii dum motu ad alteras oſſium extremitates ferebatur, non poterat non ad eam rationem, qua illæ diſpoſitæ erant, formari, i.e. propter concavam cavitatis figuram evadere convexa.

Sed priusquam motus, qui in nova iſta articulatione fiebat, enodetur, duo veniunt conſideranda: primo, muſculos plerosque ulnæ ac radii oſſibus ſuperſtratos ubique fere duobus hiſce oſſibus annecti & agglutinari; deinde carpum, veluti partem mobilem reſpectu cubiti, verſus hunc ſecundum motus muſculorum regulas flecti. Quibus ſuppoſitis, ſi nova quædam formetur pars mobilis, ſeu quod idem eſt, ſi duo oſſa penitus frangantur, muſculi agentes neceſſario cubitum in articulatione videntur flectere; extremitates quippe oſſium eorum, quæ ſunt ex parte carpi, eodem modo ac ſi nova eſſent oſſa, evadunt mobiles reſpectu cubiti, & flectantur oportet ratione adhærentium muſculorum, contractionis tempore neceſſario partes diviſas ſeu ruptas, quibus adnectuntur, adducentium. Atque hæc ratio motus ejusmodi eſt mechanica, muſculorum connexioni cum oſſibus ſuperſtructa: verum ſi talis connexio haud eſſet, idem nihilominus motus adhuc procedere poſſet, quia oſſium ulnæ ac radii extremitates, quibuscum carpus articulatur, cum non ſint ſtabiles, neceſſario carpi ſequerentur motum, id eſt, muſculi carpi agentes trahere omnino cubitum verſus deberent partes carpum fulcientes, veluti mobiles factas.

Meum non eſt in conſequentias hic inquirere, quæ ex obſervatione hac necti queunt. Chirurgi interim exinde poterunt diſcere, quam neceſſarium ſit oſſa fracta, ut reuniantur, deligare faſciis eaque ſervare immobilia; ab altera vero parte obſervabunt inde Phyſici, naturam in rebus extraordinariis iisdem ſemper inſiſtere viis, adeoque credendum haud eſſe, quod omne monſtroſum nobis viſum effectus quidam ſit fortunæ, vel naturæ quædam aberratio; ſed quod omne potius in mundo per conſtantes motus fiat leges, a Deo in generationis ac conſervationis corporum gratiam ſtabilitas. Præterea certus ſum, alias adhuc inde ſequelas, quoad ſucci oſſium nutritii motum, & quoad rationem, qua eorum formantur articu-

lationes,

lationes,poſſe inferri,ſed locus hic minime eſt,hanc excutiendi materiam.

Ad noſtram regredior obſervationem, quæ rariſſima videtur maximeque ſingularis, qualem ſimilem apud Autorum legere neminem licuit. Verum eſt,quod *Fabritius Hildanus Cent.3. Obſerv.91. refert,in Viro quodam, poſtquam brachium idem ſiniſtrum inter cubitum & brachium haberet confractum,duoque oſſa omnino inter ſe disjuncta una cum inſigni carnis contuſione, ingentem ortam fuiſſe ſuppurationem,qua durante multa prodiiſſe oſſicula,remittentibus vero ſymptomatis & vulneribus conſolidatis,oſſa nihilominus remanſiſſe disjuncta, ita quidem,ut veluti novum quendam conſtituerint articulum; virum enim,ubi dextram adhiberet manum,brachium ſiniſtrum in ipſo fracturæ loco antrorſum & retrorſum duxiſſe.* Unde cernere eſt,magnam inter hiſtoriam utramque intercedere quidem convenientiam; interim non una prorſus eademque res mihi videtur. Certum eſt in Viro, de quo Fabritius Hildanus loquitur, oſſa haud denuo fuiſſe conjuncta, quæ eſt ratio,cur brachium in fracturæ flecteret loco: verum inde non ſequitur articulationem quandam ibi fuiſſe factam,quia tali in caſu Vir iſte absque dextræ manus auxilio brachium ſiniſtrum æque commoviſſet,ac ille,de quo nos diſſerimus. Quicquid itaque inferre inde licet huc recidit,nullum callum, cum inſignis facta fuerit ſuppuratio multaque una prodierint oſſicula, fuiſſe generatum pro oſſibus fractis uniendis,horumque extremitates exſiccatas induruiſſe absque eo, ut invicem eſſent conjunctæ vel ſe invicem tangerent, quemadmodum id expreſſis ibi verbis innuit Hildanus, *Oſſa*, inquiens, *ſe invicem non attingunt, ſunt enim ipſorum extremitates callo obducta.* Aſt non video,quomodo elici exinde poſſit, ullam in modo enarrata fractura factam fuiſſe articulationem, præprimis cum Autori Obſervationem hanc commemoranti occaſio defuerit,eam ex oſſium brachii poſt Viri mortem ſcrutinio aſſerendi.

DESCRIPTIO AC USUS PORORUM IN cute manuum atque pedum, per Nehemiam Grevv, Med. D.

Translata ex Transact. Anglic. M. Maji, 1684. num. 159.

Per

PEr poros Medici nil aliud intelligunt, quam certa ſpatia permeabilia inter partes alicujus corporis. Quin proinde pori in cujuslibet hominis cute dentur, non magis in dubium vocari poteſt, ac num homo unquam ſudet aut perſpiret. Aſt in manibus atque pedibus iidem admodum ſunt notabiles, reſpectu tam poſitionis, quam amplitudinis eorundem, hactenus quantum ego novi, a nemine Anatomicorum deſcriptæ. Etenim ſi quis modo laborem impendet contemplandi ope vitri mediocris palmam ſuæ manus, diligenter & adhibito ſapone ablutæ; advertere poterit (præter majores illas lineas, a quibusdam certis nominibus inſignitas, ut & eas, quæ mediæ ſunt magnitudinis, ac rugæ cutis audiunt,) innumeras ſtrias exiguas, æqualis amplitudinis atque diſtantiæ, ac ubivis ad ſemet invicem parallelas. Ac ſpeciatim tales deprehendentur in ſummitatibus ac primis articulis digitorum ac pollicis, in ſuprema parte volæ, ac prope radicem pollicis parum ſupra carpum. In quibus locis omnibus ſtriæ iſtæ perquam regulariter diſpoſitæ ſunt in triangula ſphærica & ellipſes, ut in manu, quam delineari feci, videre eſt. Super hiſce ſtriis ſtant pori, æquis omnes ordinibus ac talis magnitudinis, ut abſque vitro etiam oculo viſus acumine pollenti pateant. Quod ſi vitri cujusdam ope luſtrentur, quilibet porus ſpeciem exhibet fonticuli cujusdam, ac ſudor inibi ſtagnans apparet æque limpidus, ut aqua fontana, denuo etiam reſurgens, quoties abſtergitur. Intentio naturæ in diſponendis hiſce ſtriis hæc eſt, ut eæ tanto magis juvent uſum ac motionem manus: hæ quidem quæ imam cujuslibet trianguli partem ſeu baſin faciunt, ad flectendos ſeu contrahendos digitos; illæ vero quæ reliqua duo latera conſtituunt, ut & ellipticæ, ad preſſionem manus aut ſummorum digitorum verſus quodvis corpus, exigens ſcilicet, ut cedant ad dextrum ac ſiniſtrum latus. Perquam autem provide ſuper hiſce ſtriis, ac non in ſulcis interjectis pori locati ſunt, *(vid. fig. 6.)* quo ſic eorum ſtructura tanto firmior eſſet, nec ita facile depravationi per compreſſionem obnoxia; per quam ipſam ſcilicet ſulci tantummodo dilatantur aut coarctantur, ſtriis conſtanter iisdem manentibus, porisque adeo non alteratis. Ac ob eandem rationem pori etiam hi largiores ſunt, ut ſemper tanto melius conſerventur, cute quantumvis maxime compreſſa ac condenſata per uſum ac laborem manus. Idem eſt in poris pedum, non

Tab. XIII. Fig. 5.

Tab. XIII. Fig. 6.

Xxx impe-

impeditis, licet cutis ab incumbente mole totius corporis prematur. Atque pori hi ſic conſtructi ac muniti, admodum bene conveniunt ac viam aperiunt evacuationi particularum ſanguinis magis noxiarum ac perſpirabilium, copioſe nempe ad eos advectarum ope continui uſus manuum atque pedum. Unde eſt, quod ſudor pedum in plurimis magis nares offendit, quam qui ex ulla alia corporis parte prodit: item quod plurimi homines hypochondriaci, aut fœminæ hyſtericæ, tantum non continuum ardorem perſentiſcant in ſoleis pedum ac palmis manuum: non autem in ſuprema pedum parte aut manuum dorſo; quæ partes ſcilicet non adeo calefieri aut fricari ſolitæ, minus aptæ ſunt ad recipiendas prædictas particulas noxias, nec proinde etiam iſto pororum genere inſtructæ fuerunt.

ESSAIS D'UN DICTIONAIRE UNIverſel, &c. recueilli & compilé par Meſſire Antoine Furetiere, Abbé de Chalivoy, de l'Academie Françoiſe.

id eſt,

Specimen Dictionarii univerſalis, omnes in univerſum Gallicas dictiones tam veteres quam modernas omniumque ſcientiarum & artium nomina complectens: e præſtantiſſimis antiquis & recentioribus auctoribus collectum & congeſtum per Antonium Fureterium, Abbatem Chaliveienſem, Academiæ Francicæ Socium.

Amſtelodami, apud Henr. Desbordes. 1685. in 12.

QUi in lexicis Gallicæ linguæ adornandis in iſta gente operam poſuere, extiterunt multi: quorum tamen induſtriam ſuperare annìſus eſt Fureterius, omnes omnium ſcientiarum & artium, ac cujusvis generis voces apud Gallos receptas, earumque origines & ab iis ducta proverbia, uno exhibiturus opere, cujus ſpecimen dedit. Hujus ſub initium amplitudinem doctrinæ, qua iſtoc ſe commendet explicat, & longo ordine vaſtum ejus ambitum exponit; omnes in phi-

philoſophia, medicina ac juriſprudentia, cæteriſque artibus ac diſciplinis, vulgari etiam opificum uſu, & ullibi occurrentes dictiones, vocum etymologias, rerum inventiones, proverbiorum origines, auctorumque nomina qui de rebus quæ voces ſpectant tradiderunt, ſe indicaturum, & hiſtoriis, aut ex natura depromptis memorabilibus, ſententiisque moralibus, quæ exempla phraſium aut conſtructionum ſuppeditant, illuſtraturum profitetur. Quod inſtitutum, quo magis arduum tanto majori æmulationi expoſitum, ab Academiæ Gallicanæ, quæ puritati ac nitori linguæ ſuæ intendit, Sociis, qui eidem operæ & ejusmodi lexico concinnando jam pridem incubuerunt, ſummo ſtudio impeditum, & ut privilegium regium Fureterio conceſſum ipſi iterum adimeretur, allaboratum fuiſſe, clariſſimus Auctor Novellarum Reipublicæ Litterariæ anno 1685 pag. 29, 172, 523 ſeqq. indicat. Cujus pulcherrimi certaminis eventum expectabimus, nil dubitantes, quomodocunque hæc res cadat, æmulatione incenſos tot præſtantiſſimorum hominum animos, ſingulare eruditionis vaſtæ monumentum egregio publico edituros: ut Heſiodeum illud huc referre liceat: *ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι.*

LE GENIE DE LA LANGUE *Françoiſe,*

ſive,

Genius Linguæ Gallicæ.

Pariſiis, apud Laurentium d' Houry, 1685 in 8.

NEminem fugit, quantopere in excolenda Gallicæ gentis lingua hoc noſtro ſeculo fuerit deſudatum. Nulla certe e modernis linguis dabitur, in cujus puritatem reſtituendam ſplendoremque adaugendum, tantum laboris fuerit impenſum, quantum in hujus, ex quo auſpiciis Cardinalis Richelii celebris illa Academia Francica fundari cœpit. Inter eos vero, qui perficiendo magis, ac per partes examinando huic idiomati ſuam locarunt operam, haud parum eminent *Vaugelas, Bouhours & Menagius*, utpote quorum ſancita tantæ paſſim autoritatis haberi meruerunt, ut nihil magis ad aſſequendam linguæ iſtius perfectionem conducere exiſtimetur, quam

ſedula eorundem lectio. Cum autem obſervationes a triumviris hiſce factæ, fortuito tantum aut nullo potius ordine congeſtæ ſint, haud parvo diſcentium diſpendio, ut quorum memoriam per methodicæ tractationis ſeriem non parum juvari conſtat; hinc operæ pretium ſemet facturum putavit Autor hujus ſcripti, ſi prædictas eorum obſervationes in unum idque ordinatum ſyſtema redigeret. In duas autem partes librum partitus eſt, quorum prior compendioſæ grammaticæ formam habet, communia tantum linguæ principia exhibens; niſi quod doctrina articulorum, intricatior alioqui, nova methodo per ſex diverſas declinationes tradita reperiatur: quo tamen pacto num animis diſcentium magnopere fuerit conſultum, alii viderint; nec deerunt forte, qui entia hic præter neceſſitatem multiplicata eſſe conquerentur. Altera pars prælaudatas obſervationes ac annotationes, in certos titulos & capita digeſtas, & juxta receptam partium orationis ſeriem diſpoſitas ſiſtit; & ita quidem, ut adſcripti earum cuilibet diverſæ figuræ aſteriſci, mox primo adſpectu indicent, cuinam iſtorum triumvirorum eadem debeatur. Ait Autor, non defuiſſe ſibi, quæ ſancitis horum ſuperadderet; noluiſſe ſe tamen tantis oraculis admiſcere ſua, non futura ſcilicet ejuſdem cum illis ponderis & autoritatis. Tertiam nihilominus operi partem ſemet poſthac adjecturum promittit, ea exhibituram, quæ ad puritatem & elegantiam ſtyli perficiendam hic adhuc deeſſe videri poſſint.

TRAITE' DE LA CONFESSION CONTRE les erreurs des Calviniſtes, par Denis de Sainte-Marthe, Religieux Benedictin,

hoc eſt:

Tractatus de Confeſſione contra errores Calviniſtarum, per Dionyſium Sammarthanum, Monachum Benedictinum.

Pariſiis apud Lambertum Rulandum, 1685. in 8.

Receenſuimus *anni ſuperioris menſe Aprili* Hiſtoriam confeſſionis auricularis *a Jacobo Boileau* conſcriptam, oppoſitamque imprimis libro *Joannis Dallæi* de auriculari Latinorum confeſſione; indicavi-

cavimus etiam,prætermiſſis fere dogmaticis atque ſcholaſticis Dallæi argumentis,hiſtorica ſaltem a prædicto autore impugnata eſſe. Novus nunc adverſus Dallæum antagoniſta ſurgit Sammarthanus, non hiſtorica tantum,ſed univerſa ejus tradita convellere nitens: integram enim ejus libri refutationem ipſa præſentis tractatus rubrica promittit. Nimirum ait Autor, doctrinam de neceſſitate confeſſionis ſibi, dum alii cuidam operi, cui hæc maximam partem implicata erat, inſudaret,funditus perveſtigandam,atque ex Scriptura,Conciliis atque Patribus eruendam fuiſſe: eumque hac occaſione neceſſe haberet, hinc inde ſuper hac materia ſcriptitata pervolvere, Dallæi etiam librum penitius ſibi fuiſſe excutiendum. In eo vero talem neutiquam a ſe ſoliditatem deprehenſam fuiſſe,quæ vulgo ipſi tribuatur: quin potius pleraque ejus argumenta lubrico & fallaci ſuperſtructa fundamento apparuiſſe,taliaque quæ ex antiquiorum ſcriptorum monumentis,formatas tantum non ad ea reſponſiones continentibus,facillime ſubrui poſſent. Nil itaque fere aliud ſibi ad refutandum Dallæum agendum fuiſſe perhibet,quam ut reſponſiones iſtas, ex antiquis illis monumentis collectas,in aliqualem redigeret ordinem. Cæterum quod in tanta ſcriptorum copia, ſe ad concinnandum hunc librum applicuerit,eam potiſſimam rationem fuiſſe dicit, quod libros controverſiarum vernaculo idiomate ſcriptos,multum ſæpe ad convertendos plurimos contribuiſſe experiendo didicerit; & vero nullum adhuc talem de Confeſſionis Sacramentalis articulo viderit evulgatum; quæ ipſa tamen doctrina ab ipſorum ſæpe Romano-Catholicorum nonnullis, diſſolutioris ſcilicet diſciplinæ ſectatoribus, ſubinde in dubium vocari ſoleat. In duas autem partes opus dividere placuit autori. In priori ex præſtantiſſimis quibusque ſcriptoribus,concinne juxta ſeculorum ordinem digeſtis, probare intendit, inde ab ipſo Eccleſiæ ſtabilitæ tempore, conſtanter inter Chriſtianos Confeſſionem habitam fuiſſe pro lege Chriſti inviolabili ac omnibus injuncta,qui poſt baptiſmum in peccata,occulta licet aut clam commiſſa,eſſent prolapſi: non autem demum ſeculo 13 hanc doctrinam ab Innocentio III in concilio IV Lateranenſi fuiſſe ſtabilitam, prout Dallæus ſupponit. Quam in rem fatetur quidem Sammarthanus, teſtimonia pleraque a ſe allata fere jam a Bellarmino aliisque allegata eſſe: nihilominus cum ad ea Dallæus reſpondere allaboraverit,

 pluri-

plurima nondum dicta iisdem a ſe adjicienda fuiſſe: ac præterea teſtatur, haud exiguum locorum numerum illis a ſe ſuperadditum eſſe, a ſeculo V inprimis; multa etiam facta ſingularia, aliis parum cognita, paſſim in medium afferri. Loca vero Autorum ſingula Gallico idiomate exhibere placuit, potioribus ſaltem terminis, ſicubi neceſſitas id exigere viſa eſt, in margine Græce Latineve expreſſis. In parte poſteriori Dallæi argumenta univerſa, ſummatim contracta, ordine recenſet, adjecta cuilibet compendioſa, quamque ſufficere credidit, reſponſione. Breviorem enim ſe in hac vel ideo geſſit autor, quod in diſputationibus his plerumque lectorem ad probationes in prima parte allatas, ac dubia quodammodo præoccupata remittendum putavit. De univerſo autem opere judicium illis merito relinquimus, quos controverſiæ Theologicæ exercent. Nam nobis argumenta librorum indicare, unice eſt propoſitum.

PRÆJUGEZ LEGITIMES, CONTRE LE PAPISME.

ſive

Præjudicia adverſus Papiſmum. Opus, in quo Eccleſia Romana in tota externa facie ſua conſideratur, indeque oſtenditur, illam non eſſe veram Eccleſiam, excluſis, ut prætendit, omnibus aliis Chriſtianorum cœtibus. Diviſum in partes duas.

Amſtelodami, apud Henr. des Bordes. 1685. in 4.

Autorem libri, in dedicatione ad *Sereniſſ. Electorem Brandeburgicum*, ſubſcriptione nominis ſui ſeſe profitetur *D. Jurius*, cujus ſcripta jam non una *Actis* noſtris inſeruimus; inter alia *Hiſtoriam Calviniſmi & Papiſmi parallelam, anno 1683 pag. 520, & 1684 p. 15.* hanc enim, ſicut & celeberrimum tractatum, quem *Condomenſi Expoſitioni* ſub *Præſervativi* nomine oppoſuit, in hoc ipſo opere ſibi vindicat, & pro ſuis agnoſcit fœtibus. In Præfatione deploratam Reformatorum, quæ nunc eſt in Gallia, ſortem, eo quoque malo aggravari queritur, quod ab apologiæ etiam libertate excluſi,

cluſi, multitudine criminationum & pluribus quam unquam antea libris contra ſe editis obruantur. Sibi tamen aures feriiſſe illud Poetæ: *Semper ego auditor tantum, nunquamne reponam?* & jam dudum publicato contra Reformatos libro *de Præjudiciis*, *præjudicia* opponere paratum fuiſſe, niſi prius habuiſſet, violentas *Maimburgii & Arnaldi* accuſationes retundere, ita quidem, ut in Hiſtoria Papiſmi jam tela quædam in Reformatos vibrata retorſerit, & bellum in hoſticum transtulerit. *Præjudiciorum* vero librum tam ſolide refutatum eſſe, imprimis a *Claudio* & *Pajonio*, ut eorum autores & fautores in pudendum ſilentium per decem aut duodecim annos demerſi, ne nunc quidem, poſtquam *Nicolius* primæ notæ inter *Janſeniſtas* olim ſcriptor, & nunc a Clero ad refutandos Reformatos conſtitutus, calamum ſtringere cœperit, aliud quam ſophismata & convitia reponere potuerint. Et ad hæc quidem propediem, ſi Deus vitam vireſque dederit, reſponſurum ſe eſſe pollicetur: de hoc vero Præjudiciorum adverſus Papiſmum tractatu, conteſtatur, ſcopum ſuum eſſe, ut cœcis ex adverſa parte oculos aperiat, ſuæ vero religionis hominibus animum contra gravisſimas tentationes adaugeat. Affectibus quidem nihil ſe dediſſe, mirum tamen non futurum, ſi iis aliquando cesſiſſet, ob crudelisſimas a Clero Gallico curatas perſecutiones, qui Regem natura optimum ad tot fidelium ſubditorum oppresſionem, ad templa omnia deſtruenda, ad tollendum cultum, disſipandos cœtus, carceri mancipandos paſtores, agendos in exilium cæteros, aut in extremam miſeriam conjiciendos adegerit. Monet dein, ut nemo ea, quæ Papiſmo in libro hoc ſuo tribuit, æſtimare velit ex ſcriptis *Epiſcopi Meldenſis* aliorumque conciliatorum, ubi omnia fucata & emollita ſint, ſed ex illis, quos irritatos & vehementes *(outrés)* vocat *Arnaldus*, interque eos refert, quos *Craſſetus Jeſuita* exſcripſerit. Eadem ratione non vult de praxi Papiſmi judicari, qualis conſpicitur alicubi in Gallia, & ſub quibusdam Epiſcopis, per quos abuſus nonnulli quadantenus diminuuntur: nihil enim hoc eſſe, ſi conferatur cum tot aliis regnis & provinciis, puta cum Hiſpania, Italia, Auſtria, Bavaria, & ubicunque ob præſentiam *Lutheranorum* & *Calvinianorum* pudor aliquis horrida & maxime deformia non ſupprimit. Ex his merito de Papiſmo judicium ferri, talemque eſſe, quem Eccleſia Latina per ſeptem aut

aut octo ſecula exercuerit; illumque ipſum ſtatum (detur licet, aliquid ex corruptelis poſt id tempus correctum fuiſſe) tempore reformationis extitiſſe, & propterea hanc defendi poſſe & debere; ſimulque evinci, conciliationi cum illa locum non eſſe, niſi melius & ſolidius quam huc usque factum eſt, reformetur, cum gravisſima præjudicia etiam hodie in priſtino verſentur vigore. Diſtingui tamen a ſe religionem Romanam & Papiſmum, & hunc potisſimum a ſe peti, ad quem pertineant vana & ſuperſtitioſa. Si enim ſint inter religionem Romanam (quatenus Chriſtiana eſt) profitentes, qui iſthæc condemnent, eos jam a Papiſmo diſceſſum moliri, quibus merito divinum ad perficienda cœpta auxilium apprecetur. Denique iis qui forte reprehenſuri ſint, quod *Præjudicia* nunc ſcribat adverſus Romanam Eccleſiam, cum ipſe antehac improbaſſet, quod ab illa hæc methodus uſurpata fuerit, ita ſeſe excuſat, ut dicat, non improbari a ſe hunc ſcribendi modum, dummodo ab examinatione particulari ſingulorum dogmatum non abſtineatur: hæc enim interna reſpicere, Præjudicia vero ad externa pertinere. Convertit ſe inde ad alloquendos Proteſtantes, quos ex profundo ſomno excitare, ſcripto hoc ſibi, ut profitetur, propoſuit. Hæc vero parænеſis gravisſimi eſt momenti & multæ libertatis. Nam poſtquam aſſeruit, religioni maximam mutationem, illique quam ſuperiori ſeculo experta eſt, non abſimilem inſtare, inque eo eſſe, ut aut Proteſtantium religio funditus pereat, aut divinæ providentiæ miraculo, (de quo quidem deſperari non debeat) reſtituatur, cauſas adfert defectuum, quos habet, & malorum damnorumque quæ in omnibus quaqua verſum regionibus patitur. Inter defectus primam facit morum depravationem; addit pietatis zelum in populo frigefactum, Principes ſuis tantum utilitatibus intentos, torpentes paſtores; auctum e contratio fervorem Romanæ Eccleſiæ ex vitiis Proteſtantium, & ex ſua potentia. Hunc tamen a Proteſtantium cœtibus & proceribus otioſe ſpectari, diverſisſimo a majoribus animo, qui tanto labore ac ſanguine a jugo Papiſmi ſeſe liberaverint. Progreditur inde ad remedia, hortaturq; ad accuratam Papiſmi contemplationem, & quos progresſus, oppresſis aut ad incitas redactis Proteſtantium cœtibus, per omnes quas autor enumerat provincias, Bohemiam, Auſtriam, Hungariam, Poloniam jam fecerit. In Gallia

lia vero ait perditas eſſe funditus res Reformatorum, qui tamen numero, dignitate perſonarum & eruditione aliis non ceſſerint: apud Germanos etiam circa Rhenum principia mali jam ingruere. Ante omnia igitur Proteſtantium tam Lutheranorum quam Reformatorum conſilia jungenda, & communi hoſti opponenda eſſe ſuadet, ne univerſalis quam inſtare timet, ruina & ſervitus utroſque opprimat. Quod ſi conciliari inter ſe ratione dogmatum non poſſint, communis tamen utilitatis cauſa ſociari debere: neque dubitandum, quin juncta opera apud Principes, qui ſubditos ſuos religionis cauſa vexant, obtineri poſſit conſilii damnoſiſſimi & in deſperationem erupturi mutatio. Neque tamen armis, ſed ſeriis modo opus eſſe admonitionibus, iiſque obtineri poſſe putat, ut promiſſa libertas religionis ſervetur. Ad eam obligari omnibus modis Principes Rom. Catholicos, ſive edictis, ſive pacificationibus, ſive privilegiis, conceſſionibus & donationibus eam promiſerint, pluribus confirmat rationibus, ex jure petitis. Speciatim clericos Proteſtantium adhortatur, ut ex lethargo tandem expergefacti, non minori quam R. Catholici zelo, religionis curam ſuſcipiant. Ita ſcilicet (1) ut ceſſetur tandem ab odiis & criminationibus, quibus Lutherani & Reformati ſeſe mutuo proſcindunt. (2) ut tolerantia mutua introducatur, donec de controverſiis conveniri poſſit. (3.) ut ad exemplum R. Catholicorum, miniſtri Eccleſiæ apud Principes inſtent, ut officio ſuo ſatisfaciant, non quidem per vim & cædes, ut ex adverſo fit, graſſando, ſed ut bonis modis ſubverſionem religionis avertant. (4) ut mediatorum perſonam inter Principes ſumant, hoſque concilient, & ad veram utilitatem rerum ſuarum conſiderandam & promovendam inducant. Agit tandem de conciliatione ſive reunione, quam a plurimis annis obtuliſſe videri voluerint R. Catholici; quamvis de ea nunc, poſtquam res ad vim pervenit, taceant, nec aliam, ut ait, admiſſuri ſint, quam quæ cœco obſequio in Romana placita concedat, aut ut Reformati ita ſe inſtructos per librum Expoſitionum aliaque ejusmodi ſcripta eſſe fateantur, ut majores ſuos ſchiſmatis ſine cauſa procurati reos faciant. Quod enim quidam, quem nominat *Duiſſeau*, talem inter omnes religiones tolerantiam ſtabiliri poſſe putaverit, ut ſervato licet in dogmatibus diſſenſu, non detrectent mutuo in ſacris communicare, id fortaſſe inter Lutheranos

Yyy

nos & Reformatos, & inter Epiſcopales & Presbyterianos locum habiturum, quia, ut putat, in veritatibus fundamentalibus non diſſentiunt. Sed cum Rom. Catholicis fieri id ſine extrema turpitudine non poſſe; nihil enim hos remiſſuros eſſe ex intolerabilibus dogmatibus ritibusque ſuis, nec cereum, ut loqui ſolent, unionis cauſa extincturos. Id ex viginti annorum, in quibus de reunione & emendatione plurimum, ſed fruſtra actum ſit, experientia ſatis patere ſtatuit; maxime vero ex noviſſimo *Nicolii* libro, in quo Reformatos, ut ſchiſmatis reos accuſat, & omnia a quibus illi maxime abhorrent, præfracte defendit. Nec aliter Hiſpanos, Italos, & qui in Germania ſunt, Catholicos animatos eſſe; quibus etſi emendationes promittant, aut initium quoddam earum faciant, fidi tamen non poſſe, non una contendit ratione, licet exiſtimet non difficile, multoque minus impoſſibile eſſe, ut ſalva fide & conſcientia ſua cedere in multis queant. Inter quæ, ut putat, ſunt cultus imaginum omniumque creaturarum, uſus linguæ Latinæ in ſacris, ademtio ſacri calicis, magnus ceremoniarum inutilium numerus, cœlibatus clericorum, adoratio ſacramenti, miſſæ ſolitariæ, infallibilitas Papæ: cum enim hæc jam per decreta in Gallia ſublata ſit, una cum ſuperioritate in concilia, & in temporalia regum, ſupereſſe ſolum, ut ademta in epiſcopos cæteros jurisdictione, *Papa Romæ* ſit, quod *Boſſuetus Meldis.*

Hæc bona, ut ſperamus, cum Lectoris gratia paulo prolixius enarravimus, in contentis ipſius libri recenſendis breves futuri. *Diviſus* eſt in duas partes. *Priori* per capita XXXV *decem præjudicia* adferuntur, ex quibus autor demonſtratum id, quod ſumſerat, Eccleſiam Romanam non eſſe veram Eccleſiam. *Primum* eſt, quod falſa Eccleſiæ idea efficta, judicium infallibile de controverſiis fidei ſibi arroget. (2) quod ejus dominatus exacte conformis ſit dominatui Antichriſti, qui in Prophetiis V. & N. Teſtamenti deſcribitur. (3) quod per omnia ſecula fuerint, qui Prophetias iſtas ad Eccleſiam Romanam applicaverint. (4) quod imperium Pontificum prorſus ſit temporale. (5) quod humana penitus politia & regendi artibus utatur. (6) quod vitæ & mores Pontificum a ſpiritu Chriſtianiſmi plane diſcrepent. (7) quod ſpiritus ſuperbiæ in omnibus ejus membris appareat, (8) itemque ſpiritus avaritiæ. (9) quod

corru-

corruptelis maximis obnoxius ſit. (10) quod ſpiritus reprobationis in Papiſmo regnet, circa dogmata, cultum, mores, ordines monachorum. *Parte Secunda* capitibus XXX *novem* alia ejusmodi præjudicia proponuntur, nempe (11) quod cultus publicus in Papiſmo neque ſpiritualis neque rationabilis ſit, atque ſic eſſentialibus veri cultûs requiſitis careat. (12) quod inter Papiſmum & Paganiſmum magna ſit æqualitas. (13) quod e contrario a regula & lege Chriſtianiſmi evidenter recedat. (14) quod legi communi Chriſtianorum violenter contrarietur. (15) quod ſacra ſcriptura abutatur. (16) quod totus non niſi fabulis innitatur. (17) quod ſpiritu calumniæ regatur. (18) quod ſpiritus crudelitatis, ſanguinis, turbarum & perſecutionum ſemper in eo regnet. (19) denique ex proſperis etiam ejus ſucceſſibus præjudicium, ſive mala nota eruitur. Iſthæc omnia exemplis, argumentis, teſtimoniis pene innumeris ab autore ſtabiliuntur, & objectionibus atque exceptionibus reſpondetur, magna ubique cum παῤῥησία & perſpicuitate. Concluſionis loco ex ſingulis præjudiciorum iſtorum capitibus, nova & compendioſa methodus oſtenditur, ad finiendas controverſias, absque illarum diſcuſſione, eadem nempe via & ratione qua R. Catholici convincere Proteſtantes ab aliquo tempore conati ſunt. Sed iſta ſingulatim perſequi & referre longum foret. Cum vero præjudicium de Eccleſia, quam ſolam veram, omnibus aliis cœtibus excluſis, ſibi adſcribunt R. Catholici, ſit omnium maximum, ex primo ſaltem libri prioris capite annotamus, quæ autoris ſit ſententia de definitione, ſive de natura & notis Eccleſiæ: in hac enim non tantum a R. Catholicis, ſed & a plurimis Proteſtantium Theologis diſſentit. Præmiſſis autem, quæ pro ſtabilienda ſua opinione facere exiſtimavit, tandem hanc ſubjungit definitionem. *Eccleſia eſt corpus* (ſive cœtus) *eorum, qui credere ſe profitentur, Chriſtum eſſe verum Meſſiam & redemtorem mundi, quod quidem corpus in multas ſectas diviſum eſt, notabilem tamen aliquam partem habet, in qua ſemper reperitur numerus quidam electorum, qui vere, ſincere & pure illa credunt, quæ corpus Eccleſiæ in genere credere profitetur, & qui per participationem ſacramentorum & ſub miniſterio paſtorum, ad vitam æternam perducuntur.* Hinc definitioni ſuæ opponit & rejicit definitionem Rom. Catholicam, quod *Eccleſia ſit cœtus hominum eandem veritatem*

Digitized by Google

profitentium, eadem ſacramenta percipientium, ſub iisdem paſtoribus legitimis, & ſub uno capite ſupremo & viſibili ad omnem veritatem perducendorum. Deinde nec hanc, quam Proteſtantibus aſſignat, vult admittere, quod *Eccleſia ſit cœtus verorum fidelium, efficaciter vocatorum, qui externam puræ veritatis profeſſionem faciant, & intus eandem ſincera fide recipiant, eorundem ſacramentorum vinculo uniantur, ſub iisdem paſtoribus legitimis, & ſub una gubernatione, ſpiritui & intentioni Jeſu Chriſti penitus conformi.* Poſteriori quidem modo definiturum ſe eſſe ſcribit Eccleſiam, ut erat Apoſtolorum tempore, ſed ſuam definitionem omnium temporum & ſeculorum Eccleſiæ convenire, & diſputationibus ac paradoxis de viſibilitate & inviſibilitate, perpetuitate & extinctione, fallibilitate aut infallibilitate occurri, quas ex aliis definitionibus ſequi exiſtimat, ſive Eccleſia ad unionem ſub viſibili capite, ſive ad ſolos electos, aut in vero & plane intemerato cultu verſantes reſtringatur; ſua tamen definitione omnes ſectas Chriſtianorum comprehendi non diffitetur, ſed id ex cauſis, quas affert, aliter fieri non poſſe contendit. Explicat iſta per ſimilitudinem de homine, qui ex corpore & anima conſtat, & modo perfecta ſanitate omniumque membrorum optimo habitu fruitur, modo languet, & membrum hoc vel illud infirmum corruptumque, aut plane exſuccum & intermortuum habet, in quod animæ vires non influunt. Sic hæreticos & corruptos cœtus, membra quidem corporis Eccleſiæ eſſe, ſed morbida, quædam vero pro errorum magnitudine plane mortua, id quod de Socinianis vere prædicari poſſit. Differre vero ait, eſſe aliquem membrum corporis Eccleſiæ, & eſſe membrum corporis Chriſti: illud hæreticis & hypocritis etiam contingere, hoc vere fidelibus & electis: ratione illorum Eccleſiam eſſe viſibilem, horum vero inviſibilem. Hac enim definitione ſua ſtante, triumphantem in cœlis Eccleſiam, comprehendi non poſſe agnoſcit, neque id neceſſe eſſe arbitratur.

JOHAN-

Digitized by Google

JOHANNIS GEORGII NICOLAI JCTI ET Sereniſſimi ac Potentiſſimi ELECTORIS Saxoniæ Conſiliarii Eccleſiaſtici, Tractatus de Repudiis ac Divortiis.

Dreſdæ apud Chr. Bergen, 1685 in 4.

INter innumeras lites, quæ Eccleſiaſtica fatigant Judicia, nullæ frequentiores in dies occurrunt, quam quibus cum ſponſalitio tum conjugali vinculo nexi, de illo vel diſſolvendo vel laxando iterum ſunt ſolliciti. Teſtis hac in re omni exceptione major eſt ipſe libri hujus Autor ampliſſimus, qui Principali ornatus cingulo, per novennium Illuſtriſſimo, quod Dreſdæ eccleſiaſticis præeſt negotiis, Protoſynedrio aſſedit, Vir ſacri humanique Juris ſcientiſſimus, & multijuga rerum forenſium experientia inſignis. Cum igitur animadvertiſſet ille, hanc materiam tritura fori uſitatiſſimam, & a quamplurimis Theologis pariter ac JCtis pertractatam, nova ſumſiſſe incrementa, dum per obſervantiam in multis veterum placita fuerint abrogata, & in horum locum haud pauca iis incognita invaluerint, in ſpecie vero Proceſſus Conſiſtoriorum Saxonicorum circa modum pronunciandi, ut in plerisque aliis, ita tum maxime in caſibus Repudii ac Divortiorum limatior multo ac expeditior ſit redditus; laborem non pœnitendum nec inutilem ſe ſuſcepturum eſſe credidit, ſi hanc doctrinam cum connexis denuo ex jure Divino, Canonico, Civili ac Provinciali, ut & præcipuorum JCtorum commentariis concinnaret, ac quod hi ſparſim & per tranſennam quaſi tradidiſſent, in unum faſciculum reſectis ubique ſuperfluis, colligeret. Nec infeliciter huic ſaluberrimo inſtituto eventus reſpondit. Ea enim diligentia tantum non omnia, quæ huc ſpectant, excuſſit, ut dubium haud appareat, quin non minus Anteceſſoribus quam Togatis ſeſe ſit probaturus, præcipue cum inſertis paſſim Supremi Electoralis Conſiſtorii præjudiciis & formulis pronunciandi, noviſſimam obſervantiam ac praxin hodiernam docuerit. Ipſum vero pleniſſimum bonæ frugis opuſculum in duas diviſum partes eſt, quarum prior de *Repudiis*, altera autem de *Divortiis* agit. Antecedit utramque generalis capitum elen-

Digitized by Google

elenchus, quem in frontiſpicio cujusque articuli ſummatius rerum tractandarum conſpectus excipit. In prooemio ad Lectorem promittuntur *Variorum Caſuum & Controverſiarum illuſtrium reſolutiones*, quas ut propediem conſultiſſimus Autor orbi erudito communicet, merito optamus.

JOHANNIS SCHILTERI INSTITUTIONES Juris, ex Principiis Juris Naturæ, Gentium & Civilis, tum Romani, tum Germanici, ad uſum fori hodierni accommodatæ.

Lipſiæ apud Val. Adler 1685 in 8.

EX quo Jurisprudentiæ Univerſalis ſtudium, obſtetricante magno Hugone Grotio, in lucem protractum eſt, non defuerunt inter Romanæ Themidi addictos, qui illi ſumma cum cura certatim incumberent. Cum enim iſtud, utpote reliquarum legum fundamentum ac cynoſuram, tantum nobilitate jura quævis particularia excedere viderent, quantum omne genus humanum una civitate, totiusque civitatis ſalus & tranquillitas ſingulorum civium incolumitate potior eſt; omnem induſtriam in eo poſuere, ut ex Jure illo æterno, quod ſeculis omnibus ante natum eſt, quam ſcripta lex ulla aut omnino civitas conſtituta, Romanorum placitis lumen conciliarent, hocque ſimul ipſo teſtatum facerent, Juſtinianeam Jurisprudentiam ſuo merito dignam eſſe, quæ ab omnibus in pretio habeatur, cum ejus auctores atque conditores tot concluſiones ex fontibus Juris Naturalis feliciſſime derivatas ubique exhibeant. Horum igitur veſtigiis inſiſtens Auctor præſentis libri celeberrimus, noluit in concinnandis his inſtitutionibus orbitam eorum premere, qui aut ſoli textui uſum fori adjecerunt, aut, eo omiſſo, reliqua juris argumenta ſuppleverunt; ſed ut una eademque opera & inſufficientiæ titulorum, & quamplurimis nunc in alio orbe & diverſa Reip. forma deſuetudine inumbratis ſuccurreret, eum in modum prima legitimæ ſcientiæ elementa adornavit, ut textu Juſtinianeo retento expoſitoque, ac materiis deficientibus paſſim ſuppletis, ipſas Juris Naturæ atque Gentium ſcaturigines quolibet in articulo aperiret, ac ſic ſuggeſtis ubique ſolidioris Jurisprudentiæ fundamentis, eorum in-

ſimul

ſimul inſtituto medelam afferret, qui poſthabito Jure Juſtinianeo nova tyronibus Inſtituta ex ſolo Jure Naturali atque Gentium propoſuerunt, cum in Foro Civili non niſi ex Jure poſitivo, eoque ſive Romano ſive Germanico, ſive alio quocunque, controverſiæ deciderentur. Sperans itaque, has Inſtitutiones, etiam ubi Jus Romanum receptum ac approbatum non eſt, tum pro cathedra in ſcholis, tum in foro pro tribunali uſui futuras, introductionem quoque aliquam in Pandectas & Codicem, partim per allegationes præcipuarum legum & remiſſiones ad titulos, partim per ſeriem harmonicam circa finem ſubjectam attexuit, accedentibus in calce titulo digeſtorum de diverſis regulis Juris antiqui ſuccincta paraphraſi illuſtrato, & collectione regularum in Inſtitutionibus contentarum, nec non indice paragraphorum & rerum ac verborum locupletiſſimo.

LAURENTII THEODORI JO. FR. F. GRO-novii Emendationes Pandectarum juxta Florentinum exemplar examinatæ.

Lugduni Batavorum, apud Dan. a Gaesbeck, 1685 in 8.

FAmoſum illud Pandectarum exemplar, ab Amalphitanis antiquitus poſſeſſum, inde Piſas translatum, tandemque, cum anno 1406 Florentini Piſanos in ſuam redegiſſent poteſtatem, Florentiam in ſubjectionis quaſi ſymbolum transportatum, quanta apud eos autoritate polleat, qui Jurisprudentiæ Juſtinianeæ caſtra ſequuntur, omnibus notum eſt. Etenim cum ex indubiis ſignis conſtet, manuſcriptum illud antiquiſſimum, ac ſi non archetypum, tale certe eſſe, ex quo omnia, quæ hucusque habemus Digeſtorum exemplaria fluxerint: hinc ad illud tanquam ad cynoſuram, nunquam non reſpiciendum duxerunt celeberrimi pandectarum editores, Haloander, Taurellus, Godofredus, Ruſſardus, aliique. Operæ itaque pretium omnino ſemet facturum credidit Autor noſter, cum Italiam peragrans Florentiam appuliſſet, ſi pretioſiſſimum hoc volumen curioſius perluſtrandum ſibi ſumeret. Familiaritatem proinde ctus Viri noſtras ſupra laudes poſiti, quemque *Gregorius Leti* na-

Ce-

rem. Pol. P. 4. ſub fin. non abs re vocat ſcientiarum oraculum & ærarium, *Antonii* inquam *Magliabequii*, Magni Ducis Etruriæ Bibliothecarii, id favoris impetravit Gronovius, ut Manuſcriptum iſtud per tres quatuorve menſes, in palatio veteri, quod vocant, pervolvere & calide, ut ait, tractare fuerit datum, in cujus beneficii remunerationem, laudato Magliabequio ſcriptum hoc dedicatum voluit. In eo vero in id maxime incubuit, ut ab editoribus prædictis præterita aut non curata, notatu tamen non indigna, annotaret; quædam etiam ab illis non neglecta, at ipſo reſtituendi actu corruptiora, ad ductum Florentini exemplaris ſuæ redderet integritati. Ipſarum emendationum exempla hic recenſere nil attinet, cum eas hic nude abſque ſubnexa ubivis autoris deductione commemorare, jejunum, illam vero conjungere nimis prolixum foret. Cæterum ipſa pagellarum hujus libri paucitas vel primo adſpectu arguit, non opus univerſum, ſed primitias velut ejus tantum exhibitas a Gronovio fuiſſe. Hactenus namque tantum circa tres iſtas *Juſtiniani* præfationes Digeſtis præmiſſas, & indicem Jureconſultorum veterum illis itidem præfixum, occupatus eſt. Quamvis vero utique fatendum ſit, perſpicaciæ laudem in detegendis iis, quæ ab aliis incurioſe prætermiſſa erant; ingenii etiam in reſtituendis, quæ in Florentino codice manifeſto vitioſa ariolum magis quam interpretem expoſcere videbantur, Autori neutiquam denegari poſſe: diſſimulari tamen inſimul vix poteſt, eum antiquos illos interpretes ac editores, de re licet literaria haud vulgariter meritos, ubivis *fere* durius tractaſſe, paſſimque eos tyrannidis, ſtultitiæ, *anilis vanitatis*, ſtupidæ confidentiæ, craſſi erroris, laſciviæ, aliorumve *criminum* incuſaſſe. De cætero, num ad ipſum etiam Pandectarum corpus ita emendandum impoſterum progreſſurus ſit Autor noſter, non expreſſe quidem promittit, ſpem tamen ejus videtur facere *pag. 1.* ubi hæc habet verba: *uti ad illam legem ſumus probaturi, Deo volente.* Quod ſi fecerit, & æque oculatam ac exactam induſtriam, ut in hiſce, monſtraverit, utique impoſterum de Pandectarum volumine multum correcto ac illuſtrato gloriari poterimus.

JO-

Digitized by Google

JOANNIS MEURSII THEMIS ATTICA, ſive de Legibus Atticis libri duo.

Trajecti ad Rhenum, 1685 in 4.

GRæciæ antiquitatibus e melioris notæ & genuinis ſcriptoribus eorumque fragmentis eruendis aſſervandisque præcipuam ſtudii ſui partem eſſe voluit Meurſius; quod Collectanea ejus teſtantur, quæ vel vivus ipſe edidit, vel poſt obitum ejus clariſſimi viri *Samuel Puſendorfius* & *Joannes Georgius Graevius* a ſitu & tenebris vindicata in publicum emiſere, præclare de bonis literis hac cura meriti. Alter horum, in epiſtola nuncupatoria alterum admonens, ut qui adhuc ſuperſunt *de Regibus Laconicis* & *Piræo* commentarios propediem evulget, jam *de Legibus Atticis* quæ congeſſerat Meurſius, e bibliotheca Regni Sueciæ adeptus, publici juris fecit. Idem argumentum varietate non magis quam inſigni utilitate ſe commendans in Gallia *Samuel Petitus*, vir doctiſſimus, diffuſo commentario anno 1635 Pariſiis edito, executus eſt, leges Atticas tam a regibus quam Dracone & Solone & archontibus aliis latas, ex melioribus Græciæ qui ſuperſunt, vel quorum fragmenta reſtant, ſcriptoribus excerptas colligens, & juxta ordinem a Juſtiniano in concinnanda juris arte ſervatum digerens, ac eruditis obſervationibus illuſtrans. Cumque neutri præſtantiſſimorum horum virorum de alterius inſtituto quicquam conſtitiſſe, cum commentarios ſuos ſciberent, appareat: utrosque contuliſſe, & Meurſiana collectanea, quæ nulla temporis aut ordinis habita ratione congeſta eſſe ipſe auctor non diffitetur, ad Petiti capita & titulos retuliſſe, & alterum ex altero ſuppleviſſe, juvabit Græcarum antiquitatum & jurium ſtudioſum.

ANATOMIA ET CONTEMPLATIO nonnullorum Naturæ inviſibilium ſecretorum, comprehenſorum Epiſtolis quibusdam ſcriptis ad Illuſtre Inclytæ Societatis Regiæ Londinenſis Collegium ab Antonio de Leeuwenhoeck ejusdem Societatis Regiæ membro.

Lugd. Batavorum apud Cornel. Boutenſteyn, 1685 in 4.

Digitized by Google

QUantum valeat microſcopii uſus in detegendis naturæ myſteriis, neminem arbitror latere poteſt, cum poſt curioſiſſimas obſervationes Malpighii, Hockii, Borelli aliorumque eo deventum ſit, ut nemo vel in Anatomia, vel univerſa rerum naturalium doctrina, quicquam credat aut tuto ſtatuat, niſi armato oculo penitius introſpexerit minima atque occulta rerum. Simile quid varia circa objecta dudum tentavit Cl. Autor, ſuaque obſervata microſcopii perfectiſſimi ope facta, jam pridem magnam partem Anglice in Transactionibus Philoſophicis, pleraque nuper idiomate Belgico, & nunc quædam etiam Latine tribus his epiſtolis in publicum edidit. Prima vero continet obſervationes circa acetum vini, ipſumque vinum varii generis. In aceto quidem acerrimo, præter vermiculos innumeræ multitudinis, obſervavit innatantes copioſiſſimas particulas ſalinas, quæ variæ quidem figuræ, diverſique coloris erant, pauciſſimis tamen exceptis in acutum terminabantur utrinque. Quandoquidem vero dictos vermiculos in omni aceto deprehendi negat, hybernoque tempore eos mortuos obſervat, inde concludit aceti acrimoniam falſo a nonnullis adſcribi puncturæ ejusmodi anguillularum; atque ideo ſaporem omnem aculeis ſalium innatantium tribuendum eſſe unice. Confirmat id inprimis obſervatio altera, quando poſt injectionem lapidum cancrorum aut cretæ acetum ita immutatum vidit, ut nullas plane particulas repererit acutas ut ante, ſed omnes inſigniter alteratas, juxta figuram hic expreſſam; ut proinde nemo amplius dubitare queat, deſtructam aciditatem, manifeſtamque alterationem ſaporis in aceto deberi omnino transfigurationi ſalium, ab injectis cancrorum lapidibus vel creta factæ. Quales poſtmodum in vino Aurelianenſi, Hiſpanico, Moſellano, Rhenano, Gallico & Hogelandico annotarit ſalium figuras, variis *Tabulis* æri inciſis edi curavit. Inter has aliæ conveniunt cum atomis ſalinis in aceto viſis, aliæ multum ſunt diſſimiles, ac nonnunquam figuræ plane irregularis. Notabile autem eſt, experimentum felicius ſuccedere, quando vinum per aliquot dies in vaſe aperto ſteterit; forte quod exhalante aquoſitate melius coeant ſalia. Item nec illud prætereundum, vina antiqua longe minorem copiam continere ſalium, quoniam maxima eorum pars ſucceſſu annorum concreſcat atq; ſub nomine tartari cohæreat dolio. Porro quales figuras ſalium notarit in ſolutione

Tab. XIII. Fig. A.

Tab. XIII. Fig. B.

one tartari cum aqua ſimplici facta, & qualem alterationem in vino, poſt lapidum cancrorum vel cretæ immerſionem, ſimiliaque, ex ipſius Epiſtolæ inſpectione haud gravatim intelliget Lector. Quæ in altera traduntur obſervationes, concernunt potiſſimum ſtructuram cerebri. Et quidem circa partem ejus corticalem facto examine accuratiſſimo ſtatuit, eam nullis aliis partibus conſtare, quam ex incomprehenſibili multitudine vaſculorum, quæ tam arcte ſibi invicem adjacent, ut ob ſuam pelluciditatem per microſcopium referant ſubſtantiam vitream. Medulla cerebri autem maximam partem conſtabat ex tenui, translucida & oleoſa materia, quæ ſub ſpecie globulorum ingenti multitudine reperiebatur, præcipue circa ſpinalis medullæ radices. Præterea quali ſub forma calx arthriticorum, ſquamæ leproſorum aut in anguillarum cute hærentes appareant, ſi per microſcopium ſpectentur, tabula docet ænea. Epiſtola denique tertia primum loquitur de ranarum generatione, nec non piſcium atque avium. Non inelegans videtur obſervatio circa ſemen maſculinum ranarum, quod e teſticulis extractum innumeris ſcatere vermiculis viventibus viſum eſt. Similiter & in ovulo pediculorum, quod adhuc in matris ſinu fovetur, membra omnia diſtincte formata cerni, non eſt de nihilo. Cetera, quæ in contemplatione ſtercoris ranarum vel aſellorum vel proprii notata memorat, uti & quæ circa fibras muſculorum, ventriculi atque inteſtinorum, aut cordis motum diſſerit, prolixius repetere non vacat. Si cui volupe eſt, ipſum Autorem noſtrum evolvere, eum operæ minime pœnitebit.

DE ORIGINE FONTIUM TENTAMEN Philoſophicum; per ROB. PLOT L. L. D. Cuſtodiæ Muſæi Aſhmoleani Oxoniæ Præpoſitum & Regiæ Societatis Londini Secretarium.

Oxonii A. 1685 apud Henr. Clements in 8.

INter difficiles quæſtiones phyſicas, non ultima eſt de origine Fontium, *utrum ex imbribus, nivibus & grandine ſolutis, cæteriſque exhalationibus, in ſpongioſis montium cacuminibus, eorumque clivis collectis, an in vallibus prona ſcaturigine proſilientibus oriantur?* an

 ex ma-

Digitized by Google

ex mari tanquam ex magno aquarum theſauro per varios telluris anfractus deriventur, in quod iterum per amnes & flumina refluant? *an utraque ratione*, ſcilicet ex mari, tam ſuperiori quadam circulatione per nubes, quam inferiori per ſecretiores quosdam mæandros in intimis terræ viſceribus originem trahant? Quam quæſtionem licet plurimi Auctores diligenter tractarint, ut de ea ſcribere ſuperfluum videri poſſet, attamen cum in itinere per comitatus quosdam Naturalis Hiſtoriæ totius Angliæ contexendæ gratia ſuſcepto, Clar. Plot plurimas obſervarit fontium ſcaturigines admirandas, laudabili inſtituto communicavit Philoſophis, quæ ad quæſtionis propoſitæ elucidationem plurimum conferre queant. Atque, ut in hac ſua diſſertatione perſpicue doceat, *prima ejus fronte varias ſpecies fontium enumerat*, ſecundum varios fluxus modos, decurſus durationem, & minerali virtute ſaturationem. Nimirum Fontes alii ſunt temporales, qui non jugiter fluunt, alii perennes qui indeſinenter ſcaturiunt. Temporales rurſus dividuntur in regulares & irregulares. Regulares ſunt vel incerti, qui tamen pluvias ſemper ſubſequuntur, vel certi ſive periodici, qui certis quibusdam temporibus fluunt. Irregulares partim ſunt annui, qui quolibet anno fluunt incertis ejus temporibus, partim ſeptennes aut decennes, ſeptennio aut decennio fluentes vel deficientes. Perennium fontium alios dicit limpidos, puros putos fontes, quorum quidam guttatim, quidam præcipitanter decidunt; alios miſtos, qui ſaturantur vel ſale, vel ſulphure, vel bitumine. Sale ſaturati aut calidi ſunt, uti thermæ; aut frigidi, uti ſalinæ ac aliæ aquæ medicatæ.

Quibus præmiſſis audacter pronunciat, *temporarios illos & regulares incertos fontes omnes* omnino *dependere a pluviis*, vaporibus &c. inſuper ut plurimum *illos perennes* prope ſumma montium faſtigia, ſæpiſſime guttatim manantes potius quam fluentes, ab aquis pluvialibus oriri, ſive vaporibus, quos non raro ſummitatibus eorum incubantes intuemur, dum interim valles ſudo fruuntur cœlo & radiis nitent ſolaribus. At omnes alios fontes parem ortum ex pluviis habere, non aſſentitur Vitruvio, Petro Martyri, Cardano, Molinæ, Paliſſy, Gaſſendo, Rayo, Hoockio aliisque. Inprimis enim diſſentaneum rationi videri, quomodo ulli *fontes temporarii & irregulares*, qui aliquando fluunt, & ſtatim deficiunt, a pluviis, vapo-

vaporibusque dependeant, cujus generis enumerat aliquos Angliæ fontes, ex quorum fluxu frugum penuriam aut alias calamitates publicas colligunt, exareſcentiam pro certo magni proventus indicio vulgo habent. Præter has temporarias irregulares ſcatebras, æque improbabile eſſe, *temporarias*, legitimum autem in orbem redeuntes ſcaturigines, pluviis, roribus & cæteris originem debere: nam præterquam quod certas obſervent vices, cœlo æque ſudo ac pluviali; nonnullas ex illis contingit vel ſub æſtate tantum, quamvis arida, fluere; aut magis tum profluas eſſe, in extrema licet imbrium inopia. Exemplis quamplurimis memorabilibus accenſet ingens illud Ægypti flumen Nilum, cujus incrementum annuum non a pluviis Habeſſinis, ſed a ſtillis quibusdam nitroſis, roris inſtar deciduis, quæ in aquis fermentationem excitent, atque in altiorem eas molem extollant, argumentis plauſibilibus evincit. Ex quibus ipſe Plotus anſam capit dubitandi, an hujusmodi diurni æque ac annui rores, pro phaſeon Lunarium variatione variabiles, cadere non poſſint, qui aliqua ſaltim ex parte fluxum & refluxum maris creent ejusmodi fermentationibus.

Nec minus probabile apparere ait, admirandas aquas in Carniola periodicas lacus Lugeæ ſeu *Zirchnitzer See*, quæ una cum piſcibus menſe Junio ſingulis annis terram ſubeunt, interim terra aquis liberata ſubito gramen proferente, pabulum pecoris in hiemem inſequentem, menſe Septembri revertuntur ad altitudinem perticæ ſalientes, piſcesque ſecum referentes, a pluviis pendere non poſſe. Quibus peregrinis fontibus adjungit domeſticum rivulum Lamburnam copioſius æſtate quam hyeme fluentem, medio Septembri deficientem, medio Februario rurſus profluentem. Alios ſimiles ab eodem annotatos nominare omittimus.

Quemadmodum autem improbabile eſt, hos temperarios fontes a pluviis derivari, ita multo minus veroſimile putat, *perennes aquas*, quæ nec dum Sirius urit, quicquam remittunt, a tam incertis principiis, puta pluviis nivibusque unice pendere. Hinc ſpeculatur altitudinem, ad quam aſſurgat aqua pluvialis in conſervatorio communibus annis, juxta æſtimationem cujusdam Gallici auctoris: quot aquæ modii aut cadi ſufficiant, ut ex foramine unciali, aqua per 24. horas indeſinenter emittatur: quot ſufficiant

in annum; computationeque facta concludit, conſervatoriis fontium, multo minus maximorum fluviorum, tantum aquæ a pluviis aut nivibus ſolutis ſuppeditari non poſſe, quantum ſupplendis aquis, quas in mare ejiciunt intra anni ſpatium, ſatis ſit. Nec *fontes calidos, ſalſuginoſos aut amaros* a pluviis peti debere, quarum illapſu proprietatum ſuarum diſpendium faciant. Nec exiſtimari debere, fontes a pluviis ſuppleri, ubi raro pluit, aut conſervatoria ſunt nimis anguſta. Tandem cum non in paucis locis nullæ ſcaturigines reperiantur, quamvis abunde imbrium cadere ſoleat, & cætera adſint requiſita, pateſcere fontes a pluviis non deducendos.

His dictis cum probabile reddiderit, *pleroſque fontes a pluviis non pendere*, demonſtrare aggreditur, *fontibus per meatus ſubterraneos ab ipſo mari aquas ſuppeditari.* Ac nonnullos quidem fontes a mari continenter originem trahere, pro comperto habet, cum vix usquam gentium ora reperiatur maritima, cujus accolæ non ultro teſtimonium ſuum adjungant, quod aquas fere omnes experiantur amariuſculas, magis autem minusve, prout a mari propius aut longius abſunt. Reſtare igitur hoc unice ait demonſtrandum, non ſolum fontibus & mari ſubterraneam circulationem actu intercedere, verum etiam dari charybdes & voragines, a quibus illud valide reſorbeatur. Et ejusmodi charybdes dari probatur eo, quod fluvii maximi aliquando ſubſtiterint, & quod amnes aquæ dulcis in amaros abierint. Dari etiam circulationem ſubterraneam demonſtratur a fontibus, qui mari accedente augeſcunt, decedente ſubſidunt; ex lacubus amarulentis, qui nullos ſupra terram exitus in mare habent, quorum nonnulli tamen canibus carchariis aliisque marinis piſcibus abundant; ex compluſculis heterogeneis corporibus, quæ ſæpius inter fodiendum in terræ viſceribus reperiuntur, qualia ſunt conchæ marinæ, mali, ancoræ, fragmenta navium &c. ubi quædam inſperguntur de charybdibus inexploratæ altitudinis, de æſtu inferne relabente in aliquibus fretis.

Quibus rationibus e Philoſophia petitis, ad adſtruendam complurium, ſi non omnium omnino fontium nobiliorum, a mari per meatus ſubterraneos originem, addit *Sacræ paginæ* perpetuum *teſtimonium*, quæ diſerte nominat *Gurgites maris* (Job. 38. v. 16. Amos 9. v. 6.) *Fontes abyſſi* (Gen. 8. v. 2.) cujus perpetuam in gyrum revolutio-

lutionem plenius explicet Eccleſiaſtes cap. I.v.7; cujus ſenſum vulgo intellectum *a Job. Raii* interpretamento vindicat, accipientis de ſuperiori quadam per nubes circulatione, quaſi diceretur Sol ab univerſo mari vapores ad ſe allicere, quos iterum de nubibus in terram demittat, e quorum parte, in loca ſoli editiora decidua & ſubſidente fontes & fluvii deriventur, qui in mare remeent. His divini verbi oraculis complurium ex priſcis ſententias allegat conſonantes, puta Homeri, Platonis, Ariſtotelis, Senecæ & aliorum.

Huc redit ſumma dictorum pro adſtruenda hac antiquorum ſententia. Quibus nonnulla quidem regeri ſolent, ſed quæ facilius ſolvi poſſe in ſequentibus monſtrat, quam argumenta ſua infirmari. Maxima difficultas objicitur, *quomodo aqua adſcendere poſſit ad ſummitates montium, & inde effluere, cum mare nullos tales agnoſcat tumores, nec partes alias exhibeat cæteris altiores, quales cernimus in ſalebroſa telluris facie, neque adſcendere valeat ſupra libramen propriæ ſuperficiei.* Enimvero aquam aſcendere ſupra libellam aſſerit, (1) cum in jugo deſcendentis & aſcendentis aquæ diſpar eſt momentum; inſuper cum prior in amplis meatibus deorſum fertur, & poſterior in teretibus tubis adſcendit, qui usque & usque minuuntur, donec in capillares tandem deſinunt. (2) ope caloris hypogæi. (3) ope filtrationis. (4) ope inæqualis altitudinis marium, quam multis exemplis probat. (5) ope diſtantiæ centri gravitatis a centro magnitudinis. (6) ope procellarum. Poſt hanc *aliam dubitationem ſolvit*, qua ratione aqua marina ſalſedinem deponat, & cryptæ, per quas percolationes fiunt, nondum ſint obſtructæ, licet aqua fontana a mari proveniat; nec viciſſim mare omnem ſuam ſalſedinem dudum erogaverit.

D. ABRAHAMI CALOVII PROF. PUBL. in Acad. VVitteb. Primarii, Facult. Theol. & Conſiſtor. Senioris, & Elect. Sax. Superint. Generalis SCRIPTA ANTI-SOCINIANA in unum corpus nunc redacta.

Ulmæ apud G. W. Kühnen 1684 in fol.

Qui

Digitized by Google

QUi bella Domini adverſus Heterodoxos quoscunque tota vita ſtrenue geſſit, veritatemque Evangelicam diverſis olim locis, poſtremo in illuſtri Academia Wittebergenſi ex cathedra B. Lutheri, editis in lucem quamplurimis ſcriptis propugnavit, Venerandus hoc tempore ſenex, ſæpiusque nobis laudatus Theologus *Abraham Calovius*, Socinianam hæreſin eo accuratiore ſtudio oppugnandam cenſuit, quanto illa fœdior ac peſtilentior eſt, ipſique Chriſtianiſmo infenſior. Inde tot graviſſimo Viro nata fuere opera, Socinianis oppoſita, quæ ut per temporum intervalla publicæ luci expoſita hactenus fuerunt, ita in unum corpus redigi, poſtquam exempla primarum editionum pleraque diſtracta eſſent, & ut eo rectius poſteritati conſervarentur, orthodoxæ Eccleſiæ interfuit. In tres vero partes opus univerſum diſtributum eſt, quarum contenta ſyllabus eidem præfixus exhibet, ut cum ſcripta inſuper pleraque Eruditorum manibus trita dudum fuerint, nobis ſufficere videri queat, ipſum Operis vaſtiſſimi titulum plenius huc transſcripſiſſe. Exhibentur nempe in eo Auctoris celeberrimi *Scripta Anti-Sociniana, quibus hæreſis illa peſtilentiſſima non tantum ex ipſis Sociniſtarum Scriptis bona fide detegitur, ſed etiam e Scripturis ſacris, haud neglectis Antiquitatis Eccleſiaſticæ teſtimoniis, ſolide profligatur; ſecundum omnia capita controverſa, præcipue vero quoad ſumma fidei Myſteria de S. S. Trinitate, & de ſatisfactione meritoria Chriſti, nec non de juſtificatione & ſalvatione æterna: antea Roſtockii, Regiomonti, Dantiſci & Wittebergæ publice prælecta & Diſputationibus Academicis diventilata, nonnulla etiam privato ſtudio, tum Latina tum Germanica lingua elaborata, quædam hactenus ἀνέκδοτα, pleraque non amplius in officinis occurrentia, omnia paſſim deſiderata, nunc in unum corpus redacta; ad ſolius Dei gloriam, conſcientiarum conſolationem, fideique ſalvificæ confirmationem; cum indicibus locupletiſſimis.*

§ (o) §

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris Anno M DC LXXXV.

DE DISCIPLINA ARCANI CONTRA DISPUtationem Erneſti Tentzelii Diſſertatio Apologetica, per D. Emanuelem a Schelſtraten S. T. D. Bibliothecæ Vaticanæ Præfectum, Eccleſiæ Antverpienſis Canonicum.

Romæ, typis Congreg. de Propaganda Fide, 1685. in 4.

VIguiſſe olim in Veteri Eccleſia per unum ſaltem alterumque ſæculum, circa S.S. Euchariſtiæ inprimis auguſtiſſimum myſterium, Diſciplinam Arcani quam vocant, ita ut catechumenorum, Judæorum, & infidelium oculis auribusque illud occultaretur, nemo fortaſſis ibit inficias. Quotusquisque enim eſt, qui ignoret, cum poſt orationem ad populum univerſum habitam, ad Euchariſtiam celebrandam procederetur, catechumenos non minus quam Judæos & gentiles dimitti olim conſueviſſe, Diacono ſolenne illud, *ite, Miſſa eſt*, proclamante, nec permiſſum adeo iis fuiſſe ſanctiſſimos Sacramenti ritus oculis uſurpare? Aſt de duobus controverſia eſt, tum quo tempore in Eccleſiam Chriſtianam illa Arcani Diſciplina invecta fuerit, tum quam late patuerit illa, & ad quæ religionis Chriſtianæ myſteria proprie pertinuerit. Commentatus ea de re quædam fuerat Vir illuſtris clariſſimique nominis *Emanuel a Schelſtraten*, in erudito opere *de Sacro Antiocheno concilio pro Arianorum conciliabulo paſſim habito, nunc vero primum ex omni antiquitate autoritati ſuæ reſtituto*, Antverpiæ anno 1681 edito, ac a nobis primo Actorum horum menſe, qui Januarius fuit anni 1682, pag. 4 recenſito; ſed non multo poſt antagoniſtam nactus eſt *Wilhelmum Erneſtum Tenzelium*, Eccleſiaſticarum antiquitatum indagatorem ſolertiſſimum, qui propoſita publice in Academia Wittenbergenſi d. 3 Januarii an-

Digitized by Google

ni 1683 Diſputatione ſub cenſuram non dubitavit vocare, quæ *de Diſciplina Arcani* apud veteres Chriſtianos Schelſtratenus tradiderat. Qua cum potitus ille eſſet, Antverpia interim Romam ad Vaticanæ Bibliothecæ curam evocatus, nihil antiquius habuit, quam ut argumentum hoc ſane graviſſimum diligentiori ſtudio excuteret, perſuaſus nova ex eo arma peti poſſe, quibus Hæretici, quos vocat, validè repellantur; ac ſimul Tentzelio reſponderet. Unde præſens ipſi nata eſt Diſſertatio Apologetica, circa quam ita verſabimur, ut controverſiæ momentis ſtrictim enarratis, quænam ex hypotheſi ſua adverſus Heterodoxos conſectaria nectat, paulo uberius recenſeamus, Lectoris judicio pro inſtituti noſtri ratione relinquenda.

Duo Tentzelius, *Iſaacum Caſaubonum*, *Gebhardum Theodorum Meierum*, aliosque ſecutus, contra Schelſtratenum aſſeruerat; primum non ipſa fidei Chriſtianæ dogmata, ſed Sacramentorum tantum, quæ non niſi duo agnoſcit, baptiſmi & S. cœnæ ritus ac ceremonias per Diſciplinam Arcani fuiſſe occultatas; deinde morem hunc minime cum ipſis Eccleſiæ Chriſtianæ primordiis, ſed exeunte demum ſecundo poſt Chriſtum natum ſæculo cœpiſſe. Unde ad hæc quoque duo capita revocari fere cuncta poſſunt, quæ a Schelſtrateno in Diſſertatione Apologetica diſceptantur. Primum enim, poſtquam ſollicite monuiſſet, Arcani illam Diſciplinam non promiſcue erga omne hominum genus, ſed tantum adverſus paganos, Judæos & catechumenos exercitam fuiſſe, hosque adeo latuiſſe myſteria, quæ fidelibus patuerint; demonſtrandum ſuſcipit, & ipſum de ſanctiſſima Trinitate dogma occultatum olim fuiſſe: nec unum vel duo, ſed reliqua etiam Sacramenta, quorum ſeptem cum Romana Eccleſia profitetur, eorumque non ritus ſolos, verum & dogmata occultari non *initiatis* conſueviſſe. Inde ad alterum accedit, & comprobare nititur, Diſciplinã illam Arcani inſtitutam ab ipſo Chriſto fuiſſe, ſtatimque ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia viguiſſe, ad illud imprimis Chriſti Matth. VII provocans: *non eſſe dandum ſanctum canibus, neque margaritas projiciendas eſſe ante porcos.* Hæc enim verba non alio ſenſu accepta ab antiquioribus fuiſſe, quam ut non exponerentur ſanctiora Chriſtianæ fidei myſteria, niſi fidelibus, aliis vero occultarentur, ex *Libris* ſub nomine *Recognitionum* editis (quos quidem Clementi I falſo tribui, ingenue fatetur) ex *Dionyſio*, quem putat, *Areopagita*, *Tertulliano*, *Origene*,

gene, Cypriano, Athanaſio, Gregoriis Nyſſeno & Nazianzeno, Baſilio, Hieronymo, Epiphanio, Cyrillis Hieroſolymitano & Alexandrino, Ambroſio, Auguſtino, Chryſoſtomo, aliisque Patribus evincere operoſe contendit. Cumque Tentzelius tum ex eo, quod gentiles occaſionem Chriſtianis obtrectandi, & Thyeſteas epulas objiciendi, non aliunde ſumpſiſſe viderentur, quam ex perſpectis, ſed per calumniam malitioſe explicatis S. Euchariſtiæ myſteriis; tum quod Sacræ Scripturæ codices duobus primis ſæculis ab ethnicis paſſim legi conſueverint, contrarium oſtendere ſategiſſet; ad objectiones has reſpondet Schelſtratenus, theſinque ſuam pro virili tuetur. Denique cum Tentzelius morem arcendi catechumenos ab Euchariſtiæ celebratione ad Diſciplinam illam Arcani referre non dubitaſſet, & *Cardinalis Bona* l.1.rer. Liturg.c.16 cenſuiſſet, de Diſciplinæ Arcani deſuetudine ex prætermiſſa illa catechumenorum dimiſſione ſtatuendum, diſquirendum etiam ſibi putavit, quo tempore conſuetudo illa deſierit, ac deſiiſſe eam alibi citius, alibi ſerius, prout Paganiſmus citius ſeriusve eradicatus eſt, oſtendit; qua in re num Tentzelium magnopere refragantem habiturus ſit, non definimus.

Ita firmata, ut putat, hypotheſi ſua, uſum jam ejus ampliſſimum, capite VII eodemque ultimo, adverſus Heterodoxos præſertim declarat, variaque ex ea conſectaria ad dogmata & eruditionem Eccleſiaſticam ſpectantia elicit, quæ nunc ſubjungimus.

I. Qui ſeptenarium Sacramentorum numerum ab Eccleſia Romana traditum impugnant, provocare inter alia ad altum apud Scriptores antiquos de eo ſilentium ſolent, ipſeque fatetur Schelſtratenus pag.104, *ſi pervolvamus omnia Antiquitatis monumenta, ſi perſcrutemur cuncta antiquiſſimorum Patrum ſcripta, ſi inveſtigemus ipſa Synodorum decreta, nullum librum, nullum decretum reperiri, quod ante ſeptimum ſæculum egerit de ſeptem Sacramentis, eorumque ritus expoſuerit.* Sed illi difficultati paratiſſimum eſt Schelſtrateno remedium, vocata in ſubſidium *Arcani Diſciplina*, quæ quam diu locum uſumque habuit, ullum de Sacramentis tractatum prohibuerit publicari.

II. Non ex Reformatis tantum & Lutheranis plerique, ſed non pauci etiam ex Romano-Catholicis, hosque inter *Joannes Morinus* libro de ſacris Ordinationibus, *Joannes Launoius* in Judicio de libris Dionyſio Areopagitæ inſcriptis, *Carolus le Cointe* tomo VIII Annal.

 Eccleſ.

Digitized by Google

Eccleſ.Franc.ad annum 835,infallibilibus prope indiciis convictiOpera,quæ Dionyſii Areopagitæ nomen præferunt, non Areopagitæ illi, Pauli Apoſtoli diſcipulo Athenis ad fidem converſo, ſed poſterioris ævi Scriptori cuidam tribuunt; certumque eſt,in collationeConſtantinopolitana anno 532 habita,cum Severiani Hæretici Dionyſii Areopagitæ teſtimonia allegaſſent, ab Orthodoxis eorumque nomine reſpondente Hypatio Epheſino Epiſcopo pro genuinis agnita minime fuiſſe. Verum enim vero, uti Schelſtratenus libros illos Areopagitæ Pauli diſcipulo *χερσὶν ποσὶν* vindicare contendit; ita cum diffiteri non poſſet,adeo paucis eos Patribus cognitos fuiſſe,ut apud antiquiores vix veſtigia eorum reperiantur, ad *Diſciplinam Arcani* recurrit, ſtudioque occultatos Dionyſii libros fuiſſe aſſerit, quod manifeſte nimis de ſanctiſſima Trinitate, Baptiſmi ritibus, Euchariſtiæ myſteriis, ſacris ordinationibus aliisque Sacramentis tractaſſet.

III. Contra cultum imaginum, *Illiberitani Concilii*, quod ante redditam Eccleſiæ pacem,ipſis perſecutionum temporibus, a novendecim ex omni Hiſpania Epiſcopis cum 36 Presbyteris celebratum fuiſſe, Auctor noſter non diſſimulat, Canon trigeſimus ſextus adduci ſolet: *placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur*. Quod argumentum ejus momenti quondam *Baronio* Tomo I Annal.ad annum 57 viſum fuit, ut Concilium illud in multis haberet pro irrito,canonemque illum ſpurium & ab uno ex Claudii Taurinenſis diſcipulis ſuppoſitum fuiſſe ſuſpicaretur. Etſi vero felicius ſe expedire *Bellarminus* l. 2. de Imaginibus Sanctorum c 8 viſus eſt, arbitratus Canone illo nonniſi Dei &Sacroſanctæ Trinitatis imagines pingi prohiberi, quod Deus & ſanctiſſima Trinitas proprie colatur & adoretur: mavult tamen ex *Diſciplina Arcani* rationem accerſere Schelſtratenus,qua permoti Patres Illiberitani prohibuerint depingi in parietibus imagines, ne ſacratiora religionis myſteria irrumpentibus quandoque in Eccleſiam gentilibus, & admiſſis quotidie catechumenis proderentur, ac non initiatorum exponerentur ludibrio.

IV. Superioribus jam ſæculis de tempore,quo Conſtantinus M. baptiſmum ſuſceperit, acerrime nec levibus utrinque argumentis fuit diſceptatum, quod alii *Euſebii Cæſareenſis* Conſtantino æqualis auctoritatem ſecuti, Nicomediæ ſub finem demum vitæ; alii Romæ

jam

Digitized by Google

jam antea a Silveſtro Papa baptizatum eum fuiſſe contenderent. Schelſtratenus cum firma ab utraque parte antiquitatis monumenta ſtare perſuaſum haberet, & nec Euſebii fidem auderet vocare in dubium; alteram vero ſententiam ipſius Silveſtri Papæ Actis, ac Athanaſii, Severi Sulpitii, Auguſtini, Gregorii Turonenſis, omniumque fere Scriptorum Latinorum inprimis, qui a ſeptimo ſæculo floruerunt, traditione, nec non Conſtantini baptiſterio, quod Romæ hodieque ad Ædes Lateranas viſitur, niti deprehenderet; illam in conjecturam (qualem tamen aliis quoque ante ſe in mentem jam olim veniſſe, poſtea a ſe cognitum fatetur) adductus eſt, ut exiſtimaret, bis baptizatum Conſtantinum M. fuiſſe, primum Romæ a Silveſtro Papa, iterumque ſub vitæ extremum, cum Arianam in hæreſin lapſus eſſet, Nicomediæ ab Euſebio civitatis illius Epiſcopo, idque ex Arianorum inſtituto, qui ad ſe accedentes rebaptizare conſueverint. Quam ſententiam ſuam cum in *Antiquitate illuſtrata circa Concilia Generalia & Provincialia* &c. libro Antverpiæ anno 1678 edito, publice expoſuiſſet, & in *Vindiciis Concilii Antiocheni* ſupra citatis repetiiſſet, Tentzelius *Examen fabulæ*, ut vocat, *Romanæ de duplici Baptiſmo Conſtantini M.* publice propoſita Wittebergæ d. 6. Nov. A. 1683 Diſputatione inſtituit, ac Schelſtrateni hanc opinionem refellendam ſuſcepit; quod & ante ipſum a *Natali Alexandro* ſæculo IV Hiſt. Eccleſ. Diſſert. XXII factum jam erat. Itaque Schelſtratenus & in Præfatione Diſſertationi huic Apologeticæ præmiſſa locum Divi Hieronymi, quem olim, ut fidem faceret conjecturæ ſuæ, allegaverat, vindicat; & baptizatum omnino Romæ a Silveſtro Conſtantinum fuiſſe, argumento *ex Diſciplina Arcani* deſumpto, demonſtrare denuo allaborat. Nimirum cum Niceno Concilio, omnibusque quæ in eo de ſummis fidei Chriſtianæ myſteriis actitata ſunt, nemine prohibente Conſtantinum interfuiſſe conſtet; religionis vero arcana non infidelium tantum, ſed & catechumenorum oculis auribusque ex diſciplina iſtius temporis occultanda fuerint: inde, ut & ex aliis Conſtantini actis, quæ catechumeni conditioni non conveniunt, conſequi certo ſtatuit, ante Nicenum concilium Conſtantinum jam fuiſſe baptizatum. Quemadmodum jam olim ſcriptor Græcus *Theophanes*, ab *Anaſtaſio Bibliothecario* Latinitate donatus, eodem argumento pro adſtruendo Conſtantini ante Nicenum Concilium baptiſmo uſus eſt; quod particeps alias myſte-

riorum divinorum fieri, & cum ſanctis Patribus orare non potuiſſet. Cæterum cum hoc loco Auctor noſter non in Tentzelium tantum, ſed &, quem doctorem ille ſuum laudaverat, quique Tentzelii conatibus eleganti epiſtola Diſputationi præfixa applauſerat, in *Conradum Samuelem Schurtzfleiſchium*, Hiſtoriarum & Græcarum Litterarum in Academia Wittenbergenſi Profeſſorem celeberrimum, calamum ſtrinxerit, nulli dubitamus, quin vir clariſſimus, & ut in omni litterarum genere, ita in Eccleſiaſticis quoque Antiquitatibus verſatiſſimus, occaſionem arrepturus ſit, impeditum hoc & difficile de initiato myſteriis Conſtantino M. argumentum juſto aliquando ſtudio pertractandi.

V. In controverſia de perpetuo azymorum in S. cœna apud Latinos uſu, quem cum *Chriſtiano Lupo* & *Joanne Mabillonio* multi aſſerunt, alii cum *Jacobo Sirmondo* & *Cardinali Bona* negant, *Bona* pro confirmando indifferenti azymi & fermentati uſu, *libro 1 rerum Liturgic. c. 23. n. 16* decreta adduxerat Melchiadis, Siricii, & Innocentii Romanorum Pontificum, quibus S. Euchariſtiæ Sacramentum *fermenti* nomine appellatur. Sed ejus argumenti vim ut labefactet Schelſtratenus, contendit, Euchariſtiam non ex eo fermentum eſſe dictam, quod ex pane eſſet fermentato, ſed quod ipſa, quocunque ex pane fieret, Eccleſiis, ad quas mittebatur, fermenti vicem præſtaret, iisque unionis inter ſe vinculum eſſet, ſicut fermentum maſſæ cui commiſcetur; neque aliunde quam ex *Diſciplina Arcani* factum, quod tam Romani Pontifices in Decretis, quam fideles in colloquiis Euchariſtiæ Sacramentum ſub fermenti nomine occultarint.

VI. Reformatis, *Morneo, Albertino, Claudio* aliisque ſolenne eſt, cum realem corporis & ſanguinis Chriſti in S. Cœna præſentiam impugnant, ad ea veterum Patrum loca provocare, quibus ſacra dona ſignum, figuram, imaginem, typum, antitypum, ſymbolum & myſterium corporis & ſanguinis Dominici vocant. Etſi vero ad ea loca reſponſum jam ab aliis fateatur Auctor noſter, veroque eorum ſenſu indagato oſtenſum, realem potius corporis & ſanguinis Dominici præſentiam demonſtrari ex iis poſſe: eorum tamen ſtudia plurimum ex *Diſciplina Arcani* cenſet juvari poſſe, ex cujus inſtituto Patres ſæpius Euchariſtiæ veritatem ſub figuræ, imaginis, typi, ſymboli, ſimilibusque nominibus occultaverint.

VII A

VII. A Lutheranis æque ac Calvinianis dogma Romanæ Eccleſiæ de Tranſubſtantiatione impugnari ex eo ſolet, quod nec apud Patres Latinos primorum ſaltem ſæculorum *Tranſubſtantiationis*, nec apud Græcos *μετουσιώσεως* nomen, ubi de S. cœna agunt, occurrat, crebra vero mentio panis, frumenti, vini & vitis fiat. Verum his ex *Diſciplina Arcani* iterum reſpondet Schelſtratenus, quippe quæ occultari myſterium hoc juſſerit; reſpondet vero ita, ut committere hoc in negotio Lutheranos cum Calvinianis ſtudeat. Eo enim adigi poſſe Lutheranos cenſet, ut aut cum Calvinianis realem corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam negent, aut cum Romano-Catholicis panis in corpus, vini in ſanguinem tranſubſtantiationem concedant; etſi a noſtratibus dudum demonſtratum eſt, Tranſubſtantiationem ex reali corporis & ſanguinis Dominici præſentia minime ſequi, adeoque qui hanc agnoſcunt, Tranſubſtantiationem tamen rectiſſime rejicere.

VIII. Novitatis denique argui à noſtris ſolet, tum corporis Chriſti feſtum, quod tanta nunc cum ſolennitate Romana Eccleſia celebrat, tum publica hoſtiæ conſecratæ in proceſſionibus circumgeſtatio. Sed hos ritus tantum abeſt, ut recentioribus ſæculis cœpiſſe neget Auctor, ut cum *Chriſtiano Lupo* in Diſſertatione de Sanctiſſimi Sacramenti expoſitione, ultro fateatur, publicas cum Euchariſtia proceſſiones non cohæſiſſe cum diſciplina antiquæ Eccleſiæ. Scilicet quod vetus Eccleſia ritus illos non celebrarit, ex *Diſciplina Arcani* factum: eosdem vero poſt Gentilium converſionem, Judæorum ſervitutem, & Catechumenorum abrogationem, merito inſtitutos fuiſſe, Schelſtratenus contendit. Atque hæc ſunt, quæ ex libro non magnæ molis vel ideo prolixius paulo referre voluimus, quod paucorum adhuc in manibus verſetur, nec exemplum ejus aliud, quam quod ab ipſo illuſtri Auctore transmiſſum eſt, hactenus huc pervenerit: ſuo tempore *Tentzelii*, fortaſſe & *Schurzfleiſchii* Reſponſionem pari fide exhibituri.

PETRI POIRET COGITATIONES RATIONALES de Deo, Anima & Malo.

Amſtelod, ex typogr. Blaviana 1685, in 4.

Cogi-

COgitationes iſtas in libros quatuor relatas, Amſtelodami itidem anno 1677 primum editas, & philoſophiæ Carteſianæ in multis conformatas, nunc Auctor ab eadem in aliquibus alienus, diffuſiores, ſed & obſcuriores, quo profundius Theologiæ myſticæ, quam paſſim prædicat, immerſas habuit, exhibet. Nam *initio* meditatio præliminaris occurrit de Fide divina & Ratione humana; in qua diſſertatione utriusque notionem aliam, quam Theologi tradunt, proponit, perhibens eos, qui verba in Scripturis S. revelata aſſumunt, atque conſulunt, humanam rationem ſequi, neglecto fidei immediate a Deo advenientis lumine; ſolam Theologiam myſticam eſſe veram Theologiam, excluſa matæologia Scholaſtica. *Deinde* notæ continuæ textui librorum quatuor ſubjiciuntur, in quibus difficultates Metaphyſicæ tractantur, & Spinozæ errores paſſim confutantur. *Tertio* in Continuatione cap. 8, lib. 3. more Geometrico demonſtrare ſuſcipit, SS. Trinitatem eſſe naturaliter notam. *Quarto* continuatur caput 10 de Deo, Dominio & Idearum origine, dependentia & natura. *Quinto* caput 11 de Bonitate Dei aliquam acceſſionem habet. *Sexto* Appendix, quæ a pluribus prioris editionis exemplaribus aberat, annectitur, complexa curas ſecundas circa nonnulla in libris quatuor propoſita. *Septimo* Objectiones & Reſponſiones primæ concernentes totum contextum; *Octavo* Objectiones & Reſponſiones ſecundæ de animæ immortalitate ad cap. 25 libri 3 exhibentur. *Nono* tandem examen & confutatio inſtituſtur principiorum Ethicæ Spinozianæ methodo Geometrica.

THE HISTORY OF THE RIGHTS OF PRINCES in the diſpoſing of Eccleſiaſtical benefices and Church-lands; by Gilbert Burnet DD.

hoc eſt

Hiſtoria Jurium Principis circa beneficia Eccleſiaſtica & territoria Eccleſiæ; autore Gilberto Burneto Th. D.

Londini apud Richardum Chiswell 1682 in 8.

Quæ

QUæ Romanum inter Pontificem,& Galliarum Regem Chriſtianiſſimum hactenus agitatur controverſia Regaliæ,utut pacis publicæ vincula non ſolverit, nec apertam belli flammam duabus nobilioribus Europæ partibus intulerit, amicitiæ tamen mutuæ fœdus non parum infirmavit,ſummamque univerſo orbi Chriſtiano expectationem attulit;ut rem omnem exactius cognoſcere nemini ingratum eſſe poſſit.Itaque nunc etiam juvat pauca de *Gilberti Burneti* eleganti tractatu,cujus quidem dudum meminiſſe inter eruditorum monumenta par erat,referre,dum novus Galli doctiſſimi liber de eodem argumento, quem huic ſubjuncturi ſtatim ſumus, in manibus noſtris verſatur. *Præfatio* prolixior,quæ tractationi præmiſſa eſt, a modo removendi abuſus,in Eccleſiam quotidie irrepentes, orditur,& hinc exponit, qua ratione quondam profuſis Principum largitionibus & conceſſionibus immunitatum, potentia Sacri ordinis nimium creverit,docetque,augmentum illud poſtea produxiſſe Jus Regaliæ, metuentibus Laicis,ne Clericorum autoritas ſuæ exitioſa eſſet. Regalia ergo olim erant jura Principis in terras Eccleſiaſticorum, quorum vigore poterant ipſarum nomine eadem omnia exigere, quæ antea debebantur,cum ſeculari adhuc poteſtati ſubeſſent. Succeſſu temporis commutatum adjectivum plurale in ſubſtantivum ſingulare,& coarctata vox eſt ad ſignificandum jus illud,quo vacante ſede Princeps utitur. Atque id hodie duabus partibus conſtat: nominatione novi Epiſcopi,quæ in locum electionis ſucceſſit; & collatione beneficiorum ſimplicium,ut vulgo audiunt, ſine cura, redituumque Epiſcopalium perceptione,quamdiu vacaverit ſedes. Quibus ita deductis Burnetus porro ſtatum hodiernæ, quam diximus, controverſiæ exhibet, Jeſuitarum Gallorum artificia deſcribit, ac denique latiſſime diſſerit de calamitatibus Reformatorum, quibus nunc per illius regni fines premuntur. Quod attinet primum, contendit Rex Galliæ regaliam ſibi jure majeſtatico competere,nec expectandam eo nomine eſſe Romanæ ſedis indulgentiam. Proinde in illis etiam provinciis, quæ nondum ſuberant Regi,cum cogeretur Concilium Lugdunenſe,in quo ipſi aſſertum eſt jus Regaliæ,ſed quæ poſt ea tempora unita regno Franciæ hæreditario, vel per liberam gentium ſubjectionem, vel per teſtamenta aut nuptias fuerunt, ſe alteram Regaliæ partem, (de prima enim lis nulla eſt,)merito exercere non requiſito Pontificis con-

ſenſu. Ex adverſa parte Pontifex diſputat, Principibus Regaliæ jus ex munificentia Eccleſiæ deberi, omnesque adeo Eccleſias, in quibus nominatim nihil iſtorum jurium Principi ceſſum ſit, ab ejusmodi onere liberas intelligi: quales ſint in Gallia Eccleſiæ Languedoci, Provinciæ, Guiennæ, Delphinatus, & aliarum regionum, quæ tempore Concilii Lugdunenſis ſuos dominos habuerunt. Hæc Pontificis ſententia propugnata initio fuit ab Epiſcopis provinciarum, quas nominavimus modo, ſed poſtea deſeruerunt ipſam omnes, exceptis Præſulibus Alletenſi & Apamienſi, quos ad finem uſque vitæ Papa habuit autoritatis ſuæ ſtrenuos defenſores. Regias partes non parum adjuverunt Jeſuitæ. Nam cum eſſent Innocentio XI minus propitii, quod is auditis Janſeniſtarum querelis, publice non paucas propoſitiones, quas Jeſuitæ hactenus defendere auſi fuerant, condemnaſſet; exiſtimarunt non eſſe ſibi expectandam occaſionem magis opportunam, de Pontifice vindictam ſumendi, quam ortam auſpicato controverſiam Regaliæ. Sed ne iſta agendi adverſus Pontificem ratio eos, qui Romanam fidem, maxime in Gallia, profitentur, offenderet, utque ipſi ſuo ſimul odio in Reformatos indulgerent, conſilium de extirpanda hæreſi inierunt, paulatimque a Rege impetrarunt ejus executionem. De his omnibus fuſe Burnetus, quem preſſius ſequi, dum brevitati ſtudemus, non licet. Ipſa Tractatio, ad quam nunc accedendum eſt, electionem clerici ordinis, & dotationem reditusque Eccleſiarum a primo N. T. tempore ad præſens usque ſeculum evolvit. Ac initio quidem reliquarum etiam partium Chriſtiani orbis meminit, in progreſſu vero intra Gallicarum regionum fines ſe continet, ſoliusque cleri Gallici hiſtoriam texit. Diſtinxit omnem hiſtoriæ tractum in ſex periodos, quarum prima trecentos annos complectitur, porrigens ſe usque ad Concilium Nicænum. Sub naſcentis Eccleſiæ exordium Apoſtolos electionem ſorti commiſiſſe invenimus, & ſic a ſupremo paſtore expectaſſe, quem vellet e duobus ſacro officio initiari. Poſtquam deinde inter dotes divinitus immiſſas numerarent rationem diſcernendi ſpiritus, cœperunt ipſi deſtinare functioni Eccleſiaſticæ, quem e pluribus idoneum maxime reputaſſent. Functis vita Apoſtolis auctoque paſſim Chriſtianorum numero, ad populum devoluta electio eſt, quum & Epiſcopos & Diaconos legi ſuevıſſet de grege, cui debebant præeſſe. Poſt converſionem denique Con-

Conſtantini, a plebe ad communitatem, h. e. ad publicum civitatis concilium jus eligendi Eccleſiæ miniſtros pervenit, ut ſeditionibus popularibus omnis anſa præcideretur. Stati Eccleſiæ reditus in hac periodo nulli fuerunt. Qui divitiis affluebant, inter pauperes diſtribuebant ipſi, quantum videretur. Alii voluntarie offerebant Epiſcopis, ipſorumque placito committebant diviſionem. Sed cum quorundam cœtuum ea eſſet inopia, ut alere paſtores ſuos difficulter poſſent, coacti ſunt hi artibus manuariis victum quærere, profaniſque negotiis ſe miſcere, & in ditiorum domibus rei familiaris eſſe adminiſtratores. Qui mores, utut minime cum ſacra dignitate convenirent, extirpari tamen, ubi ſemel invaluiſſent, non facile potuerunt. Secundæ periodi terminus alter eſt concilium Chalcedonenſe. Hanc inchoat vocatio Athanaſii ad Epiſcopatum, quam non ab Alexandro Athanaſii anteceſſore, quod affirmat Sozomenus, ſed antiquo more a populo, aſſiſtente univerſo clericorum ordine, factam eſſe Burnetus demonſtrat. Eo mortuo invaluit Alexandriæ novus ille antememoratus mos eligendi, quem Theodoretus his verbis deſcripſit: *in Athanaſii demortui locum univerſus clerus, quique magiſtratum gerebant, aut in dignitate erant conſtituti, eligebant Petrum, applaudente populo.* Ab obitu Conſtantini varie conturbata fuit electionis ratio, partim ob diſſenſum variarum religionum, partim ob divitiarum honorumque amplitudinem, quam ſacer ordo ſpondebat. Horum enim alterum plebem eligentem in partes ſcidit, alterum homines arrogantes & voluptuoſos ſtimulavit, ut illicitis quibusque modis eligentium vota ſibi conciliarent. Utriusque non pauca exempla Burnetus ex monumentis ejus temporis depromta recenſet. Præterea diſſimulari non poteſt, cœpiſſe illis temporibus Imperatores peculiarem curam gerere circa eligendum Epiſcopum illius civitatis, in qua ſedem regiam fixerant: ſæpe etiam Præſules grandævos factos, ſibi nominaſſe ſucceſſores. Sed horum neutrum eligendi libertatem populo abſtulit, nec Canonum ſanctiones evertit. Cæterum Conſtantius & Imperatorum alii in hoc intervallo annorum, Eccleſias cum mobilibus tum immobilibus bonis liberaliter auxerunt, ordinemque Eccleſiaſticum ab oneribus munerum publicorum & exactionibus cenſuum exemerunt. Sic, ut non omnium, potiorum tamen Eccleſiarum fixi reditus fuerint, donec everſo per barbaros Impe-

 rio

rio occidentali, Eccleſiæ quoque facies immutata eſt. Illud memorare hic juvat. Cum Epiſcopi nepotum ſuorum curam habituri bona Eccleſiæ invaderent, clerici poſt mortem cujusque præſulis non dubitarunt omnem ejus hæreditatem fiſco ſacro inferre; qua occaſione non tantum ea abſtulerunt, quæ ex adminiſtratione redituum Epiſcopus retinuerat, ſed ſimul quæcunque ipſi ſupererant e patrimonio. Hanc igitur deprædationem, ut injuriam, vigeſimo ſecundo canone Concilium Chalcedonenſe clericis interdixit, de qua in ſequentium temporum enarratione Burnetus late ſcripſit, cum eam inveniſſet regaliæ juri anſam dediſſe. *Tertia periodus* complectitur, quicquid in Eccleſia orientali a Zenonis imperio per mille fere annos, usque ad captam a Turcis urbem contigit. Principes tum quidem partim aperta vi, partim clandeſtinis artibus ad Epiſcopale faſtigium ſuos evehebant. Nulla tamen ſanctione abrogatus eſt antiquus electionis modus. Immutavit eam nonnihil Juſtinianus jubens (Nov. 123 c. 1.) *clericos & primates civitatis in tribus perſonis decreta facere, e quibus melior ordinaretur electione & periculo ordinantis.* Principi tamen nullas eſſe in electione partes voluit. Quamvis, ſi hiſtoriis habenda ſit fides, ipſe & fecerit & dejecerit Epiſcopos pro lubitu. Exinde in pejus ſemper res abiit. Cumque vulgariter Epiſcopi ad nutum Imperatoris ordinarentur, invaluit apud Græcos ſcriptores, ut ſi quem Præſulem laudare vellent, hunc a populo aſſiſtente Clero dicerent electum; ſi quem reprehendere decreviſſent, Imperatoria autoritate evectum ſcriberent. Sequentibus ſeculis inolevit mos in oriente, Pontificum Romanorum vigilantia ex occidentali Eccleſia ejectus, quo Principes per baculum Epiſcopalem ſacram dignitatem conferebant eo ordine iisque ceremoniis, quas e Codino Burnetius deſcribit. In iſta tot ſeculorum ſerie vaſtis opibus aucta eſt Eccleſia, privilegiis ampliſſimis ordo ſacer munificentia Principum, contigitque ſub Juſtiniano, omnem clerum a tutorum munere publico eximi, a quo ſolo hactenus excuſati non erant. Cæterum memorabile eſt, anno 1150 Michaelem Comnenum Imperatorem condemnaſſe jus Regaliæ, quod tunc exerceri cœperat, & ſanxiſſe, ne theſaurarii regii exinde Epiſcoporum decedentium bona auferrent, vacantisque ſedis reditus caperent, ſed illa quidem teſtantium voluntati & legibus de hæreditate inteſtatorum latis,

hos

hos vero clericis ejus Eccleſiæ relinquerent. *Periodus quarta* incipiens ab everſo Romanorum imperio, currit ad tempora Caroli M. ubi dici non poteſt, quantis calamitatibus barbaræ nationes, in Italiam omnesque provincias Romanis ſubjectas effuſæ, florentisſimas regiones affecerint. Antiquæ tamen leges, donec in nova Dominia orbis noſter divideretur, obtinuerunt, nec tunc quicquam immutatum in Eccleſia fuiſſe conſtat. In Gallia Clodoveus, cum ſub initium ſeculi ſexti ad veram fidem converteretur, immenſis clerum donationibus cumulavit, & propterea plus ſibi in eligendis epiſcopis ſumſit. Sed Clotarius ejus ſucceſſor, cum crederet nimis amplos Eccleſiarum reditus eſſe, eos iterum diminuit, ſibique juſſit ex annuis cenſibus tertiam partem numerari. Poſt eam ætatem Epiſcopi converſis in gladios baculis paſtoralibus, in bellum egreſſi ſunt, pro ſuo quisque Principe, quos quidem complures Gallia tum habebat, nondum inducta in hoc regnum conſuetudine, quæ primogenito fratrum reliquos ſubjicit. Qui inde a Clotario e Merovingorum ſtirpe Galliam tenuerunt, quamvis antiquos canones de electione non abrogaverint, multis tamen modis jus illud univerſo populo aſſertum circumſcripſerunt. Poſtquam ad Carolum M. delatæ res eſſent, isque Longobardos in Italia debellaſſet, quo gratum animum teſtaretur Pontifex, in Synodo generali conſtituit, ut Carolo M. jus eſſet omnes Epiſcopos & Archiepiſcopos per univerſum imperium nominare. Sed non ita multo poſt Carolus liberum eligendi jus populo & clero reſtituit, aliisque ſanctionibus prudentiſſime ſtatum Eccleſiæ formavit. Reditus clericorum per hanc periodum multum aucti ſunt decimis, quas poſt Turonenſe Concilium & Matisconenſe aliud populus primum obtulit. Eæ ut convenienter exſolverentur, Carolus legibus conſcriptis effecit. *Periodus quinta*, quæ ad Philippi Auguſti tempora extenditur, corruptos clericorum mores, multumque mutatam Eccleſiæ faciem exhibet. Principes tunc ubique inveſtiebant Epiſcopos annulo & virga, ut ejus ævi Scriptores loquuntur, & tantum non omnia ſibi in eligendo novo præſule vendicabant. Cujus rei hæc erat ratio, quod eo tempore bona Eccleſiæ immobilia ex allodialibus, ad quorum ſimilitudinem cenſum ordinarium pendebant, fierent feuda beneficiaria, quod nomen in iſto annorum curſu primum inventum

Digitized by Google

eſſe conſtat. Nam ut ob hujusmodi feuda, quæ Principes domeſticis ſuis & militibus in ornamentum virtutis conferebant, certum armatorum numerum, quandocunque placitum eſſet, in aulam mittere oportebat; ſic Epiſcopis nunc idem onus imponebatur, ablato ab ipſis illo, quod diximus, pendendi conſuetum cenſum annuum. Cumque ita convenirent bona Eccleſiæ cum feudis laicorum, putatum eſt porro convenire debere etiam in illo, quod feuda, morientibus absque maſcula prole dominis, in manum Regis cadant, eique jus ſit pro lubitu aliis eadem donandi. Sic ergo concluſum eſt, non immerito vacantes Epiſcopi reditus a Principe percipi, imo æquum eſſe deſignari ab ipſo perſonam, quæ priori domino in bona ſuccedat. Auctis & firmatis hoc pacto juribus Principum in bona Eccleſiæ, Epiſcopi quoque ex altera parte potentia & dignitate creverunt. Nam præter ſpiritualis jurisdictionis arbitrium, indultum ipſis fuit, ut de rebus cujuscunque generis, quæ in ſuis ditionibus emergerent, cognoſcere per defenſores Eccleſiæ, quos Galli *Vicedominos* appellabant, poſſent. Hi ſucceſſu temporis non raro cum præfectis regiis contenderunt, prætexentes ſe cauſam agere Sanctæ Eccleſiæ. In Periodo ſexta, quæ a Philippi Auguſti ætate ad hoc usque ſeculum ſe porrigit, Burnetus ex mille abuſibus, qui tunc in Eccleſiam irrepſerunt, prolixius Regaliæ jus deſcribit, docetque Philippum Auguſtum in teſtamento, quod in bellum ſanctum profecturus ſcripſerat, de utraque Regaliæ parte diſpoſuiſſe. Pontifices, utut ſe initio Regibus opponerent (quod imprimis Gregorium ſeptimum autoritatis ſuæ conſervandæ ſtudioſiſſimum feciſſe certum eſt) tandem tamen acquieverunt: ſuntque inter Canoniſtas non pauci, qui cum animadverterent, collationem beneficiorum, etiam illorum, quæ ſunt ſine cura, eſſe actum ſpiritualem, qui exerceri a laicis nec debeat nec poſſit; Regis tamen jura defenſuri, ſcripſerunt, Principem oleo ſacro unctum ſuſtinere duplicem perſonam, *ex Eccleſiaſtica & civili capacitate compoſitam*: tum ſpeciatim, Regibus Galliæ quamprimum coronati ſint, locum inter Canonicos Eccleſiarum, Andegavenſium, Turonenſium, & Pictavienſium deberi, quæque ſunt alia. Poſtquam ergo per plura ſecula Gallorum Reges ea jura exercuiſſent, cumque omnis Europa, papalis oppreſſionis pertæſa, excutere jugum tam grave laboraret, coivit anno 1431 Concilium

cilium Baſileenſe, quod Pontificis Romani autoritatem in immenſum auctam imminuere conatum eſt. Ejus decreta a Gallis avide excepta ſunt, & confirmata in pragmatica ſanctione Caroli VII. Quæ ſanctio uti maxime adverſa erat arcanis Pontificiis, ita laboratum diu fuit omnibus modis, ut eam Reges Galliæ revocarent. Cui deſiderio Paparum ſatisfecit Ludovicus XI, politicis rationibus ad id motus; ſed contradicente Parliamento, quod huic ſanctioni, tanquam fundamento libertatis Eccleſiæ Gallicanæ inſiſtendum eſſe clamabat. Deinde Franciſcus I ad regiam dignitatem provectus, aulam Pontificiam ſibi conciliare ſtudens, cum Leone X ſic tranſegit, ut intra ſex menſes a morte Epiſcopi Rex nominaret ſucceſſorem, quem Papa confirmaret, niſi juſtiſſima eſſet cauſa diſſentiendi. Quantumcunque huic conventioni, quæ *Concordatum* vulgo nuncupatur, ſe Galliæ Status oppoſuerint, nunquam potuit vel Franciſco vel Succeſſoribus perſuaderi, ut eam rumperent. Quid autem a morte Franciſci ad hodiernum Galliæ Monarcham factum fuerit, diſtincte Burnetus peculiari capite expoſuit, placuitque in appendicem rejicere omnes literas, quæ durante diſputatione de jure Regaliæ conſcriptæ ſunt. In univerſi operis concluſione, quid ſibi de Regalia videatur, paucis aperuit. Ejus hæc eſt ſumma: *quamcunque ſoli partem certæ alicujus regionis ſubeſſe cenſui imperantis, eique vel ordinario & definito, vel arbitrario & caſuali. Eſſe ſane in æſtimandis ſubditis naturalem æquitatem obſervandam Principi; attamen & hanc negligenti parendum.* Hinc concludit: vacantis ſedis reditus, tanquam partem cenſus ita per leges ordinati, jure a Principe aut ab iis, penes quos eſt τὸ κύριον percipi. Porro, quod beneficiorum Eccleſiaſticorum collationem attinet, ſcribit, *aliud eſſe ſpiritualem poteſtatem, aliud ejus applicationem ad ſubjecta.* Adeoque Principes exiſtimat applicare potius ſacram autoritatem perſonis a ſe nominatis, quam conferre.

NOUVEAU TRAITE' DE LA REGALE, PAR feu Mr. de Larroque.

h. e.

Digitized by Google

h. e.

Tractatus novus de Regalia, autore Dn. Larroquio.

Roterodami apud R. Leers 1685. in 12.

PRodiiſſet in publicam lucem illico poſt enatam de Jure Regaliæ controverſiam hic libellus, niſi obſtitiſſet autoritas Præſidis Rotomagenſis, qui nolebat Monarchæ Gallici cauſam adverſus Romanum Pontificem defendi ab homine Reformatæ religioni addicto, ejusdemque fidei publico doctore. Poſtquam vero in vivis eſſe deſiit Autor, magis propitiam fortunam habuit opuſculum, quippe quod apud Batavos nuper excudi meruit, quodque, ut præfatio ſpondet, aliæ lucubrationes ejusdem Larroquii Latino idiomate excipient. Defenſurus, ut innuimus, Regem ſuum Autor, proponit hic ſuccincte, quam poteſtatem inde a Clodoveo ad hæc usque tempora Reges Galliæ in Eccleſiam exercuerint, docetque ex perantiquis juribus Regis eſſe, de quibus hodie Pontifex immerito litem moveat. Libellum in aliquot capita partitur, habita ratione trium claſſium, in quas vulgo dividi omnis ſeries Regum Galliæ ſolet. Dum ad Clodoveum & ad ſucceſſores libertatis Eccleſiæ Gallicanæ originem refert, unum alterumque exemplum ex hiſtoria promit, unde conſtet, omnes Epiſcopos jamdum ipſorum nutu & voluntate fuiſſe creatos. Quæ vero ex illorum temporum vetuſtate aſſumi ab aliis ſolent, ad probandum, ſi non ubique & ſemper, ſaltem aliquando, & per maximam partem Galliæ liberam Epiſcoporum electionem obtinuiſſe, ea vel refutat vel diſſimulat, ut non injucunde conjungi a *Lectore* cum hoc tractatu ante memoratus libellus Burneti hic de eodem argumento poſſit, quippe cujꝰ auctor in diverſam ſententiam pronior, Clodovei quidem ſucceſſores aliquos fatetur ſibi plꝰ in Eccleſiam poteſtatis, quam aliarum regionum Principes, ſumpſiſſe, ſed communem tamen per omnem Europam, adeoq; etiam per Galliam conſuetudinem fuiſſe probat, ut Epiſcopi ab univerſo populo legerentur. Concilia ſcribit Larroquius ſe Regum juribus diu multumq; oppoſuiſſe, ab aliquibus autem non invitis ea fuiſſe agnita, in quorum numerum reponit Concilium V Aurelianũ, quod Regis autoritatem & conſenſum electioni populi ac cleri Canone X junxerit; quamvis eam Canonis partem

in

in pleriſque exemplaribus deeſſe ex Sirmondo Burnetus memorat. Poſtremorum capitum uno Larroquius docet, jura Eccleſiaſtica Regni Galliæ non potuiſſe a quibusdam Regibus alienari, aut in Pontificis gratiam imminui: altero reſpondet ad palmariam rationem, quam allegant, qui partes Pontificis adverſus Regem tuentur, deprompt am e verbis conſtitutionis 12 Concilii Lugdunenſis, quod tempore Gregorii X anno ſupra milleſimum ducenteſimo ſeptuageſimo quarto coivit. Aſſerit Gregorium in eo conſeſſu non examinare voluiſſe jura Regis Philippi, ſed reliquiſſe res in eo ſtatu, in quo tunc erant; adeoque nihil facere allegatum canonem ad definiendam controverſiam, quæ hodie emerſit, & de qua illo tempore nemo cogitaverat.

IN CLAVDII CLAVDIANI LIBROS DE RAptu Proſerpinæ Commentaria, Italicis textum Muſis explicantibus, auctore Nicolao Biffio, Nobili Bergomenſi &c.

Mediolani ex typograph. Ludovici Montiæ Anno 1684 in fol.

QUanquam Claudii Claudiani, prægloriosiſſimi illius Poetarum, uti in tabula Romæ marmorea ſuo merito ſalutatus eſt, opera luculentiſſimis notis a Parrhaſio, Demſtero, Delrio, Cluverio, Barthio & Heinſio aliisq; jam ſint colluſtrata, temperare tamen ſibi Nic. Biffius non potuit, quin & in illis elucidandis vires ſuas periclitaretur. Aggreſſus autem primum eſt libros Poetæ hujus de Raptu Proſerpinæ, quantum quidem illorum ad noſtra usque tempora perlatum eſt. Factum enim, ut aut perſecutionem operis neglexerit Poeta ipſe, aut quod vero magis eſt affine, injuria temporum, quicquid illorum librorum fuit reliquum, non ſine ingenti, & tantum non deploranda jactura interierit. Egit autem Biffius in lucubrationibus ſuis ſane quam prolixis non mythologum tantum, dum poeticorum ſenſuum arcana ex philoſophia phyſica ac morali detegit, ſed & grammaticum aut vocabulorum interpretem; ſiquidem omnia cum pulviſculo percenſet, non ullum temere vocabulum, quam no-

Digitized by Google

tiſſimum etiam ac minutulum, prætergreſſus. Deinde ut ſe pariter ac lectorem delectaret, ea quæ Latinis iisque vere heroicis Muſis decantavit Claudianus, Italicis ubique ſub finem Commentariorum ſuorum reddidit, ita quidem, ut memor præcepti illius Horatiani, non verba, ſed ſenſum fuerit ſectatus; unde, quanquam ſententiarum ubique fuerit tenaciſſimus, aliqua neceſſitate metri ſuperaddidit, quædam imminuit, nonnulla etiam leviter commutavit. Cæterum cum dividiæ ſint inter autores de Claudiani patria, aliique, ut Gyraldus & P. Crinitus cum Sidonio Apollinari Ægyptium; alii, ut Petrarcha, Laudinus, Collutius & Volaterranus Florentinum eum faciant, Biſſius in vita Claudiani commentariis ſuis præmiſſa, utramque ſententiam conciliandam eſſe exiſtimat, dicendo, poetæ hujus patrem, Florentiæ utique civem, patrio ſolo mercaturæ gratia relicto in Ægyptum ſeceſſiſſe; ibique uxore ducta Claudianum ex ea ſuſcepiſſe, Claudianumque adeo jure nativitatis eſſe Ægyptiacum, ſed jure originis Florentinum. Porro uti Claudianus Florentinum nactus eſt Mæcenatem, clariſſima nobilitate virum, omnique literarum genere Inſignem, qui & de re ruſtica Græce ſcripſit: ita & Biſſius non alium commentariorum horum in Claudiani libros quæſivit patronum, quam Florentinum, Sereniſſimum nempe Coſmum de Medices, Magnum Hetruriæ Ducem VI. Huic enim tanquam incomparabili literatorum Mæcenati lucubrationes haſce ſuas dedicavit. Addidit etiam in fine vaſtum rerum notabilium, quæ in hoc volumine continentur, indicem, imo & indicem errorum maxime notabilium, in hac impreſſione, ut loquitur, animadverſorum.

POMPEJI SACCHI PARMENSIS, IN PATRIO Lyceo Publici Med. Theor. Profeſſoris, Iris Febrilis, fœdus inter antiquorum & recentiorum opiniones Febribus promittens.

Genevæ, apud Leonhardum Chouët, 1685 in 8.

QUam deteſtabilis ac periculoſus ſyncretiſmus religionum, tam neceſſarius ac proficuus contra opinionum medicarum eſt, præprimis hoc feraciſſimo controverſiarum ſeculo, ubi quilibet ſi non

Digitized by Google

novi, peculiaris tamen aliquid in theoria æque ac praxi medica ſtatuit. Equidem jam dudum ſummam hujus Syncretiſmi Medici neceſſitatem clariſſimus in hac Phylurea Medicus ac Profeſſor Publicus D. Paulus Ammannus in præfatione ad Medicinam Criticam urſit, hucusque tamen labor adeo laudabilis a paucis ſerio eſt ſuſceptus. Præconium itaque meretur noſtri Auctoris conatus, qui omnis eo tendit, ut circa illam maxime vexatam febrium doctrinam veterum hypotheſes cum recentiorum placitis amicabiliter conciliet. Primò namque febris definitionem ex Avicenna tradit, cumque hac, Helmontii, Williſii, Sylvii, aliorumque convenire oſtendit. Progreditur poſtmodum ad cauſas in febribus a Galeno incuſatas, ſcilicet motum corporis ac animi, viciniam & admixtionem rei calidæ, obſtructionem, putredinem, ac ſanguinis aduſtionem, deque his prolixe ſatis, inprimis tamen de ultimis duobus, & priſcorum æque ac modernorum ſententiis differens, tandem cum Helmontii ac Williſii cauſis, Archeo puta irato, fermentatione, accenſione, ac efferveſcentia ſanguinis, conciliat. Deinde de modo quo fiunt febres, item de differentiis illarum tam eſſentialibus quam accidentalibus ex mente veterum loquitur, iterumque nec in his recentiores diſſentire probat. Denique de ratione curæ concordantiam exponit; nullanamque alia hodie medicamenta ad profligandas febres, tam intermittentes quam continuas, tam benignas quam malignas, a Sylvio & Williſio (qui inſtar omnium recentiorum ipſi ſunt) eſſe præſcripta, quæ non apud antiquiſſimos etiam reperiantur, vel ſaltim cum Sennerti methodo medendi non conſonent. Sic undiquaque conciliatorem ſtrenuum egit noſter; unico tamen in loco, nimirum capite XII, mediatoris relinquit partes, ſuamque propriam ſententiam profert. Controvertitur autem iſto in loco de cauſis intermiſſionis febrium & typo, ſive (prout Auctori efferre placet) periodicatione earum, de quibus hanc ſententiam profert. Scilicet ſupponit, febris intermittentis cauſam proximam conſiſtere in aliqua ſubſtantia peregrina ſanguini & cordi communicata, ex qua efferveſcentia illa dependeat. Deinde ulterius ſtatuit, illam ſubſtantiam in quolibet paroxyſmo, vel per tranſpirationem inſenſilem, vel per vias urinarias ejici, nihilominus ad reditum novi paroxyſmi novam quoque materiam ſanguini advenire ex inteſtinis, per vaſa lactea, ductum thora-

 cicum

cicum ac venas. Porro naturam hujus ſubſtantiæ putridam aut ſaltim combuſtam ſtatuit, ejusque origines ex mora diuturna propter obſtructionem vaſorum deducit. Tandem quod concernit recurſum paroxyſmorum, imaginatur ſibi acrem illam ſubſtantiam diſrumpere obſtacula, ac abire ad maſſam ſanguineam, & quidem nunc cito in quotidianis, nunc tardius in reliquis intermittentibus. Sed ſumma cum modeſtia cuncta hæc proponit Auctor, dum nempe iſtam ex Medicorum variorum, præprimis tamen Willisii ac Sylvii opinionibus compactam ſententiam, Lectoribus ſuis non dictatoria voce, ſed ſolummodo pro phantaſmate ſuo commendat.

POMPEJI SACCHI PARMENSIS, MED. THEOR. Prof. Publ. Nova Methodus Febres curandi, fundamentis acidi & alcali ſuperſtructa.

Genevæ, apud Leonhardum Chouët a. 1685 in 8.

QUamobrem immediate poſt conciliationem veterum & modernorum de febribus opinionum, hunc tractatum de febrium cura fundamento acidi & alcali ſuperſtructa typis commiſerit Auctor, ejus rationem reddit præfatio ad Lectorem. Scilicet, utut illam Sylvii hypotheſin ab antiquorum opinionibus non diſcrepare agnoſcat, placuit tamen ipſi, hos recentiorum terminos, tanquam magis diſtinctos ac claros, in expoſitione curationis retinere, præ antiquioribus hac luce deſtitutis. Tribus vero ſectionibus abſolvitur *hic tractatus*, quarum ſingulis proœmium aliquod de materia *tractanda* præmittitur. In prima ſectione agit Auctor de febribus contin*uis*, & quidem capite primo de acido & alcali, quatenus omn*ium* mixtorum adeoque etiam ſanguinis ſunt principia. Cap II loquitur de ſanguinis effervescentia præternaturali, conſtituens tres ejus ſpecies, immoderatam, debilem, & mediocrem, additis ſingularum cauſis. C. III de immoderatæ effervescentiæ cura ſermo eſt, adverſus quam laudat ex evacuantibus venæ ſectionem, leviora purgantia, vomitoria & clyſmata, ex alterantibus vero ſulphuris vitrioli, (cujus deſcriptionem apponit) uſum. C. IV curatio febris cum lenta effervescentia traditur, cujus cauſam quærit in acido quodam coagulante

lante, adeoque alcalina remedia propinat. Cap. tandem V, quomodo moderatæ efferveſcentiæ occurrendum ſit, docet. Sectio altera continet intermittentes febres, ita ut cap. I cauſam frigoris cum ſuccedente calore intenſo, in acido ac alcali fundatam, una cum cura recenſeat, cap. vero II, III, & IV febres, in quibus calor in minori gradu notatur, item in quibus nec frigus nec calor notabiliter excedunt, & tandem in quibus horror & tremor occurrit, exponat, ultimæ claſſis cauſas in alcali volatili quærens; curamque ad hujus correctionem dirigens. Denique Sectio III ſymptomata febricitantes ſæpius affligentia, delirium puta, vigilias, lethargum, motus convulſivos, tuſſim, cardialgiam, vomitum; ſingultum, alvi fluxus, parotides & petechias, in undecim capitibus, cum cauſis ſingulorum ac ratione curandi diſtinctim examinat.

TRAITÉ DE L'EGLISE CONTRE LES HEretiques, principalement contre les Calviniſtes;

id eſt,

Tractatus de Eccleſia contra Hæreticos, præcipue Calvinianos.

Lutetiæ apud St. Michalet. 1685 in 12.

INcomparabilem & invincibilem, ſi ſtandum eſt *Doctorum Sorbonicorum* libello huic præfixis teſtimoniis, Eccleſiæ Romanæ propugnatorem ſiſtimus, *Ludovicum Ferrandum* Advocatum Parlamenti Pariſienſis. Hic ut *Jo. Claudio* Charentonenſi Eccleſiaſtæ reſpondeat, ante omnia vexatiſſimam quæſtionem de Eccleſia tractandam aggreditur, omni aut maxima argumentorum vi ex traditis Auguſtini contra Donatiſtas deſumta. *Capite* itaque I Auguſtinus introducitur, promiſſionem Abrahamo de multiplicando ſemine ejus factam, ad diffuſam per totum orbem Eccleſiam applicans, & ſucceſſionem Pontificum Romanorum jam tum urgens. In his duobus characteribus Romanæ Eccleſiæ prærogativam verſari certum eſſe putat Autor, & aſſentientem ſubjungit *Optatum* Milevitanum, nec aliud docere ſcribit antiquiores doctores Irenæum & Tertullia-

num, licet hi de veritate doctrinæ ab Apoſtolis ad ſucceſſores Epiſcopos propagata agant; præſupponit enim hanc quoque apud Pontifices Romanos ſemper & incorrupte conſervatam fuiſſe. Ne quis autem Auguſtini poſtulatum de extenſione Eccleſiæ per totum mundum pro hyperbole habeat, & dum non ubique terrarum Romanæ Eccleſiæ placita & ritus deprehendit, de veritate notæ characteriſticæ dubitare incipiat, civiliter interpretandam eſſe phraſin illam monet, id eſt de multis orbis provinciis; nec obſtare, quod anguſtioribus terminis includatur. Sufficere ſaltem hoc argumentum adverſus Calvinianos, quemadmodum ſuffecerit contra Donatiſtas, quibus angulum Africæ quendam tenentibus, recte oppoſuerit Auguſtinus defectum extenſionis, quam habet Eccleſia, & continuationem ſucceſſionis Epiſcoporum doctrinam Eccleſiæ propagantium. *Cap. II* objecta diluere vult a Claudio & aliis, qui ex teſtimoniis Hieronymi potiſſimum & Hilarii contendunt, fuiſſe tempora, ubi vix reperiri potuit jactata illa Eccleſiæ dilatatio, Arianiſmo puta per orbem vigente. Licet enim negari nequeat, pauciores tum fuiſſe orthodoxos quam hæreticos, illorum tamen numerum per ſe ſat magnum & in tot loca diſtributum ait manſiſſe, ut nihilominus univerſalitatis notam retinuerit; tanto quidem magis, quia in Epiſcopis veritatis profeſſoribus, & Martyribus Arianam perſecutionem perpeſſis fidelitatis & ſanctimoniæ experimenta dederit, & magna licet ſui parte obſcurata, corpus tamen in Pontifice & Epiſcopis, fidelibusque aliquibus conſpiciendum exhibuerit. Multus deinde eſt in refutandis, quæ *Epiſcopo Meldenſi* Claudius reſponderat de ſeptem millibus, quos Deus veros ſui cultores in corrupta Eccleſia Iſraelitica reliquos ſe habere, Eliæ Prophetæ revelaverat, quibusque comparare Claudius voluit, qui ante cœptam reformationem in Romana Eccleſia puritatem doctrinæ retinuiſſe exiſtimantur. *Cap. III* diſputat contra objectiones, quas Proteſtantes ab interruptione Pontificii muneris, per intruſos, ſceleratos, monſtroſos (quales aliquando ſedem Romanam occupaſſe *Baronius Cardinalis*, Annalium ſcriptor ipſe tradit) formare ſolent; eamque vel interruptionem vel corruptionem nihil officere ſtatuit legitimæ ſucceſſioni, & in ea fundato Eccleſiæ characteri: adverſus enim Præſules male moratos ſecundum Auguſtinum remedium eſſe ex obſervatione præcepti Chriſti Matth.
XXIII,

XXIII, 3: *Facite quæ dixerint, ſecundum vero ea, quæ faciunt, nolite facere.* Proviſum ſcilicet a Deo, ne ex cathedra illa, perinde ac ex Moſaica, doceri aut pronunciari quidquam poſſit, niſi orthodoxum: concludit hæc laudibus Pontificis, qui nunc præeſt, Innocentii XI. *Caput IV* oppoſitum eſt definitioni Eccleſiæ, qua Claudius utitur, ut eam reſtringat ad fideles, excluſis hypocritis & malis, eamque opinionem cum Donatiſtis communem illum habere arguit. Sed conceſſa definitione Claudii, manifeſtum tamen eſſe ait, Eccleſiam Reformatam non eſſe illam, quam definire voluit, veram Eccleſiam, quia non ſaltem fideles ſive pii & juſti, ſed & mali & impii in ea inveniantur: id quod exemplo violatorum a Luthero & aliis votorum monaſticorum, maxime evidens eſſe exiſtimat. Addit argumenta contra inviſibilitatem Eccleſiæ, & elevat Claudii reſponſum, qui diſtinctione viſibilitatis *individualis, & indiſtinctæ* ſive complexæ, ſeſe expedire voluit, ſufficere dicens, ut prædicari de aliquo cœtu poſſit, in eo eſſe vere fideles & electos, licet demonſtrari nequeat, qui ſint. Urget e contrario *Ferrandus* cognitionem ſive viſibilitatem diſtinctam, claram, perſonalem, determinatam, quæ ſcilicet ex notis & characteribus illis, quos Romana habet Eccleſia, conſpici poſſit, ſine exploratione interioris bonitatis, ſive fidei ſingulorum. *Cap. V* perſequitur eadem, & reſpondet ad illa, quibus Claudius definitionem ſuam ſtabilire voluit, imprimis ad dictum *D. Pauli Eph. V, 27.* idque non, ut *Bellarminus*, ſynecdochice de fidelibus & electis, ſed de ſtatu Chriſtianorum in baptiſmo intelligi vult. Teſtimonia vero Patrum, qui puritatem immaculatam & perfectam Eccleſiæ requirere videntur, ad ſanctitatem doctrinæ & Sacramentorum referenda eſſe putat, notatque Auguſtinum ea, quæ Claudius allegat, retractaſſe; ſufficere itaque ad Eccleſiæ ſanctitatem ſanam doctrinam, imo etſi *ſpiritualiter* ſeparetur peccator ab Eccleſia, ut locutus eſt Auguſtinus, manere tamen, ſi profeſſionem externam teneat, unitum Eccleſiæ *realiter, vere & effective*, & a Deo *inhabitari præſentia reali & effectiva, etſi non gratioſa ſive ſpirituali.* Reſpondere denique vult Claudio, ab unitate Eccleſiæ militantis & triumphantis, quæ ſtare nequeat, niſi utraque ex ſanctis & fidelibus conſtet, argumentanti, adducendo Auguſtini reſponſionem ad eandem objectionem Donatiſtis datam; docetque in eo ſaltem eſſentialiter convenire utriusq; Eccleſiæ mem-

Digitized by Google

membra, quod eadem fidei capita credant; ſanctitatem vero, quam triumphantis membra habent, non competere illis ideo, quod membra ſint Eccleſiæ, ſed quod Deum jam poſſideant, & æternum ſint poſſeſſuri. Sic efformata & aſſerta, ut putat, Eccleſiæ idea, *cap. VI* ulterius progreditur, & evincere vult, Eccleſiam Romanam, quæ confitentibus adverſariis ſemel vera fuerit, nunquam poſſe titulum illum amittere, neque unquam ab illa ſeparationem fieri poſſe, non ob morum depravationem, non ob errores in fide, imo nec ob idololatriam. Prius illud de perpetua Eccleſiæ fide conſervanda, conſequens quidem eſt ex opinione autoris, cui Romana & univerſalis Eccleſia unum idemque ſunt: & in iis, quæ ex Auguſtino contra Donatiſtas, ob morum corruptiones ſeparationem orſos adducit, conſentientes haud difficulter habet Proteſtantes, ſed non æque in cæteris, quæ hoc capite, de non deſerenda, ne ob hæreſin quidem & idololatriam Eccleſia adſtruit, & ex hiſtoria Iſraelitica aliisque argumentis probare nititur. Multo minus lis finita erit per ea, quæ *cap. VII* ex Auguſtini certaminibus cum Donatiſtis prolixe refert & Claudio objicit. Hic enim cum aliis Proteſtantibus, differentiam inter ſuam & Donatiſtarum cauſam nondum agnoſcet refutatam eſſe. Donatiſtæ enim in dogmatibus Eccleſiæ ſui temporis nihil reprehendendum habuerunt, & ideo ob morum ſolummodo & diſciplinæ, quem urgebant, defectum, Catholicos pro paganis immerito traduxerunt, ita ut qui ex illis ad ſe tranſibant, illicito plane auſu & hæretica pertinacia rebaptizarent. At Proteſtantes reformationis tempore utique de dogmatum falſitate querebantur, eorumque correctionem poſcebant. Manet itaque capitalis hæc controverſia: *an fas fuerit Principibus & populis emendationem doctrinæ non minus quam morum, quam obtinere querelis precibusq; ſuis a Romanæ Eccleſiæ Antiſtitibus non potuerunt, ſuo jure & arbitratu & abſque ſchismatis crimine procurare.* Ab hac quæſtione pendet, ut facile apparet, dogmatum, quorum corruptio juſtam ſeparationis cauſam præbere potuerit, examen & diſcuſſio, quam tamen cum aliis novis diſputatoribus *Ferrandus dict. c. VII, p. 393.* omnino ſuperfluam habet, & ad condemnandam omnem ſeparationem ſufficere exiſtimat, ſi modo monſtretur, ubi ſit Eccleſia. Obſervabunt tamen, ſi qui cum illo in arenam deſcenderint, (id enim noſtri nunc non

eſt

eſt propoſiti,) ipſum quem omnibus pene libri paginis exſcribit Auguſtinum, veritatem doctrinæ in diſputatione de Eccleſia præſupponere. Nam *Epiſt.48.*(quam p. 278 a Ferrando allegatam legimus) adverſus Donatiſtas profitetur, neminem ex Orthodoxis Eccleſiam quærere *in juſtitia morum, ſed in divinis ſcripturis*; & Manichæis Catholicæ quidem Eccleſiæ titulum, & univerſalem conſenſum & ſucceſſionem Epiſcoporum,ſed ita objicit,(cap. IV contra epiſt. Manich.) ut illa *vincula teneant in Eccleſia Catholica eos, quibus propter intelligentiæ tarditatem vel vitæ meritum veritas nondum aperte ſe oſtenderit*: addit vero: *ſi manifeſta monſtretur*, quam Manichæi pollicitabantur, *veritas, præpoſiturum ſe eſſe eam omnibus illis* externis, *quibus ſe in Catholica Eccleſia teneri* paulo ante dixerat. Videatur locus integer, Latine in epilogo hujus tractatus adſcriptus p. 429. Unde mentem Auguſtini longe aliam fuiſſe conjicere licet, quam ut unionem, abſque dogmatum veritate, ſolum propter externa illa præjudicia, ſervandam eſſe exiſtimaverit. Sed hæc alio loco diſquirenda ſunt.

RÉPONSE A L' APOLOGIE POUR LA REFORMATION, pour les Reformateurs, & pour les Reformez. &c,

id eſt,

Reſponſio ad Apologiam pro Reformatione, Reformatoribus & Reformatis; in qua tractatur de ſtatu monaſtico; de viduis ſecularibus & religioſis: de ſecundis & ulterioribus nuptiis: de veri martyris qualitatibus: de ceremoniis Eccleſiaſticis: de Sacra Scriptura: de ecſtaſibus & viſionibus: de cœlibatu Clericorum, & aliis quibusdam materiis ad religionem pertinentibus.

Lutetiæ, apud St. Michalet 1685. in 12.

Libro *Ferrandi* de eccleſia alium ejusdem auctoris ſubjungimus, non minoribus encomiis a Theologis Pariſienſibus *Coquelino*,

Fraſſenio, *Luillerio*, *Baſilio* & *Maleto* ornatum, quo notiſſimo tractatui Apologetico pro Reformatione, ſive *Hiſtoriæ Calviniſmi & Papiſmi parallelæ*, cujus in Actis noſtris non uno loco mentio facta eſt, reſpondere ſategit. In præfatione exemplum *Origenis* ſequendum ſibi proponit, qui monenti *B. Ambroſio*, ut *Celſi* calumnias adverſus Chriſtianos refutaret, primo reſtitit, & ſilentium prætulit, quod apologiam optimam Chriſtianorum non in verbis, ſed in pietate & ſanctimonia conſiſtere putaret; poſtea tamen ad confirmandos fidelium animos calamum ſumſit. Modeſtia autem adverſus Hiſtoriæ Parallelæ autorem ſe uſurum, ex iisdem promittit rationibus, quas olim B. Auguſtinus allegavit, cum contra Manichæos manſueto ſtylo uteretur; optatque hunc inſtituti ſui eventum, ut adverſarium victorem potius erroris quam a ſe victum ſiſtat, exemplo Luciferiani illius, qui teſte Hieronymo, refutanti ſe orthodoxo cedens, dixerat: *Non ſolum te viciſſe exiſtimes; vicimus utique uterque noſtrum: palmam refer tu mei; ego erroris* Diſſertatio libello præmiſſa eſt, in qua Autor ea, quæ Regio imperio adverſus Reformatos in Gallia ad Eccleſiam Romanam reducendos, tunc agebantur, & tunc dirutis omnibus eorum templis & ſuppresſis cœtibus, abolitisque edictis quibus nitebantur, exitum, quem ſcimus, habuerunt, partim negat ut falſa, aut in majus exaggerata; partim exemplo *Honorii* Imperatoris contra *Donatiſtas* vi agentis, & multis *Auguſtini* approbationibus (quas adſcribit) defendere voluit.

Tractatus ipſe duas habet partes. *In prima Cap. I* ex patrum dictis, conciliorum decretis, pontificum reſponſis, nuptias monialium, adverſus Apologiſtæ excuſationes, vel improbatas, dignasque pœna ac cenſura judicatas, vel plane annullatas fuiſſe vult evincere, eaque occaſione multa erudite de ætate virginum, quæ ad abjurandas nuptias, ſive ad velum admittebantur, commentatur, autori, ut videtur, Rom. Catholico, quem non nominat, oppoſita. Hoc ipſo capite, paragrapho altero, de viduis tractat, quæ vel cum renunciatione nuptiarum, vel ſine ea, Eccleſiis ſeſe addicebant, ex quibus Diaconiſſæ ſumebantur. Prioribus nuptias plane interdictas fuiſſe aſſerit, at non poſterioribus; his enim etiam ſecunda, tertia, imo quarta vice nubere licuiſſe; quamvis multi ex Patribus, quædam etiam concilia nonniſi prima matrimonia probarint. Infert ex his omnibus

Digitized by Google

mnibus, quæ variorum autorum adſcriptis teſtimoniis firmat, male facere Apologiſtam, & Apoſtolis atque Patribus repugnare, dum ſcribit, cœlibatum antiquis incognitum, & religioſis utriusque ſexus permiſſum fuiſſe ut nuberent, ſi continentiam ſervare non poſſent. *C. II* adductis itidem teſtimoniis Monachos veteres, poſt ſumtum habitum, ſive veſtem monaſticam, nuptiis abſtinuiſſe oſtendit. *Cap. III* reſpondet ad objectam ab Apologiſta autoritatem *Athanaſii* & *Auguſtini*: illum ait loqui de matrimoniis Epiſcoporum ante Epiſcopatum contractis; hujus vero opinionem, quod ſcilicet ordines ſacri non impediant matrimonium, quæ in jure Canonico *Can.* nuptiarum *c. 27. &c.* Quidam *diſp. 17.* refertur, ab Eccleſia reprobatam eſſe. Cum vero & hic & alii Patres damnent eos, qui cœlibatus votum ſeu promiſſionem violantes ad nuptias convolant, & Reformati priorum quatuor ſeculorum tempora pro Eccleſia pura & vera habeant, ſequi inde putat, *Zvinglium*, *Lutherum* aliosque, qui ſpretis quibus obligati fuerant votis, uxores duxerunt, graviter peccaſſe & damnatos eſſe, adeoque pro reformatoribus Eccleſiæ haberi non poſſe. *Cap. IV* relatis veterum variis opinionibus de origine monachatus, ita conciliari eas poſſe ſtatuit, ut dicatur, prima ejus fundamenta ab Elia Propheta, inde a filiis Prophetarum, a Rechabitis, & Eſſeniis, tum a Joh. Baptiſta & Apoſtolis, aliquibus etiam ſolitariis ante *Paulum & Antonium Ægyptios* deſignata fuiſſe, ſed hos pro monaſticæ vitæ autoribus & ordinatoribus habendos. Antonium certe innumeros diſcipulos feciſſe, eorumque exemplum in occidentem propagatum fuiſſe, ſed ita ut ab initio ſolitariam & cœlibem vitam apud ſuos quisque domi ageret, ut ex *Pammachii* & *Marcellæ* hiſtoria a D. Hieronymo relata, conſtare poſſit: eodem tamen tempore conſtrui monaſteria cœpiſſe, in quibus communi victu & pullo aut fuſci coloris habitu monachi monachæque uterentur. Rejicit vero *cap. IV* (per errorem bis numerato) *Eraſmi* ſententiam, de ſtatu monaſtico, qualem in vita B. Hieronymi a ſe ſcripta figuravit, ex quo Apologiſtam hauſiſſe ſua & in pejus auxiſſe arbitratur. Dein *cap. V* ex Hieronymo ipſo probare nititur, monachos jam tum obedientiæ voto conſtrictos fuiſſe, & Hieronymum ab adverſariis allegatum, de abuſibus, non vero de regulis loqui. *Cap. VI ad X usque* de aliis vitæ monaſticæ inſtitutis agit, eaque laudat

eodem quo ſupra fine, ut profanos & inceſtos fuiſſe probet reformationis auctores, ab illa ſcilicet diſciplina diverſiſſimos. *Cap. XI* adverſus Apologiſtam defenſionem Maimburgii ſuſcipit, qui de Marcionitarum martyrio in hiſtoria Calviniſmi commentatus fuerat. Hac occaſione, ſectione altera hujus capitis, diverſas Patrum & aliorum ſcriptorum ſententias proponit, ſuper quæſtione, *an hæretici mortis ſupplicio ſint afficiendi.* Suam vero ita declarat, ut eos quidem Magiſtratus non damnet, qui id faciant, præferat tamen, qui vitæ eorum parcant. Qua lenitate quia *Regem Chriſtianiſſimum* uti dicit, in laudes ejus hoc nomine digreditur. Redit in appendice ejusdem capitis ad martyria, quorum honorem Apologiſta Reformatis arrogaverat, qui ſuperiori ſeculo vel per ſupplicia vel promiſcua laniena necati fuerunt, Deum in ipſa morte laudantes. Hos indignos martyrum titulo pronunciat autor, quia extra Eccleſiam & rupta per ſchisma charitate, tum & pro cauſa non juſta occubuerint; id quod hæreticis ſui temporis jactantibus *Optatum Milevitanum* & *Auguſtinum* objeciſſe ſcribit. Affert & adverſario opponit exemplum Judæorum, qui eodem modo magno numero, poſt concilium Claromontanum ſub finem ſeculi undecimi, cæſi fuerint, non minus magnanimi & læti, Deumque laudantes. Probat id ex Joſephi cujusdam Judæi hiſtoria Hebræa MS. quam in bibliotheca regia extare dicit. *Cap. ſequenti*, (cui iterum numerus XI datur) aliud argumentum Apologiſtæ aggreditur, a probitate & ſanctimonia eorum, qui reformationis autores promotoresque fuerunt, Maimburgio oppoſitum. Nihil enim inde colligi poſſe dicit, etſi probari poſſit, de quo dubitat, illa morum probitas. Eadem enim laudis ſpecie hæreticos veteres, *Montaniſtas*, *Catharos*, *Pelagianos*, *Priſcillianiſtas* ſuperbiviſſe, ſpretos tamen nihilominus & damnatos a Patribus Eccleſiæ, ut adductis illorum teſtimoniis oſtendit. *Cap. XII* ad laudatam *Calvini* & aliorum eruditionem reſpondet, & Sorbonam defendit adverſus imputatas perſecutiones & condemnationes grammaticorum & poetarum, qui Franciſci I tempore in Galliam acciti, hæreſin ſimul invexiſſent; ut & Eraſmi, qui Bibliorum lectionem populo concedendam ſuaſerat; additque plurima, de obſcuritate Scripturæ & abuſu ſenſus literalis Vet. Teſt. ex Patribus quibusdam, præſertim *Origene*. *Cap. ſequenti* (eodem

dem iterum numero XII inſignito) male defenſam eſſe altarium & templorum deſtructionem a Reformatis olim in Gallia perpetratam dicit, & eodem modo a Donatiſtis factam oſtendit. *Cap. XIII* reformationem *Tigurinam* nullo jure a Senatu, ut pote laicis, fieri potuiſſe ſtatuit; neque *Anglicam* ab *Henrico VIII Angl. Rege*, qui ipſe primus legum divinarum, quas reſtituere volebat, ſanctitatem violaverit, totaque poſtea vita nil niſi crimina & crudelitatem exercuerit.

Hæc ad primam Hiſtoriæ ſive Apologiæ pro Reformatis partem reponenda habuit Autor. Jam ſecundam illius ſecundæ oppoſiturus, *cap. I.* incongrue & extra propoſitum titulumque libri, *recriminationes* adverſus Eccleſiam Romanam ſuſceptas ab adverſario fuiſſe ideo cenſet, quia ſi maxime probari poſſent, quæ ille objecit, ſchismatis tamen cauſam juſtam non evincant, cum aut ante illud acciderint, quæ refert, aut poſtea ſint ſecuta. Quædam tamen quæ aliquo modo ad propoſitum facere videri poſſent, ſpeciminis cauſa examinanda ſumit. Itaque *cap. II* multa elogia ex antiquis Eccleſiæ ſcriptoribus adducit, quibus illi vitam monaſticam maxime extulerunt, & ab hæreticorum ſui temporis morſibus defenderunt. Dein ſpeciatim *Ignatium Lojolam*, *Franciſcum*, *Dominicum*, & *Thereſiam*, ſanctitatis nomine in Romana Eccleſia celebres, ab inſectatione adverſarii tueri nititur, & quæ viſiones aut ecſtaſes probandæ aut improbandæ ſint, diſquirit. *Cap. III* ceremonias Eccleſiæ Romanæ tanquam novas taxantem Apologiſtam nihil efficere ſcribit; neque enim opus eſſe, ut omnes antiquæ retineantur, neque prohiberi, novas pro populi utilitate introducere. Inter alias tamen *aquam benedictam* & *veſtium ſacerdotalium ornatum*, antiquitatis laudem mereri, multis probare nititur. Negat paganas ceremonias receptas eſſe in Eccleſiam, quanquam Judaicas quasdam introductas eſſe conſtet. *Cap. IV* multus eſt in laudando & probando cœlibatu Clericorum, & in refellendis quæ objici ſolent. Diſputat etiam de conjugio Subdiaconorum, & his quoque nuptiis interdictum fuiſſe, evincere adverſus diſſentientes quosdam laborat, tanto magis iis, qui ſuperioribus ordinibus initiati fuerunt. *Cap. V* in Proteſtantes retorquet objectionem de rebellione adverſus Magiſtratus, quam ex dogmatibus Romanæ Eccleſiæ ſequi exiſtimant: eos enim, qui Pontifici ob malos mores vel hæreſin obſequium denegarunt, eadem

Digitized by Google

licentia Regibus & Magiſtratibus ſuis rebellaturos eſſe arguit; ſcilicet quia non minus, ut putat, juris divini ſit obedire Eccleſiæ, id eſt, Papæ, quam Principi. *Cap. V* adverſus notam querelam de corrupta tempore reformationis Eccleſia inſurgens, quamvis concedat magnum numerum Clericorum indoctorum & male viventium tunc fuiſſe, probare tamen aliquot exemplis nititur, illo ipſo tempore, *ab anno nempe 1517*, quo *Lutherus*, *&* *1534* quo *Calvinus* reformationem cœperit, illuſtres doctrina & pietate viros vixiſſe & Eccleſiæ decus ſervaſſe. Inter illos refert Cardinales, *Ximenium*, *Cajetanum*, Doctores *Joh. Eccium*, *Albertum Pighium*, *Joh. Cochlæum* & *Hieron. Emſerum*, quos doctiores Luthero fuiſſe ſtatuit, ſicut & *Joh. Fiſcherum* Roffenſem Epiſcopum, & *Thomam Morum*, Britannos, martyrio quoque claros. *Leonis* dein X, & *Adriani VI* elogiorum non obliviſcitur: novosque eo tempore *Theatinorum*, *Capucinorum*, *Barnabitarum*, *Recollectorum*, *Charitatis* aliorumque ordinum & ſodalitiorum fundatores, & ſanctas obſervationes collaudat, maxime *Ignatium* Jeſuiticæ Societatis autorem, & qui ex illa, ut & ex Franciſcanorum ordine, in Indiam profecti religionem propagarunt. Addit *Pauli* III, *Marcelli Cervini*, *Pii V* Pontificum, multorumque Cardinalium, Prælatorum & Doctorum, qui poſtea floruerunt, laudes & encomia, quibus nullo modo pares eſſe arbitratur, quos Proteſtantes inter ſuos extollant; imo ne unum quidem ex iis nominari poſſe, qui in linguarum notitia, qua tantopere glorientur, *Budæum*, *Pagninum*, *Vatablum*, *Tuſanum*, *Turnebum*, *Muretum*, *Genebrardum*, *Ariam Montanum* aliosque æquaverit. Sanctitatem vero *Lainczii*, *Maldonati*, *Lipomani*, *Baronii*, *Bellarmini* mire effert, & veterum Epiſcoporum & ſanctorum exempla renovaſſe tradit *Carolum Borromæum*, *S. Thereſiam & Johannem de Cruce*, *Petrum* etiam de *Alcantara*, *Philippum Nerium*, *Ludovicum Granatenſem* aliosque. Unde concludit, nil opus fuiſſe Luthero & Calvino aliisque, moribus illaudatis & mediocri eruditione. Morum vero corruptelam ad ſchiſma minime excuſandum ſufficere, probatum a ſe dicit in *libro de Eccleſia*: adſcribit tamen locum ex Epiſtola Auguſtini 166, in qua adverſus idem objicientes Donatiſtas dictum Chriſti Matth. XXIII, 3, *quæ dixerint vobis ſervate*, urget: & cum huic argumento opponi ſoleat, quod Chriſtus nihilominus Synagogam, cui obediri

diri

diri tunc jubebat, abrogaverit, reſpondendum eſſe putat, abrogationem illam non ob culpam Judæorum (qua etiam majores eorum ſæpe gravius laborarint) ſed ob expletum tempus V. T. eveniſſe; denique reformatoribus eandem, qua Chriſtus uſus ſit, poteſtatem minime competere; nec fas fuiſſe, præceptum Chriſti, qui obſequium erga paſtores exigit, per eos violari & tolli. Addit quæ *Origenes in comment. in Ezech. XVI, 18* monuit, quod tanto magis vitandi ſint hæretici, quanto majori ſanctitatis ſpecie perſonati incedant; auditores ſuos hortatus, ut ſe e cathedra docentem ſectentur, mores vero ſuos non imitentur, ſed exemplum Chriſti & Prophetarum atque Apoſtolorum pro norma vitæ habeant.

Magnam Patrum & antiquitatis Eccleſiaſticæ notitiam, eloquentiam etiam inſignem cum modeſtia junctam, ex hoc etiam Autoris libro, nemo non deprehendet. An vero demonſtraverit, quæ demonſtranda ſibi propoſuit, & obſtantia everterit, noſtræ nunc non eſt diſquiſitionis.

METHODUS NOVA, PHÆNOMENORUM cæleſtium intervalla a terris facillime determinandi, non variata ſtatione ſeu loco obſervationis, neque captis eorundem altitudine vel azimutho.

Communicata a G. S. D.

NOvam methodum Caſſinianam, qualem Blanchinus ad praxin applicuit, Roma Lipſiam nuperrime miſſam, cum in Actis menſis Octobr p. 470 & ſeq. offenderem, & ſchema oculis uſurparem, haud diſſimile primo intuitu viſum eſt inventum iis cogitatis, quæ circa hoc negotium pridem & fortuito habui: ſiquidem & parallaxes ſecundum æquatorem ſeu Aſc. R. numerare, & parallelum terreſtrem indefinite producere, unica inſuper ſtatione inſtituere obſervationes utriſque placet. Verum re penitius perſpecta, cum non parum differant hæc cis & trans Alpes nata εὑρήματα, quod noſtrum neque teleſcopicam præciſionem neceſſario poſtulet, neque ſemidiametrum terreſtrem (ut parallaxes hac ratione quaſi duplicentur)

centur) conſideret, anſam ſum inde nactus, *πάρεργον* meum, prout triennio abhinc in ſchedam conjeci, peritioribus comprobandum dare. Præcipuus uſus eſſe ſaltem poterit, ad contentionem noſtri ſeculi de Sedibus Cometarum, promptius dirimendam. Videas enim alios libertatem collocandi crinita ſidera extra ſyſtematis planetarii pomœrium, in patentiſſimos ſupra-Saturninos campos, ſibi ſumere, variiſque hinc indulgere ſpeculationibus, magis nonnunquam miris, quam piis; aliis contra obnitentibus. Ad competens autem *Parallaxium* tribunal (ubi & Peripateticorum perorata lis eſt) cauſam hanc omnino, vel ob primam inſtantiam, remittamus. Quippe rem judicatam norunt Aſtronomorum filii, Lunam maxime notabili, Saturnum viciſſim quam minime ſenſibili cum parallaxi, a terricolis conſpici. Quod ſi illa in Cometis quoque liquido deprehendi poterit ſenſibilis, eadem opera evagationes iſtas ſupra-planetarias mox præſcindi, haud facile quis diffitebitur. Quare videndum inprimis, an Cometas omnes omni adeo parallaxi tuto quiſquam exuat? id quod ante omnia exploratum habere, ſi qua commoda datur via, operæ pretium eſt. Sed diſſimulanter paſſim hic agi, non mirabitur, qui animo ſatis perpendat difficultatem dimenſionis & calculi parallactici, aſperam nimium atque ſcrupuloſam: qualem, qui poſt *Regiomontani*, *Tychonis*, aliorumque acumen, ſuam hac in re limatiſſimam induſtriam, in admirando opere Cometographico, præſertim libro IV, (ubi inter cætera Cometæ A. 1652 parallaxin horizontalem, menſuram dimidii gradus ſuperaſſe oſtendit) prolixe & abunde probavit, profitetur *ipſe*: *Hocce*, inquiens, *de Parallaxibus inprimis Cometarum ſtudium rerum omnium Aſtronomicarum pene eſſe ſubtiliſſimum, intricatiſſimum ac difficillimum*, (f. 169) non ſolum *ingratis auſteriſque laboribus*, (f. 181, 239) *ac bene amplo calculo opus habens*, (f. 189) verum etiam iis commendandum, *qui ingenio pollent, & acri ac limato ſunt præditi judicio*, (f. 177.) tanquam *rem altioris indaginis, ac perquam difficilem perceptu, ſic ut non cuilibet hic detur adire Corinthum, ſed ſolummodo cœleſtium arcanorum peritiſſimo, remque totam ſummis ingenii viribus diſcutienti, expendentique: cæteris pene impoſſibile eſſe, ſine Delio natatore hæc aſſequi.* (f. 194.) Enim vero animum ad aliud forte advertenti, non plane abſonum mihi viſum eſt, ſciri hoc

& de

Digitized by Google

& determinari poſſe, quonam in cœli aſpectabilis puncto Phænomenon quoddam, parallaxi quantumvis affectum, ad certum temporis momentum non modo in loco, ubi degimus, ſed & alibi terrarum, v. g. in America, incolis appareat, non ſecus ac ſi ibidem Spectator aliquis pariter nobiſcum habitam Obſervationem ad nos perſcripſiſſet. Tentavi inde modum planiorem, determinandi intervallum, quantum diſtet tunc a nobis Phænomenon, idque per Parallaxes, non uſitata illa ratione ad centrum Terræ & Verticalem, ſed ad Æquatorem, ſaltem apparenter, relatas. Et ſuccedere rem hac via animadverti, adeo, ut ſic uno eodemque in loco, absque Altitudinis, Azimuthi, Parallaxeosve verticalis Cometæ, aut Motus Solaris cognitione, intra breve temporis ſpatium, minimo cum apparatu, paucis iisque errori non facile (ut cum lubrica *Regiomontani* ratione comparatum eſt) obnoxiis obſervationibus, calculo denique neque amplo neque injucundo, multo minus difficili, cujus nimirum cardo in unica verſabitur Additione, omnia abſolvantur. *Problema* pono tale: Datis Phænomeni cœleſtis, Tellurem motu primo diurno circumeuntis apparentibus Diſtantiis a Meridiano inter biduum aut triduum ter quaterve, certo tempore ſidereo, eodem in loco habitationis obſervatis, nec non viſibili Declinatione, ſemel ſaltem intermedio tempore capta; ejusdem tunc Intervallum a loco obſervationis, una potiſſimum additione aliquot Logarithmorum, prope determinare. *Solutionem* TAB. XIV. per Exemplum (ad Demonſtrationis fundamentum ſimul remittendo) ita oſtendo. Sit (Fig. 1.) ABDA, Planum Paralleli terreſtris, ſub noſtra latitudine Geographica ſeu Elevatione Poli; CE, Linea meridiana; A, Locus habitationis, ex hypotheſi, cum ipſo Globo Terraqueo, immobilis. Concipiamus idem Planum, undique indefinite protenſum, vicem Plani Æquatoris nobis in A, quaſi in centro hujus conſtitutis præſtare, ubi viſus noſter ſiderum apparentes diſtantias a Meridiano, ſeu differentias Aſcenſionum Rectarum viſibilium tum Phænomeni cujusdam, tum medii cœli, per angulos exempli gratia EAF, EAK, EAQ, &c. diſcernere ac metiri conſuevit: Conſideremus porro Cometarum aliquem, verſus Orientalem plagam, in linea

AF viſum, cujus obſervatur aſcenſio recta apparens, eo momento, quo ſimul fixa quædam, ab æquatore non multum remota, nobis α dicenda, per meridianum A E tranſit. Id quod commodiſſime fit, intercapedinem Cometæ a vicinis aliis, ſaltem binis, Fixis, per ſextantem, Radium, (ſed ad eccentricitatem oculi correctum,) aliudve organum juſtæ magnitudinis, metiendo, & hinc modo vulgari aſcenſionem Rectam eliciendo; quæ hic eſto, 240°. 0′. Quare ſubtracta fixæ α culminantis aſcenſione recta, (e.g.) 155°. 45′, non ignoratur Cometæ a meridiano diſtantia orientalis EAF, 84°. 15′. Poſtridie, quando fixa α poſt peractam integram revolutionem, iterum meridianum ſtringit, eadem prorſus ratione ſimul obſervatur Cometæ, nunc quidem ob motum proprium in linea viſoria A G conſpicui, aſcenſio recta 237°. 0′; adeoque diſtantia ejusdem a meridiano EAG, 81°. 15′. Sequenti quoque die, fixa α ad meridianum A E denuo revoluta, ſimiliter capitur Cometæ diſtantia EAI, 78°. 15′. Idem poſt revolutionem tertiam (ut proportio motus diurni apparentis aſcenſionis rectæ Cometæ certius addiſcatur) repeti poteſt: *Ita h. l.* diſtantia EAK emergit 75°. 15′. Unde pateſcit, motum diurnum hujus Cometæ, ſecundum aſcenſionem rectam viſibilem (in Plano centroque æquatoris vicario) numeratum, retrogradum eſſe, & hoc tempore ſenſibiliter æquabilem, nimirum 3°. 0′. *Intermedio* aliquo momento, quo ipſo nempe intervallum *Cometæ* quæretur, hora videlicet ſiderea decima præterlapſa, poſtquam Cometa in linea AG, & ſtella α in culmine AE fuerant, quando jam alia Fixa β, cujus aſcenſio recta ſit 305°. 45′, Meridianum AE tangit, tunc non ſolum, ut prius, Cometæ aſcenſio recta 234°. 33′, & hinc diſtantia a meridiano occidentalis EAQ 71°. 12′ (quam vocabimus *diſtantiam intermediam*,) ſed & apparens declinatio Septentr. 15°. 0′. annotatur. Ex capta ſemel intercapedine a Fixis, ſine ulteriori obſerva-

Digitized by Google

ſervatione tam declinationem,quam aſcenſionem rectam,novit Trigonometra haud difficulter explorare. Cæterum qui mavult altitudinem vel Azimuth, quam culminationem,duarum commode ſitarum ſtellarum obſervare, opus inſuper habebit indagine triangulari diſtantiæ utriusque a meridiano, ad pernoſcendam aſcenſionem rectam medii cœli, quam vero ſtatim indicant Fixæ illæ,priori modo in meridiano obſervatæ. Jam igitur ad calculum ipſius Intervalli Cometici pertexendum, ſufficiunt, quæ ſequuntur, Data: I. *Interſtitium temporis* ſiderei,cum *plaga* ſua. Solis motum hic non attendimus, ſed fixarum potius, ut mox patebit. *Interſtitium* illud dico arcum A B, ſeu angulum A C B 150°. 0'. Nam poſt 10 horas ſidereas, fixa α, cui obvertebatur in priori culminatione locus terræ A, jam reſpicit directe locum B: ad cujus meridianum BR illa per diurnam cœli converſionem pervenit, dum altera pariter Fixa ε in meridianum AE ſucceſſit. Ideoque differentia aſcenſionum rectarum utriusque fixæ eſt menſura hujus interſtitii A B. *Plaga* ejus in noſtro exemplo eſt *occidentalis*, quorſum cœlum rapitur; Sin ultra 180° excurrat quandoq;, exceſſus hujus complementum ad ſemicirculum erit ſurrogandum, & ſic interſtitium ab A retro numeratum, orientale dicendum. In operatione poſtmodum, interſtitii A B, ſaltem Semiſſis 75°. 0' adhibetur. II. *Angulus intervalli.* Eſt angulus ABQ, oppoſitus nim. Intervallo quæſito AQ, in Triangulo ABQ. Ad conſtituendum hunc angulum, prærequiritur *diſtantia reducta*, quæ ex obſervatis hunc in modum deducitur. Notum eſt, in illa obſervatione, quæ id momentum, quo ipſo intervallum Cometicum deſideratur, proxime anteceſſit, Cometam in linea viſoria A G, & fixam α in meridiano AE conſtitiſſe; poſt integrum autem diem ſidereum, quando nempe fixa α circa QRFE motu communi circumvoluta ad AE rediit, eundem Cometam in obſervatione, momentum illud intermedium ſecuta, lineam viſoriam AI viſum eſſe occupare: Unde ejus *motus proprius diurnus*, ſecundum aſcenſionem rectam viſibiliter numeratus, antea detectus fuit, 3°. 0' GAI. Si cœlum fingamus per hunc diem omnino ſubſtitiſſe immotum, fixa α tantisper a meridiano AE non digreſſa, Cometæ tamen noſtro motum iſtum proprium interea relinquamus, facile patet, hunc obſervatori in A ita apparuiſſe, ut intra 24 horas ſidereas ex linea A G ſucceſſive ad AI retrogreſſus, horis intermediis obſervari intra easdem lineas potuerit: E. g. hora 10 poſt illam obſervationem, qua prius in AG cernebatur, apparuiſſet jam in AH. Ergo

Digitized by Google

ut H.24,ad H.10; vel, ut integra revolutio ABDA 360°, ad interſtitium AB 150°: ita diurnus GAI 3° 0′, ad *partem proportionalem* GAH, 1° 15′. Ex collatione enim Diurnorum FAG,GAI & IAK,hic quidem motus proprius Cometæ repertus ſupra fuit ad ſenſum æquabilis. Quod ſi alibi ejusmodi motus notabile decrementum vel incrementum habeat,non deerunt pragmatiæ arithmeticæ, quarum ductu pars proportionalis,utut inæquabilis,ſatis præciſe acquiri poſſit. Hanc igitur partem congruentem GAH 1° 15′, ſi ex EAG 81° 15′, diſtantia Cometæ,quam a culmine in priori obſervatione habuit,auferas,(cum motum is habeat retrogradum,ſingulisque diebus propior fiat Meridiano A E) relinquitur EAH,80° 0′,ipſa *diſtantia reducta*,ſcilicet ad tempus,quo intervallum Phænomeni quæritur: habetque denominationem (a plaga, in quam vergit) *orientalem*.Semper vero minor eſto ſemicirculo hæc diſtantia reducta; quem ſi excedat,complementum exceſſus ad ſemicirculum in ejus locum veniat, cum titulo plagæ oppoſitæ.Porro,ut dubio caret,ſi cœlum eo in ſitu,in quo fuit, cum culminante fixa α Cometa ſemel in AG, ac deinceps in AI conſpiceretur,ſine motu permanſiſſet,quod obſervatori in A locato,Cometa viſo eſſet in linea AH, nempe hora 10 poſt obſervationem antecedaneam, qua in AG notabatur; Sic quoque,conceſſa nunc diurna Fixarum circumvolutione, neq; tamen Cometæ ſimul motu proprio ullatenus luxato,ſi viciſſim obſervatorem illum,prius in A conſtitutum,cum fixa α ab ejus loci meridiano A E intra 10 horas ad alium meridianum BR,loci terreſtris B, devoluta,concipiamus (ſi daretur) pari celeritate,qua ipſum cœlum volvitur, ex A per Parallelum ſuum in Globo terreſtri immobili,una translatum in B (ut, ſi quis poſſet hisce horis e Germania per Flandriam,Oceanum Britannicum, Mare Atlanticum, Terram Canadenſem, partesque mediterraneas Americæ Septentrionalis,ad Fretum Anian uſque,neſcio qua transvectione excurrere) nemo ſane inficiabitur,Cometam *ibi* tunc ipſi appariturum fuiſſe in linea viſoria BQ: quoniam RBQ (ſeu *RBN*) & EAH, & ſic etiam EAF & RBL, EAG & RBM,EAI & RBO,EAK & RBP æquantur,imo identificantur, quippe deſignando partes cœli easdem, per has 10 horas alio: ſum translatas,nec aliter conſpiciendas ab obſervatore ſimul provecto in B, ac prius in A. Revera autem nec cœlum ante immobile,nec obſervator poſtea loco motus fuit,ſed potius, dum fixa α ab AE ad BR receſſit, novaque ϛ ad AE acceſſit,is in A relictus,diſtantiam Cometæ a meridiano ſuo verſus occidentem

EAQ

Digitized by Google

EAQ inſtrumento dimenſus eſt, 71°.12′; quem angulum appellabimus *diſtantiam intermediam*, h. l. *occidentalem*. Conſtat ergo, Cometam eodem inſtanti, & conſpectum eſſe ex A in linea AQ, & conſpiciendum ſimul fuiſſe ex B (ſi momentaneus acceſſus eo patuiſſet, aut alter ibi fuiſſet obſervator) in linea BQ. Quamobrem in Q, puncto concurſus harum linearum, Cometæ locus tandem deprehenditur: oriturque ita *Triangulum parallacticum*, in quo ABQ, *Angulus intervalli*, (ſeu oppoſitus intervallo Cometæ a loco obſervationis, AQ.) nullo negotio & ſine calculo trigonometrico, ſic addiſcitur:

Si *Interſtitiũ* & *Diſtantia reducta* numerantur in plagam	eandem (ut ſint ſimul vel occident. vel orient.)	Semi-interſtitii, Quadrante auċti, & Diſtantiæ reductæ	Summa	Semicirculum non excedente; Hæc ipſa Summa	exhibet *Angulum Intervalli*;
	oppoſitam (ut illud ſit occid. hæc orient. aut vice verſa);		Differentia.	Semicirculum excedente; Exceſſus hujus complementum ad Semicirculum	

Igitur ab interſtitii occidentalis ACB 150°. 0′, ſemiſſe 75°. 0′, cum Quadrante, id eſt, 165°. 0′, ſi ſubducatur diſtantia reducta orientalis, EAH ſeu RPQ 80°. 0′ (cum plagas obtineant oppoſitas) relicta differentia 85°. 0′, æquatur *Angulo intervalli* h. l. ABQ. III. *Parallaxis Æquatorea*. Ita angulum repræſentatum hic utcunq; (neq; enim charta debitam menſuram capit) per AQB vel QAS, dum accommodatius vocabulum non ſuppetit, interim liceat nominare: ſiquidem in Plano ſi non æquatoris, ejus tamen vicarii Paralleli, ſecundum gradus etiam æquatoris, licet eccentrica quadam ratione, aliter quidem ac Parallaxis aſcenſionis rectæ, viſibilem determinationem accipit. Quam peculiarem Parallaxin ex obſervatis, nuda itidem collectione ita enucleamus;

Si *Interſtitium* & *Diſtantia intermedia* numerantur in plagam	eandem;	complementi Semi-interſtitii, & Diſtantiæ intermediæ	Summa ſemi circulum	non excedente; Hæc ipſa Summa	ſiſtit Angulum, a quo ſi auferas *Angulum Intervalli*, reſidua erit *Parallaxis æquatorea*.
	oppoſitam;		Differentia	excedente: Exceſſus hujus complementum ad Semicirc.	

 Sic

Sic Semi-Interſtitii 75°.0′, complementũ 15°.0′, nec non diſtantia intermedia EAQ, 71°.11′, quia verſus eandem plagam occidentalem numerantur, ſimul addita, efficiunt Summam, quæ ſemicirculum non excedit, 86°.12′. Hinc ablato Angulo Intervalli nuper cognito ABQ, 85°.0′, relicta differentia eſt *Parallaxis æquatorea* AQB, 1°.12′. Dixi, *auferendum* ſemper, adeoque nunquam majorem eſſe Angulum intervalli, hoc Angulo poſterius invento. Nam ſi *major* forſan prodeat, error inter obſervandum aut computandum irrepſit; Sin *æqualis* fuerit, Phænomeni Intervallum a loco A vel immenſum erit, vel tantum ſaltem, ut per inobſervabilem Parallaxin nequeat ſatis determinari; cum proportio inter diſtantiam, quanta lineæ viſoriæ BQ & AS, tunc quaſi parallelæ, disjacent, (in præſenti caſu 1053 Mill. Germ.) & longiſſimum illud Intervallum, ad ſenſum evaneſcat. IV. *Declinatio*. Septentrionalis ſit, an Meridionalis, nihil refert. Nec indigemus vera, qualis ex centro Terræ ſpectaretur; ſed ſolum viſibili, ad Planum Paralleli terreſtris, nec non locum habitationis A, velut centrum apparens, relata. Et hactenus quidem Cometam noſtrum conſideravimus perinde, quaſi ſemper (quod vix unquam tamen uſu veniet) in ipſo Plano Paralleli noſtri, indefinite extenſo, motum ſuum omnem exercuerit, Declinatione ejus viſibili (qualem, & quotidie illam quidem variabilem, Cometæ communiter poſſident,) ſtudio diſſimulata: Sed hac etiam debite nunc attenta, corpus Cometicum non in ipſo puncto Q, verum perpendiculariter ſupra illud (ob declinationem Septentrionalem) in puncto T (vid. Fig. 2) hærere intelligitur, ita ut QAT ſit 15°.0′, angulus Declinationis apparenter obſervatæ. Proinde *Intervallum verum*, quod quærimus, AT adhuc longius eſt iſta, cui incumbit, linea in Plano Paralleli ducta, AQ; quæ dicenda potius (ſi *Keplerianum* terminum huc trahamus) *intervallum curtatum*, vel (ut Dn. *Hevelius* in parili negotio loquitur) *veſtigium intervalli*. V. *Latitudo loci* ſeu elevatio poli. Quam aſſumo exempli ergo 50°.30′. VI. *Numerus binarius*. Hoc enim omiſſo, Semi-Intervallum ſolummodo prodit. Quibus omnibus ita conquiſitis, per ipſam palmariam operationem dabitur amœniſſimus calculi exitus. Unica namque additione tot Logarithmorum, quot ſunt Data, res omnis peragitur; ſi ſaltem memineris, ex Aggregato Numero characteriſtico, tres Denarios tandem abjicere. Habebis hoc pacto ſtatim Logarithmum Intervalli veri AT, in Semidiametris Terræ. En praxin!

I. Semi-

	° ′			
I. Semi-interſtitium,	75. 0.	Log. Sin.	9. 984944.	
II. Angulus Intervalli,	85. 0,	Log. Sin.	9. 998344.	co. ar.
III. Parallaxis æquatorea,	1. 12,	Log. Sin.	1. 678973.	co. ar.
IV. Declinatio,	15. 0.	Log. Sin. compl.	0. 015056.	co. ar.
V. Latitudo Loci,	50 30,	Log. Sin. compl.	9. 803511.	
VI. Numerus binarius,		Logar.	0. 301030.	

Cometæ intervallum quæſitum, Sd. T. $60\frac{514}{1000}$ Log. (3) 1. 781858, accedens proxime ad Intervallum Lunare. Quod ſi placuerit ſimul addere VIIum Logarithmum 2. 934498, Numeri 860, quivis intelligit, proditurum Intervallum in Mill. German. 52042. Demonſtratione prolixa, quam conſideratio Schematiſmi ſupplere poteſt, ſuperſedemus, nonnulla ſaltem *monita* ſubnectentes. *Primo*, cavendum, ne attenuetur nimis Angulus parallacticus AQB, oppoſitumve Latus AB. Tunc enim vix certi quid de intervallo pronunciare licet. Quare, uti minor latitudo loci, cæteris paribus, præſtat majori; ita & Interſtitium temporis, quantum poterit ſemidiurno (180. 0) proximum, ad inſtituendas obſervationes ſeligatur; inprimis autem diſtantia Phænomeni a meridiano tanta capiatur, ut quoad ejus fieri poteſt, tanto major inde Parallaxis æquatorea prodeat. Id quod eo magis obtinebitur, quo propius Angulus Intervalli ad Quadrantem acceſſerit. Sufficit, ad delectum obſervationum, huc attendiſſe.

Parallaxin æquatoream	maximam (ad datum Interſtitium)	eſſe quando Diſtantia reducta æquatur	vel	Semi-interſtitio,	cum plaga utriusque	oppoſita;
				Semi-interſtitii complemento ad Semicirc.		eadem;
	nullam		vel	Semi-interſtitio, Quadrante aucto,		oppoſita;
				Semi-interſtitii complemento (ad Quadr.)		eadem.

Secundo, ſi quis præter Intervallum Cometæ, ſeu Phænomeni, a loco obſervationis, ipſum Intervallum a centro terræ rigide poſtulet, quod tamen ab illo nunquam ultra ſemidiametrum terreſtrem differt, leviori quidem manu id aſſequetur, ſi *altitudinem apparentem* Cometæ ſimul obſervaverit. Nam ex datis Sd.

cis Sd. Terræ, & Intervallo a loco obſervationis, cum angulo comprehenſo, qui ex altitudine viſa & Quadrante componitur, notiſſimum eſt, elicere Intervallum a centro, cum *parallaxi altitudinis & Horizontali*. Quæ ſingula tamen, ipſaque *altitudo apparens*, quin & *Azimuth, Diſtantia vera* a meridiano, *veraque declinatio*, & hinc *Parallaxis* genuina *declinationis & aſcenſionis recta*, brevi quoque artificio trigonometrico (abſque ſolutione Trianguli Obliquanguli ſphærici) erui poſſunt ex tribus ſaltem Datis, latitudine loci, declinatione viſa, & diſtantia apparente a meridiano. Nam (vid. Fig. 3.) Logar. Sin. totius + Log. Tang. QAT, Declin. appar. 15° 0′ 9″ — Log. Sin. Compl. EAQ, Diſt. intermed. 71° 12′ 0″ = Log. Tang. QΨT, 39° 44′ 31″. Qui angulus + complem. Latit. Loci QΨΦ, 30° 30′ 0″. = TΨX, 79° 14′ 31″: cujus Log. Sin. + Log. Sin. QAT, Declin. 15° 0′ 0″ — Log. Sin. QΨT, 39° 44′ 31″ = Log. Sin. TAX, *altitudo apparens* Cometæ, 23° 26′ 7″. Porro Log. Sin. totius + Log. Sin. compl. TΨX, 79° 14′ 31″. + Log. Tang. QAT, 15° 0′ 0″ — Log. Sin. QΨT, 39° 44′ 31″. — Log. Sin. EAQ. 71° 12′ 0″ = Log. Tang. compl. XAω, *Azimuth* Cometæ occidentale, 85° 16′ 33″. Hinc uſitate colliguntur, *altitudo vera*, 24° 17′ 54″; *Parallaxis altitud.* 0° 51′ 47″, & *horizontalis*, 0° 56′ 26″; *Intervallum a centro Terræ*, Sd. T. 60 $\frac{912}{1000}$; *Declinatio vera*, 15° 39′ 2″; *Diſtantia vera a merid.* 70° 36′ 42″; adeoq; *Parallaxis declinationis* 0° 39′ 2″, & *Parall. aſcenſionis recta* (Ang. AQC in Fig. 1) 0° 35′ 18″, cujus dupla fere eſt *æquatorea* illa, ſupra obſervata, 1° 12′. *Tertio*, ſcrupulum, quem circa annuum Telluris motum fortaſſis movere quis poſſit, nil moramur, quem & ipſimet Copernicæi (Leg. *Hevel.* Cometogr. L.) hic inſuper habent: & ut in horum denique gratiam a proprietate & evidentia ſacrarum literarum recedamus, nulla equidem demonſtratione, hoc nomine digna, hactenus cogimur. Καὶ ταῦτα μὲν ταύτῃ.

COM-

COMMENTARIUS CAROLI PATINI IN TRES Inſcriptiones Græcas Smyrna nuper allatas.

Patavii ex typographia Seminarii Patavini Anno 1685 in 4.

SMyrnæis illis marmoribus, quæ inter Marmora Oxonienſia ex Arundellianis, Seldenianis, aliisque conflata, & ab Humphrido Prideaux recenſita & explicata, loco principe ſunt conſpicua, ut & Lapidi illi oblongo Smyrnæ effoſſo, quem ab viro cl. Iſmaele Bulialdo viſum deſcriptumque Th. Reineſius, feliciſſimus Antiquitatum evolutor, in Syntagmate Inſcriptionum Antiquarum claſſe I. n. XLIII exhibet, adjungi omnino merentur tres lapides Smyrna non ita pridem Venetias advecti, jamque a cl. Patino, indefeſſo illo Antiquario, publicati, & commentario illuſtrati. Nam & hi non minus, quam reliqua marmora, a Thoma Howardo ex Aſiæ Græciæque ruinis conquiſita, longe ſemota vetuſtate ſe commendant. TAB. XV.

Notabilis autem præ reliquis duobus, qui Heroes cum equis repræſentant, eſt primus, ſeu Tryphænæ monumentum, marmori albo puriſſimo inſcriptum, & quidem non ſolum ob inſcriptionis integritatem, ſed & ob antiquitatem. Eluceſcit hæc tum ex ſcriptura, tum ex literis quibusdam a conſueto more deflectentibus. Vocabula enim pleraque (pleraque inquam, nam & ſeparata conſpiciuntur, vel ob imperitiam cælatoris, vel ob linearum proportionem) ſunt unita vel cæteris connexa citra interſtitium; ſicuti & omnes fere Græcæ Inſcriptiones, teſte Sponio in Miſcell. p. 51. lapidibus inſculptæ in autographis ſine ulla vocum diſtinctione, ſecus quam in Latinis, lectitantur. Literas autem quod attinet, Ξ in vocabulis ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ & ΕΞΟΥΣΙΑΝ ita apparet, ut in ære ſculpta eſt. Δ ſemper trajicitur, non ima latera conjungendo ad formam trianguli, ſed in media litera; Μ medio pede ad imam literam protracto, ut æquales ſint extremi & medius; novaque iterum ratione linea VIII; litera Ν pro Γ ter ſcripta eſt in voce ΑΝΓΕΙΟΝ iterata, cum alias duplex ΓΓ ſcribi ſoleat; linea XII inſolito modo ſcriptum eſt Α; linea penultima Ρ in Γ recluditur, ſicut & linea V.

VII & IX Ε in Γ, forte ob characterum in ea exprimendorum copiam; Litera Υ nunqnam pura legitur, ſed conſtanter ei adjicitur transverſalis, vel ad latera adjunguntur puncta .Υ. Curioſa quoque eſt illa ȣ Ω pictura, ut & notulæ duæ poſtremæ hac forma ϱϱ conſpicabiles; quæ vel compendia fuere Notariorum, ut Amicus quidam Patini exiſtimavit, vel finales quadratariorum termini pro arbitrio efficti. In voce ΧΕΙΛΙΑ, ΕΙ ſcribitur pro Ι, uti in ΑΠΟΤΕΙΣΕΙ pro ΑΠΟΤΙΣΕΙ, quæ ſcribendi ratio & in aliis monumentis antiquis advertitur. Ita antem legenda eſt iſta æri inciſa Inſcriptio: Αὐρηλία Τρύφαινα Ἀλεξάνδρου ἐπισκεύασε τὸ προγονικὸν ἡρῷον αὐτῇ καὶ κληρονόμοις αὐτῆς καὶ ἀπελευθέροις, καὶ Ἀντωνίῳ Μελιτίνῳ μετὰ τῆς γυναικὸς ὁμοίας, καὶ τέκνων αὐτῶν, καὶ Παμφίλου μόνου, ὠνησαμένη τὸ καινὸν ἀγγεῖον Προκοννήσιον τὸ κατὰ τοῦ Σωλαρίου, μηδενὸς ἔχοντος ἐξουσίαν ἕτερον εἰς τὸ καινὸν ἀγγεῖον τεθῆναι, ἢ μόνης τῆς Τρυφαίνης. ὁμοίως μηδὲ εἰς τὸ ἕτερον ἀγγεῖον τὸ προγονικόν· μηδὲ ἀπαλλοτριῶσαι τὸ ἡρῷον· ὡς ἐάν τις παρὰ ταῦτα τολμήσῃ ποιῆσαι, ἀποτείσει Μητρὶ Θεῶν Σιπυληνῇ δηνάρια δὶς χείλια πεντακόσια. Ταύτης τῆς ἐπιγραφῆς ἀπόκειται τὸ ἀντίγραφον εἰς τὸ ἀρχεῖον ἀποτεθὲν ἐπὶ Στεφανοφόρου Αἰλίου Βίωνος, μηνὸς τρίτου. h.e. vertente ſic Patino, *Aurelia Tryphana Alexandri, inſtauravit hoc avitum monumentum ſibi, & heredibus ſuis, & libertis, & Antonio Melitino cum ejus uxore ſimili, & filiis eorum, & Pamphilo ſolo, cum emiſſet novum vas Proconneſium, ſitum juxta Solarium, nullo alio habente facultatem, ut ponatur in novum vas, niſi ſola Tryphana: Et pariter nec in aliud vas avitum, neque ut alienet monumentum: Ut ſi quis auſus fuerit præter hæc facere, pro mulcta pendat Matri Deorum Sipylenæ denariorum duo millia, & quingentos. Hujus Inſcriptionis ſervatur exemplar in Archivis, repoſitum tempore Stephanephori Ælii Bionis, menſe tertio.*

Illuſtrari Inſcriptio hæc poteſt vel ex ſolo illo lapide Smyrnæo, a Reineſio in Syntagmate l. c. explicato. Nam & juxta Inſcriptionem illius Græcam, Ulpia Agrippina, Heroum vel monumentum cum urnis, loculis ſeu capſulis, ſibi, viro, & liberis & poſteris ſuis, comparaverat, ea contractus lege, ut nemini jus poteſtasque eſſet illud alienandi: mulcta etiam a Domina monumenti indicitur ei, qui contra interdictum hoc ejus fecerit, certus videlicet denariorum

qu-

Digitized by Google

numerus ſolvendus eidem, cujus mentio in Tryphænæ monumento fit, *Matri Sipylenæ, Phrygiæ*, hoc eſt, uti Reineſius exponit, arcæ Flaminum & Sacraneorum Cybeles. Eſt enim Sipylene eadem cum Matre magna ſeu Cybele, a Sipylo monte, in quo ſita antiqua Smyrna erat, ſic dicta, & religioſiſſime ibidem culta. Unde & in fœdere inter Smyrnæos & Magnetas icto, quod extat inter marmora Oxonienſia fol. 8. & ſeqq. & in Syntagmate Reineſiano in Claſſe VII, uterque populus poſt Jovem, Terram, Martem, Minervam Martialem, & Dianam, jurat etiam τὴν μητέρα τὴν Σιπυλήνην; quemadmodum & Ulpianus inter Deos, quos e SCto ſeu conſtitutionibus Principum licebat hæredes inſtituere, *Matrem Deorum Sipylenen, quæ Smyrnæ colitur*, nominat. V. Reineſium l. c. Sed Patinus, ut lectoribus rerum antiquarum non ita gnaris rem gratam faceret, Inſcriptionem ſupra exhibitam verbotim exponit, eamque tum locis autorum priſcorum & vetuſtis ritibus, tum Inſcriptionibus Gruterianis, Arundellianis, Reineſianis & Sponianis, ut & nummo quodam Smyrnæo, in quo ΣΙΠΥΛΗΝΗ turrita conſpicitur, & aliis illuſtrat; cujusmodi notas & reliquis duobus lapidibus Smyrnæis a ſe pecunia cum monumento Tryphænæ comparatis addidit.

JOH. LUDOVICI PRASCHII PSYCHE Cretica,

Ratisponæ apud Joh. Georg. Hoffmannum in 12. 1685.

ANnus integer cum duobus menſibus jam eſt præterlapſus, ex quo *Reflexions ſur les Romans*, h. e. Conſiderationes fabularum Romanenſium a S.E.P. *Joh. Ludovici Praſchii* cordatiſſimi Ratisponenſium Senatoris, conjuge conſcriptas, ad Acta noſtra retulimus. In hiſce, quid palmam, quid virgulam cenſoriam mereatur in Fabulis Romanenſibus huc usque editis, ſatis accurate oſtenſum ivit doctiſſima fœmina. Sed jam a theſi illa, ut Rhetores loquuntur, progreſſus ad hypotheſin eſt maritus ejus prudentiſſimus, & fabulam Romanenſem in hac Pſyche Cretica ſua exhibet, quæ nec prolixa nimis eſt, libellis quippe tantummodo tribus, iisque brevibus conſtans, nec ludicri quippiam aut feſcennini, ut pleræque aliæ fabulæ Romanenſes,

 in ſe

in ſe continet; ſed πρέπον ubique cuilibet perſonæ conveniens obſervat; imo,niſi omnia nos fallunt, animam Chriſtianam in Eccleſia militante cum hoſtibus ſpiritualibus colluctantem,& cœleſtia anhelantem,ſub profano ſchemate,& quidem ingenioſe admodum, & ſtylo Barclajum,vel PetrumFirmianum æmulante,deſcribit. Neque enim inuſitatum eſt,ſacra dogmata ſub fabularum Romanenſium involucro lectoribus proponere; quemadmodum & illa Barlaami & Joſaphati hiſtoria a S.JohanneDamaſceno,ſeculo poſt C. N. quinto compoſita, quæ bis MSSta in Paulina noſtra extat, nihil aliud eſt, Huetio judice,quam fabula Romanenſis,ſed pia, & de divino amore agens, plane ut Pſyche hæc Cretica. Et quid quæſo Pſyche hæc aliud, quam anima Chriſtiana? Quid amaſius Pſyches Amor, a quo deſerta eſt, quam Deus ipſe, vel Salvator mundi Jeſus Chriſtus? quid Coſmus, graſſator puellæ mortem intentans, quam mundus cum ſuis illecebris? quid ſorores Pſyches duæ Sarcis & Cacodocia, quam caro & Curioſitas? quid Theophraſtus Princeps Pſychen a Coſmo liberans, quam Eccleſiaſtes animam mundanis delitiis ſubtrahens? & quid hortus ejus amœniſſimus, niſi ſacra Scriptura, & duo illius ambulacra vetus & novum, quam vetus & novum Teſtamentum? Quid Erebus, niſi Diabolus,& duo monſtra ex Orco evocata Philargyrus & Philotimus, quam avaritia & ambitio, vitia duo animæ Chriſtianæ internecina? Interſperguntur etiam epiſodia(eſt enim fabula Romanenſis nihil aliud,quam epopœia ἄμετρος) v.g. de poetarum in verſibus laſcivia, de amoribus juvenilibus, de abuſu Philoſophiæ & curioſitate in rebus divinis, de inferno item & cœlo, ubi & prægustus vitæ æternæ eleganter deſcribitur.Sed iterata lectio oculos legenti cuique magis haud dubie aperiet.Nos digitum tantum ad fontem intendere ſecundum proverbium voluimus,non dubitantes fore, ut Autor ipſemet clavem hujus fabulæ Romanenſis lectori cupido ſuppeditet.

L. COECILII FIRMIANI LACTANTII DE Mortibus Perſecutorum liber, cum notis Johannis Columbi, ad perilluſtrem & Magnificum virum Gisbertum Cuperum.

Aboæ, excudit Johannes Winter S.R.M. in Finlandia typographus,anno 1684. in 8.

L.Cæ-

L. Cœcil. Firm. Lactantii librum ad Donatum confeſſorem de mortibus perſecutorum, quem per annos plus mille in obſcuro latentem, doctiſſimus *Baluzius*, ex codice MSc. bibliothecæ Colbertinæ primum in Gallia ediderat, eumque male multatum & lacunis hiulcum aliquatenus reſtitutum *tomo ſecundo Miſcellaneorum ſuorum* inſeruerat; propter argumenti raritatem ac elegantiam, in Septentrione, *Johannes Columbus*, vir clariſſimus, cum novis obſervationibus *Giberti Cuperi*, additis etiam ſuis notis, Aboæ Finlandorum recudi nuper curavit: in quibus multa, quæ ad hiſtoriam, aut etiam puriorem ſermonem faciunt, obſervavit. Cum enim *terſiſſimus ſcriptor* de ferali ac violento exitu Cæſarum Romanorum, qui ab imperio Neronis ad ſua tempora Chriſtianos perſecuti eſſent, ex inſtituto egerit; quivis facile intelligit, hiſtoriam illorum temporum inde illuſtrari poſſe. Et quia *auctor* nimium in ſtudium armorum & militiæ, quod in Diocletiano neceſſarium fuit, invehitur, & alibi quoque (*v. libr. VI Inſt. c. XX.*) bella inter Chriſtianos in totum damnat, laudatus *editor* in libri hujus præfatione, adoleſcentes monet, ne errore hoc imbui ſe patiantur. Optavit etiam celeberrimi *Gravii* promiſſas in hoc opuſculum emendationes videre. Sed cum morte præventus ipſe piis optatis exciderit, eruditus orbis, quem obſtrictum ſibi vir ille doctiſſimus habet, easdem nunc expectat.

LVCII COELII LACTANTII FIRMIANI OPERA, quæ extant omnia; ad fidem codicum tam impreſſorum, quam manuſcriptorum recenſita.

Cantabrigiæ, ex officina Joh. Hayes, 1685, in 8.

QUi novam hanc Lactantii editionem procuravit, in illa recenſenda tribus codicibus impreſſis, Baſileenſi anno 1532, Thomaſiano Antwerpiæ anno 1587, & Thyſiano Lugduni Batavorum anno 1652 excuſis; & duobus manuſcriptis codicibus ſe uſum eſſe profitetur. Quos dum inter ſe diligenter contulit, variasque inde lectiones annotavit, emendatiorem reddere ſcriptorem elegantiſſimum ſtuduit. In præfatione monet, *Epitomen auctoris*, quæ B. Hierony-

mi ætate ἀκέφαλος fuit, in ſuis codicibus MSC. non inveniri: quare ex illis eam emendare nequivit. Sub finem operum, *librum de Mortibus Perſecutorum*, cum duabus prioribus editionibus (Pariſienſem & Oxonienſem puta,) collatum, & novis animadverſionibus auctum ſubjungit. Carmina de *Phœnice*, *Paſcha & Paſſione*, editioni Antwerpienſi addita, omiſit: quia fatente doctiſſimo Michaele Thomaſio, in nullis antiquis codicibus reperiantur.

MARTINI LISTER E S. R. LONDIN. DE Fontibus Medicatis Angliæ, Exercitatio altera.

Londini, apud Walt. Kett. 1684, in 8.

QUam A. 1682 Exercitationem priorem de Fontibus Medicatis Angliæ ediderat, (cujus contenta vide in Act. Febr. 1684.) eam ſuperiori anno Londini recuſa alteram Exercitationem annexam habet, quam in editione prioris Liſterus promiſerat. Cumque Auctor in hoc ſcripto uſum & effectus Aquarum Medicatarum explicare intendat, primum loquitur de digeſtionibus & humorum natura in corpore humano. Imprimis circa chylificationem pluribus occupatus eſt, ut demonſtret eam per putredinem fieri, quatenus aſſumta tabeſcendo convertantur in humorem ſalſum. Cui negotio non modo favet calor loci, ſed & pituita ex ſaliva præcipue oriunda. Tum porro docet, quomodo chylus reliquorum humorum & partium ſolidarum nutrimentum aſſugatur partim per vaſa lactea, partim per venas meſaraicas; item qua ratione fiat, ut crudi quaſi humores ad maſſam ſanguineam cum chylo devehantur, uti exemplo ictericorum cumprimis probat. His præmiſſis declarat Aquarum facultates, & experientia edoctus aſſerit, Aquas frigidas ſalſas, ſi potentur, vehementem ſitim, vomitus & æſtuationes ſtomachi excitare, diarrhœam movere, puſtulasque in toto corpore expellere fœdas. Contra aquæ frigidæ nitroſæ alvum obſtruunt. Aquæ frigidæ nitro-atramentoſæ vertiginem quandam & levem quaſi ebrietatem gignunt, item diarrhœam ſed indolentem, diureticæ ſunt, atq; ſi copioſius hauriantur, febres

febres pariunt. Aquæ autem calidæ ſive Thermæ uſu externo ſudores movent inter balneandum, item alvum & urinam, præſertim Buxtonenſes. Itaque thermarum uſum ſequitur plerumque macies, ſitis, viſcerumque, maxime ventriculi, debilitas.

Et quandoquidem in priore Exercitatione monſtravit aquarum medicatarum vim petrificandi, hinc concludit, a nitro calcario & ochra ſive vitriolo abortivo omnem lapidum in corpore humano generationem. Quid? quod nec aqua fontana aut pluvialis ab ejusmodi ochra & nitro immunis ſit. Commendat autem contra calculum, uti & podragram, tanquam inſigne arcanum, liquamen veneris volatile, monſtratque abhibito magnete, calculum humanum revera de ferro participare. Præterea obſervatio calculi curioſa eſt, quem ex utero vaccæ exemtum libras 20 pependiſſe, variaque conchylia intus abſcondiſſe narrat.

Tandem cum ab aliis Aquæ frigidæ commendentur adverſus melancholiam hypochondriacam, cachexiam ex morbo chronico, ſcorbutum, calculum renum & veſicæ, arthritidem, vermes, ſterilitatem fœminarum &c. inde data occaſione de cauſis & natura horum morborum diſſerit. Cumprimis ſingulare eſt, quod circa ſterilitatem mulierum annotavit, eam a cicatricibus oriri poſſe, quas variolæ ovaria occupantes relinquant.

SHORT MEMOIRS FOR THE NATURAL Experimental Hiſtory of Mineral Waters, addreſſed by way of Letter to a Friend. By the Honourable Robert Boyle, Fellow of the Royal Society.

h. e.

Apparatus brevis ad Naturalem & Experimentalem Aquarum Mineralium Hiſtoriam, in Epiſtolæ ad Amicum quendam forma concinnatus a Roberto Boyleo, Nobili Anglo ac Societatis Regiæ Membro.

Londini, apud Samuel Smith. 1685, in 8.

Si quis

SI quis Aquarum Mineralium naturam tot tantorumque Virorum indagine exhauſtam penitus ſibi perſuadeat, multum ſe falli haud difficulter ex lectione libri præſentis, quem tibi nunc L. B. exhibemus, poterit colligere. Etenim licet vel ſolus loquatur titulus, perfectam hic minime de Aquis Mineralibus expectandam eſſe Hiſtoriam, itemque monitum in frontiſpicio poſitum, celeberrimo Autori ob valetudinem æque adverſam ac alia negotia graviora, revidere ſcriptum hoc reviſumque edere locupletius minus licuiſſe, atteſtetur; maxime tamen eo allaboraſſe illuſtrem Autorem, ut talem nobis de naturali Aquarum Mineralium Hiſtoria hic conderet Ideam, quæ vulgarem multum, multa de iisdem antea fere incognita aut ſaltem neglecta revelando, amplificet notitiam, oppido e *Sectionum*, quales *ſex* habentur, eluceſcit *prima*, introductionis veluti vicem gerente, ac nonnullorum in ſequentibus pertractatorum rationes exponente. Siquidem uti Autor ingenioſiſſimus in genere cenſet, obſervationes omnes circa minerales aquas inſtituendas ad tria ſumma capita ſeu genera commode ſic revocari poſſe, ut primum circa aquas minerales in loco nativo adhuc exiſtentes, alterum circa easdem e fonte jamdum depromtas, ac tertium demum circa effectus ab aquis ejusmodi in corpore humano productos verſetur: ita in ſpecie titulos plures ad genus primum, Mineralogicum dictum, pertinentes in *ſecunda*, ad ſecundum vero, Chymico-phyſicum appellatum, qui ſpectant caput, in *tertia* ordine recenſet ſectione. Aſt cum ſecundum titulorum genus palmarium ſit, cui deſignando Autor ſuam locavit operam, ideo ſectio *quarta* & *quinta* nonniſi annotationibus quosdam ejusdem articulos deprehenduntur illuſtrare. Exhibet ſcilicet *quarta* obſervationum diverſarum experientia comprobatarum faſciculum, tanquam animadverſionis cujusdam prolixioris in Articulum 13 ſpecimen, de ipſo ſolenni Aquas Minerales gallarum ope examinandi modo, quem poſtquam convenientius, ac vulgo fieri ſolet, adhibitis quoque gallarum loco adſtringentibus aliis, adornandum docuit, cumprimis ea nec latitudine nec certitudine, quam communis fert opinio, frui oſtendit, partim quia corporibus nonnullis metallicis ſeu mineralibus de Marte haud participantibus, v. g. Arſenico &c. detegendis eſſet impar, partim quod cum certo quodam concreto naturæ metallicæ ferri

tamen

tamen experte, pariter colorem ſatis obſcurum inierit, vice verſa vero cum liquore alio ferro vel chalybe ſaltem infecto immutationem ejusmodi coloris intulerit nullam. Huc vulgarem etiam refert opinionem, pro conceſſa ab omnibus quidem arreptam, quaſi aquæ Minerales, ubi cum gallarum infuſo devenirent nigræ vel purpureæ, de Vitriolica participarent natura; pro falſa tamen ex eo potius habendam, quod cum vitriolo cupri aut plumbi divite, quale eſt v. g. Vitriolum Romanum, aut Saccharum Saturni, item certa Terræ albicantis ſpecies in Septentrionalibus Angliæ locis reperta &c. nullum ſimile obſervari potuerit phænomenon, neque Mercurii aut ſtanni, ſed ſola Auri ſolutio, gallorum pulvere adjecto evaſerit atra. Juxta hæc nihilominus annotantur ea, quæ a curioſis Aquarum Mineralium perſcrutatoribus, ut uſitatam immutationis in colore interventu viam ad majorem & latitudinis & certitudinis gradum perducant, debeant attendi, multumque eum in finem celebratur ſpiritus quidam ſulphureo-volatilis ex ſale tartari, ſulphure ac ſale ammoniaco deſtillatus, utrique vitriolo, Martiali & Venereo, manifeſtando proportionatus. Unde cum Nobiliſſ. Autor ſpiritum ſuum ſulphureum in ſe clarum a vitriolo non minus Dantiſcano magis venereo, quam Anglicano, nigrum ſubito adſciſcere colorem cerneret, probabilius ſulphura in aquis interdum deliteſcentia vitrioli ipſius adminiculo inveſtigari poſſe autumavit, quin experimento cum Arſenico quoque facto, ſolutionem hujus a parva ſolutionis vitrioli Anglicani & Dantiſcani copia inſtillata, pariter in obſcurum præcipitari colorem deprehendit. Occaſione ſic oblata in ipſius Arſenici naturam inquirit, hujusque corroſivitatem ſui fere eſſe generis, nec ex acido ſolo derivandam, tam ex guſtu, quam e varia ſolutionis Arſenici cum concretis variis ſuſpicatur miſcela. Arſenici quippe ſolutionem cum aqua ſimplici factam, neque ab oleo vitrioli, neque a ſpiritu ſulphureo-volatili turbatam, non ſolum a ſpiritu urinæ & ab oleo tartari per deliquium in lacteſcentem, ſed et a mercurio ſublimato ſoluto in ſimilem albicantem mutatam fuiſſe liquorem; item ſyrupum violarum in viridem lente vertiſſe colorem. *Quinta* vero quæ ſequitur Sectio Notas marginales multos in titulos generis ſecundi ſuggerit. Sic v. g. quoad Tit. 1. modum, quo frigoris & caloris gradus æſtimandus, tradit; quoad Tit. 2 rationem

Digitized by Google

tionem Autori uſitatam Aquas Minerales ponderandi, id quod alias in ſe ſatis difficile eſt, deſcribit, ſimulque experimenta, quibus aquæ minerales diverſæ diverſum obtinuiſſe pondus, earumque aliquæ ipſa aqua communi leviores extitiſſe fuerunt deprehenſæ, commemorat. Circa Tit. 5. nullum diſcrimen aquam inter communem ac mineralem apparuiſſe Microſcopio refertur, animalia tamen, quæ in aqua, cui piper infuſum, microſcopio cernuntur, revera vita eſſe donata ex eo evincitur, quod guttula ſpiritus ſalis ejusmodi aquæ inſtillata, confeſtim animalia ipſa ſe movere, i. e. vivere ceſſent. Circa Tit. 15 Autori viam innoteſcere obſervatur, qua ſal commune in aquis mineralibus absque omni evaporatione poſſit cognoſci, quaque ipſa nec leviſſimæ aquæ omni ſale communi caruiſſe fuerint adverſæ; verum cum Nobil. Autori non permittatur eandem hic libere communicare, duos interim alios modos viris maritimis uſitatos ſuppeditat. Quantum ad Tit. 26, quomodo diverſi generis ſalia in Aquis mineralibus inveſtiganda ſint, exponitur, nullamque aquam mineralem ex iis, quæ circa Londinum proſtant, manifeſtum præbuiſſe vitriolum docetur, etiamſi pluribus in locis Marcaſitæ, Vitrioli matrices, haud deſint. Quod Tit. 27. attinet, varia ſubminiſtrantur experimenta, quibus diverſi ponderis caput mortuum a diverſis aquis mineralibus exhiberi oſtenditur &c. *Sextam* denique & ultimam ſectionem denuo Tituli reſpicientes aquas minerales, prout medicina humano exiſtunt corpori, conſtituunt, una cum concluſione ad Medicum quendam, cujus impulſu hæc de Aquis Mineralibus divulgavit, directa, qua ſpes quodammodo oſtenditur, fore ut in ſecunda editione multa hic omiſſa, ſuo ſuppleantur tempore.

AUTORITAS SEDIS APOSTOLICÆ PRO S. Gregorio Papa VII vindicata adverſus R. P. F. Natalem Alexandrum Ordinis FF. Prædicatorum in Sacra Facultate Pariſienſi Doctorem Theologum, &c. per F. Franciſcum D'Enghien, ejusdem Ordinis in alma Univerſitate Lovanienſi S. Theologiæ Licentiatum.

Coloniæ Agrippinæ, apud Joannem Kinchium, 1684, in 8.

Con-

Controverſiam de autoritate Sedis, ut loquuntur, Apoſtolicæ in Reges, inter ipſos Pontificios adeo lubricam, vexatam, & incertam eſſe, ut ipſos etiam Fratres unius ordinis in diverſas partes trahat, exemplo nunc docemur ſatis luculento. Præbuerunt ſiquidem polemico huic ſcripto argumentum ſelectæ non tantum hiſtoricæ, ac chronologicæ, verum & criticæ atque dogmaticæ ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam XI & XII ſeculi Diſſertationes *Natalis Alexandri*, Doctoris Theologi in ſacra Facultate Pariſienſi, de FF. Prædicatorum ordine. Nono is diſſertationis ſecundæ articulo p. 319. ſeq. aſſeruerat, probatumque argumentis dederat non obſcuris, Gregorium VII Romanorum primum Pontificum ſibi Regum exauctorandorum tribuiſſe poteſtatem, contra Patrum doctrinam, imo contra verbum Dei. *Adverſus eandem ſententiam*, inquit p. 348, *militant, eamque funditus demoliuntur Scripturæ ſacræ teſtimonia. Regnum meum non eſt de hoc mundo* (inquit Chriſtus) *Et, Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo* &c. Præterea articulo decimo nullius ponderis docuerat eſſe argumenta, quibus novam illam ac ſingularem opinionem ſuam, de poteſtate exauctorandi Reges, Romano Pontifici & Eccleſiæ a ſe attributa, probare nitatur Gregorius VII in Decretali Epiſtola ad Herimannum. Effatum quippe Chriſti (*quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis*) de ſolis peccatis exaudiendum eſſe & cenſuris: de poteſtate vero abſolvendi ſubditos a fidelitatis juramento, quo Regi ſunt adſtricti, ſi quis exponeret illud, eum peccare contra decretum Synodi Tridentinæ, & contra Profeſſionem fidei ab ipſa præſcriptam. Tum autoritate Apoſtoli dicentis, *Neſcitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis ſecularia?* abuſum fuiſſe Gregorium, quod Paulus non propriam ſacerdotum poteſtatem eo loco innuat, ſed communem fidelium omnium in judicandis fratrum litibus, quæ de ſecularibus rebus moventur facultatem, ſi ad ipſos cauſarum hujusmodi arbitrium deferatur. Porro, verba Gregorii Magni ex Epiſtola ad Senatorem (*Si quis Regum, judicum, atque ſecularium perſonarum, hanc Conſtitutionis noſtræ paginam agnoſcens, contra eam venire tentaverit, poteſtatis honorisque ſui dignitate careat &c.*) imprecantis, non imperantis eſſe, non decernentis, non judicantis: quemadmodum & illa (*in æterno examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat*) eo-

que poteſtatem exauctorandi Reges, aut quamlibet in eorum temporalia autoritatem penes Romanum Pontificem reſidere, non niſi inepte ex hujusmodi execrationum atque devotionum formulis confici. Senſumque adeo Sancti Gregorii parum aſſecutum eſſe Gregorium VII, qui e verbis imprecantis collegerit, ipſum decreviſſe, ut deponantur Reges, qui violarent Xenodochii privilegium. Exauctorationem denique Childerici Regis Francorum ex Merovingia ſtirpe poſtremi, & abſolutionem Francorum a juramento, quo ſuam ipſi fidem obſtrinxerant, a Zacharia, ut volunt, peractam; fabuloſam eſſe. *Novam itaque* (ſic concludit Doctor Pariſienſis d. l. §. XIII p. 301) *& ſingularem opinionem, quam invexit* (Gregorius VII) *de poteſtate Eccleſiæ in temporalia Regum, ſalva quæ ipſius dignitati ac eximiis virtutibus atque miraculis debetur reverentia, ut falſam, & Scripturæ ſacræ, atque Traditioni diſſentaneam, nec Eccleſiæ judicio & aſſenſu receptam deſcrimus, rejicimus.* Unde nec alibi erroneam, invidioſam, privatam opiniunculam, periculoſam, a ſacra facultate Pariſienſi merito damnatam, ipſam vero exauctorationis ſententiam a Gregorio latam, non ſolum de jure, ſed & de facto nullam & irritam, dicere dubitavit. Hæc itaque & id genus alia ſunt, quorum elenchum Lovanienſis hic de autoritate Sedis Apoſtolicæ in Reges liber ſibi habet propoſitum. Quo ſucceſſu eundem vero præſtiterit, ex ipſo, quo utitur paſſim, armorum genere felicius, quam ex aliena recenſione, ſincerus cordatusque lector judicabit.

DELLA VITA DI GAJO CILNIO MECENATE.

id eſt:

Vita C. Cilnii Mæcenatis, deſcripta & illuſtrata a Doctore Jacobo Maria Cenni.

Romæ, apud Franc. de Lazari, 1684.

QUam non depereant collata in bonarum literarum cultores beneficia, vix illuſtriori exemplo quam Mæcenatis deprehenſum eſt. Hic enim cum intimis Auguſti conſiliis admotus fortuna tanta prudenter uteretur, & in diſpenſandis amicitiis primas partes deferret eruditis, quos beneficiis crebro cumulatos prolixo favore apud ipſum

ipſum Auguſtum ſublevabat, famam ſibi peperit nullo unquam temporis tractu obruendam; ita ut hodienum poſt interjecta tot ſecula in memoria atque ore omnium perpetuo verſetur, & immortalitatem nominis famamq; ſempiternam redemerit. Nec enim Patrono tam munifico ingratos ſeſe exhibuere eruditi. Ut enim Scriptores coætaneos prætereamus, in quibus utramque paginam ſæpe Mæcenatis laudes faciunt; ne recentioribus quidem temporibus decora defuerunt ingenia, quæ tanti herois famam ſolicite propagarent, vitamque ejus in exemplum, omni poſteritati memorabile, ſcriptis conſignarent. Notiores ſunt *Cæſaris Caporalis* & *Joh. Henr. Meibomii* aliorumque labores, quam ut a nobis exponi debeant. Acceſſit his nunc qui recens ad nos perlatus eſt, eruditiſſimi viri *Cenni* de vita Mæcenatis libellus in binos libros diviſus: quorum prior vitam Mæcenatis ad tempora usque Jani poſt Actiacam victoriam clauſi, reliquam ſecundus continet, diverſitate obſervationum eruditarum, quas ſubinde Auctor aſpergit, jucundiſſimam. Sic ubi de Mæcenatis hortis agit, ſepulchra plebis non Auguſti, ſed priſcorum Regum temporibus, in Esquilino fuiſſe probat, & Priapeia iſta, quæ adhuc hodie extant Priapi ſacello hortis iſtis incluſo deberi aſſerit. Domum quoque Mæcenatis ex optimis Scriptoribus delineat, & utrum famoſa illa turris conjuncta eidem fuerit, examinat. Inde dum eruditos, qui Mæcenatis amicitia floruerunt, enumerat, rationes excutit, quare Ovidius nullam ejusdem in ſuis operibus mentionem faciat; & tandem dum mores noſtri deſcribit, ſuſpiciones de vagis ejusdem amoribus diluit, Senecæque criminationes refellit. In calce libri habetur index operum Mæcenatis & fragmentorum, quæ nobis inde reſtant; notæ denique illuſtrationi aliquot locorum inſervientes ſubjiciuntur.

GEORGII SCHUBARTI ENARRATIO PARERgica Metamorphoſeos Ovidianæ, de diluvio Deucalionis. Accedit Thomæ Reineſii diſſertatio critica de Sibyllinis oraculis.

Jenæ, apud Jo. Niſium, 1685, in 4.

OVidii transformationum libri, carmine ſublimi epico ſcripti, non ex titulo ſolo æſtimari debent, quaſi fabularum ſerie de-

ſcriberentur ibi ſacra gentium, inſtituta ac ritus varii ſub hoc involucro laterent, ad demulcendos hominum animos. In Virgilio laudetur ingenii divinioris præſtantia, ipſeque regulam faciat, quam tuto ſequantur cæteri; in Ovidio plus eſt operæ ac ſapientiæ veteris, cui ſemper pretium ſtatuerunt, qui cum numeros obſervant in verſu & gloriam inventionis, tum reconditæ veritatis ac doctrinæ potiſſimum ſemina anquirunt. Speciminis loco doctiſſimus Auctor partem Metamorphoſeos celebratiſſimam *de diluvio Deucalionis* propoſuit, in quo explicando ætatum a priſcis fictarum ordinem erudite indicavit, ac ſimul occaſionem, quam aucupatus fuerit Poeta, Auguſto Imperatori poſt tot cruenta bella velut in tranquillitate applauſurus, oſtendit.

Inter cauſas, quibus Numen cœleſte motum eſt, ut univerſali & plenario diluvio mortales exſcinderet, morales juxta naturalesque cum Ovidio ponit. Corruptos enim adeo ſubjectos deſcribit, perque intervalla magis magisque defeciſſe ait, qui non ſolum regi ac magiſtratui obſequia, ſed ipſi quoque Deo conditori ſuo cultum denegaverint: qui exuto pudore in omne nefas prolapſi, dolo, inſidiis, vi, blanditiis nocere ſingulis optaverint. Ubique autem comparatio inſtituitur inter hiſtoriam & fabulam, cunctaque ad fontes reducuntur, paucis quidem allatis, ſed præcipuis ex antiquitate documentis. Gigantum inprimis anſa, & ſtolida regnandi cupiditas, quorſum pertineant, brevibus declarat. Naturæ ſoli qui diluvii magnitudinem adſcribunt, eos modeſte relinquit, facta tamen ſeria percenſione, ac dijudicatione illorum, quæ jam olim & nuper commenti ſunt nonnulli. Aquarum terras inundantium copiam ductu vatis Peligni tradit, & cum ſacris conciliat, rejectis *ὡς ἐν παρόδῳ* quæ de mari & fontibus magnæ voraginis perverſe cumulantur. In ipſo diluvio quomodo Deucalion ſervatus ſit cum ſuis, nova ſectione docetur; ac quis egreſſus in aridam, quis modus fuerit genus humanum reparandi, additur præterea, cum applicatione ad Noachum, ejusque tempora. Eventus diluvii tandem a pœnæ gravitate, mira tamen clementia Dei in mediis fluctibus, deſcribitur, perpenſa quæſtione pariter de univerſalitate hujus ſupplicii.

THOMAM REINESIUM Germaniæ noſtræ & Lipſiæ hujus præcipuum ornamentum, alibi laudavimus, a ſtudiis plane ſingularibus

ribus

ribus & judicio maximo. Is cum ſcripſerit plura, tamen edidit pauca, quæ in muſeis doctorum virorum adhuc ſuperſunt. Neque facile quis negaverit, ingentem doctrinæ ſolidioris partem ipſum Quæſitis per epiſtolas abſolviſſe, quas ad eruditos de quovis argumento quotidie prope mittebat. In his eſt præſens diſſertatio *de Sibyllinis oraculis*, ad HENRICUM GEBHARDI, alias WESENEERUM, Cancellarium quondam Saxo-Altenburgenſem, qui vaticiniis his multum tribuebat. Ut autem rectiora monſtraret Reineſius, ea quæ ſuperſunt, a Chriſtianis heterodoxis profecta eſſe dicit: qui ſæculis primis ab inſtaurata eccleſia mire delectati fuerint id genus enthuſiaſmis, indeque natis prædictionibus. Provocat hoc fine ad ſcripta Irenæi, Epiphanii panarium, Auguſtinum de hæreſibus; in primis etiam nominat oppoſitos Apoſtolis Nazaræos, Cataphryges, eorumque primipilum Montanum, ac ſimiles: quorum pleraque non ſint prædictiones de futuris, ſed eorum quæ a Prophetis & Apoſtolis hauſerint novæ ac vanæ incruſtationes. Hinc docet, quomodo a Patribus uſurpata vel probata aliquando ſint, a Juſtino martyre præcipue, quem credulitate peccaſſe in talibus ait & exemplis probat: itemque ſuboluiſſe mox Romanis, Chriſtianorum Sibyllina diſcrepare omnino a ſuis, quæ vetuſtiora in extremis reipublicæ neceſſitatibus obtinuerint, quare & lege prohibita ſint. Nec male diſcernit ea, quæ in manibus erant omnium, Chriſtianorum & Gentilium, ab his quæ in templo Veſtæ aſſervabantur, & non niſi a certis hominibus rariſſime evolvebantur. Theophili, Clementis Alexandrini, Origenis, & Celſi Epicurei, Lactantii quoque & aliorum ſententias recenſet paucis ac dijudicat, ut adeo conſtare poſſit cuivis, quid de volumine Sibyllinorum, quæ legimus hodie, & ipſis Sibyllis cenſendum. Quando vero celebrata illa acroſtichis injiceret ſcrupulum longe plurimis, facultate critica rite adhibita demonſtrat ſimiliter, quænam ſit illa, & unde domo? quare nihil reliquit amplius dubium aut ſuſpectum.

Sed de Sibylla omnique ejus vaticinandi facultate, iſtisque de Chriſto oraculis, quid ſentiendum ſit, vere ac ſolide oſtendit celeberrimus vir *Petrus Petitus*; cujus doctiſſimum de hoc argumento commentarium, Pariſiis huc miſſum, noſtri jam excudunt typi: cujus, ubi abſolutus fuerit, ſumma capita in ſequentis anni Actis comparebunt.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
AUCTORUM AC RERUM.
I. *Theologica & ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam ſpectantia.*

ANonymi Diſquiſitiones Criticæ, de variis Bibliorum Editionibus. Item Caſtigationes Theologi cujusdam Pariſienſis ad opuſculum Iſaaci Voſſii de oraculis Sibyllinis &c. 1
Anonymi quatuor Dialogi. 1. de Immortalitate animæ: 2. de Exiſtentia Dei. 3 de Providentia. 4. de Religione. 59
Anonymi Apologia pro Reformatis Angliæ. 68
Anonymi Triumphus Chriſtianitatis, ſive vita Cl. Flaviani Juliani Apoſtatæ. 71
Anonymi Angli Tractatus adverſus Reprobationis abſolutæ decretum. 94
Anonymi Reſponſio ad varias obſervationes in D. Henrici Mori Expoſitionem Apocalypſeos & Danielis. 119
Anonymi Gallia tota Catholica ſub regno Ludovici Magni. 123. 157
Anonymi Diſcurſus de Confeſſione Auriculari, qualem Concilium Tridentinum præſcribit, & Praxis Romanæ Eccleſiæ ſervat. 355
Anonymi Auctoris Criticæ generalis Hiſtoriæ Calviniſmi a Maimburgio editæ, Nova Epiſtola. 417
Anonymi Epiſtola de Conciliatione Religionum ad Congregationem Cleri Gallicani. 506
Anonymi Epiſtola, qua oſtenditur, ſcriptum non ita pridem ab Arnaldo publici juris factum non eſſe Divi Athanaſii. 511
Abbadii *Tractatus de Veritate Religionis Chriſtianæ.* 126
Theodori Abucaræ *Tractatus de Unione & Incarnatione, edente Andrea Arnoldo.* 509
Natalis Alexandri *Selecta Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capita, & in loca ejusdem inſignia diſſertationes.* 329
F. Franciſci d' Anguien *Auctoritas Sedis Apoſtolicæ, pro Gregorio Papa VII vindicata adverſus Natalem Alexandrum.* 590
Antonii Arnaldi *Diſſertatio de modo, quo Deus tempore Vet. Teſtam. per miniſterium Angelorum frequentia miracula fecerit, Malebranchio oppoſita.* 309

S. Atha-

S. Athanaſii *Syntagma doctrinæ ad Clericos & Laicos,*
edente Andrea Andrea Arnoldo. 509
Athenagoræ *Athenienſis Philoſophi Chriſtiani Liber de Reſurrectione mortuorum cum notis Adami Rechenbergii.* 493
Jacobi Boileau *de Adoratione Euchariſtiæ Libri duo, & Diſquiſitio de Præcepto Divino communionis ſub utraque ſpecie* 367
Rogeri Boyle *Summa Theologiæ Chriſtianæ.* 230
Gilberti Burneti *Hiſtoria jurium Principis circa Beneficia Eccleſiaſtica & Territoria Eccleſiæ* 548
D. Abrahami Calovii *Scripta Anti-Sociniana in unum corpus nunc redacta.* 539
Caſſiani *a S. Elia Theologia Moralis expurgata & ordine Alphabetico digeſta.* 253
Wilhelmi Cave *Vita Patrum primitivæ Eccleſiæ.* 85
Diſſertatio de Regimine veteris Eccleſiæ. 117
Clementis *Alexandrini Liber,* Quis divis ſalutem conſequi poſſit. 246
Davidis Clerici *Quæſtiones Sacræ.* 232
Caroli le Cointi *Annales Eccleſiaſtici Francorum.* 338
Joh. Columbi *notæ ad Lactantii Librum de Mortibus Perſecutorum* 584
Richardi Coſini *Eccleſiæ Anglicanæ Politia.* 106
Samuelis Cradocci *Hiſtoria Veteris Teſtamenti methodice digeſta.* 205
Fabri *Replicatio facta Alnaldo pro defendendo Libro de Rationibus invictis.* 412
Johannis Fechtii *conſideratio ſtatus damnatorum, quod actiones ipſorum inprimis malas concernit.* 179
Ludovici Ferrandi *Liber Pſalmorum cum argumentis, paraphraſi & annotationibus.* 60
Tractatus de Eccleſia contra Hæreticos, præcipue Calvinianos. 561
Reſponſio ad Apologiam pro Reformatione, Reformatoribus, & Reformatis. 565
Danielis Hervei *Explanatio Hiſtorica Apocalypſis B. Johann. Apoſtoli* 95
Joachimi Hildebrandi *vita æterna ex lumine naturæ oſtenſa, & ex Pentateucho Moſaico evicta* 27
Jacobi Hommey *Supplementum Patrum e MSS codicibus erutum notisque illuſtratum* 464

Jurii *Vindiciæ doctrinæ Moralis Reformatorum ab accuſationibus Arnaldi.* 409

Præjudicia adverſus Papiſmum. 522

I.K. Regula credendorum, ſeu methodus polemica ad omnes homines a Religione vera diſſidentes convertendos 92

Lucii Cœlii Lactantii *Firmiani opera quæ extant.* 265

De Mortibus Perſecutorum Liber cum notis Johannis Columbi. 584

Opera quæ extant omnia. 585

Larroquii *Tractatus novus de Regalia.* 556

Martini Lipenii *Bibliotheca realis Theologica* 403

Wilhelmi Lloyd *Hiſtorica relatio de regimine Eccleſiaſtico Magnæ Britanniæ & Hiberniæ* 120

Eugenii Lombardi *Regale Sacerdotium Romano Pontifici aſſertum* 376

Malebranchii *Tractatus de Natura & Gratia* 286. 305

Ludovici Maimburgii *Tractatus Hiſtoricus de Inſtitutione & Prærogativis Eccleſiæ Romanæ ejusque Epiſcoporum.* 216

S. Pontii Meropii Paulini *Opera ſecundum ordinem temporum nunc primum diſpoſita, & variorum notis illuſtrata.* 482

Petri Poiret *Cogitationes rationales de Deo, anima & malo* 547

Petri Poſſini *Theſaurus aſceticus, ſive Syntagma opuſculorum octodecim a Græcis olim Patribus de re aſcetica ſcriptorum* 488

Dionyſii Sammarthani *Tractatus de Confeſſione contra errores Calvinianorum* 520

Emanuelis a Schelſtraten *de Diſciplina Arcani contra diſputationem Erneſti Tenzelii diſſertatio apologetica* 541

Sebaſtiani Schmid *Commentarii ſuper librum Prophetiarum Jeremiæ* 353

Reſolutio brevis cum paraphraſi verborum Evangelii D. Johannis Apoſtoli 355

Viti Ludovici a Seckendorf *Chriſtianiſmus* 343

Rabbi Simeonis *Ben Jochai Liber SOHAR in Legem* 359

Thomæ Sparck *L. Cœlii Lactantii Firmiani quæ extant, recognita & commentariis illuſtrata* 265

Philippi Jacobi Speneri *Evangelica fidei juſtitia contra Johannem Brevingium aſſerta* 227

Theophi-

Theophili Spizelii *Literatus feliciſſimus S. Metanœa Proſelytus, ſive de converſione literatorum Commentarius.* 183
S. Theodoreti *Epiſcopi Cyri operum Tomus V, nunc primum in lucem editus a Joh. Garnerio S. I.* 47
S. Theophili *Epiſcopi Antiocheni ad Autolycum Libri tres, recogniti & notis illuſtrati* 197
Joh. Turneri *Exercitationes de non conceſſo Judæis uſu promiſcuo librorum Canonicorum V.T. & de vera pronunciatione nominis Tetragrammatis inter Judæos* 198
F. Petri Valeſii *ord. S. Franciſci Cauſa Valeſiana* 276
Volpilerii *character vera & falſæ pietatis* 405
Henningi Witten *memoria Theologorum noſtri ſeculi clariſſimorum renovata centuria* 408

II. *Juridica.*

Antonii Dandini Alteſerræ *Recitationes Quotidianæ* 453
C, B. & G. G. Ephemerides Fori, ſive Collectio principalium deciſionum in univerſis Parlamentis & ſupremis Galliæ curiis latarum 300
Petri Biarnoy *de Merville Examen juridicum in jure Canonico* 267
Franciſci Clarcke *Praxis Fori Eccleſiaſtici* 268
Danielis Claſenii *Commentarius in Conſtitutiones Criminales Caroli V* 299
Joh. Doujatii *Notæ in J. P. Lancellotti Inſtitutiones juris Canonici* 469
Joh. Eichelii *Commentarius in Tit. Digeſt. de diverſis Regulis juris antiqui* 188
Laurentii Theodori Gronovii *Emendationes Pandectarum juxta Florentinam editionem examinatæ* 531
Petri Hevini *decreta Parlamenti Britannici, cum Annotationibus* 61
Joh. Wilhelmi Itteri *de Feudis Imperii commentatio methodica* 366
Joh. Pauli Lancelloti *Inſtitutiones Canonici juris cum notis Johan. Doujatii* 469
Joh. Leleti *Obſervationes in Conſuetudines Pictonum* 37
Joh. Meurſii *Themis Attica, ſeu de Legibus Atticis Libri duo* 533
Mocketi *Tractatus de Politia Eccleſiæ Anglicanæ* 100
Joh. Andreæ van der Muylen *Statuta Diœceſeos Vianenſis & Ameydenſis Commentario illuſtrata* 137

Digitized by Google

Joh. Georgii Nicolai *Tractatus de Repudiis ac Divortiis* 528
Joh. Nixdorf *opuſcula Juridico-Practica, Regnum Poloniæ Terrasque Pruſſiæ Regalis concernentia* 426
Joh. Schilteri *Inſtitutiones juris, ex principiis juris Naturæ, Gentium & Civilis* 530
Barthol. Leonh. Schvvendendörferi *Summaria Actionum Forenſium Expoſitio.* 119
Luciani Suavis *Sylloge nova plurimarum Quæſtionum deciſarum per decreta in Audientiis Parlamenti Pariſienſis lata* 107. 155
Henr. Gunth. Thulemari *Octoviratus, ſeu de S. R. I.* 138
Caſparis Ziegleri *Rabuliſtica, ſive de Artibus Rabulariis diſſertatio* 41
Richardi Zouch *deſcriptio juris & judicii Eccleſiaſtici ſecundum conſuetudines Anglicanas, & Temporalis ſecundum conſuetudines Feudales & Normannicas.* 100

III. *Medica & Phyſica.*

Anonymi ſpecimen naturalium experimentorum in Academia, quæ Lyncei lapidis dicitur factorum. 197
Anonymi Explicatio Aphoriſmorum Hippocratis. 424
Anonymi Tentamina Phyſica, probata per experientiam & confirmata per Scripturam Sacram. 496
Davidis Abercromby *Tuta & efficax luis Venereæ, ſæpe abſque Mercurio, ac ſemper abſque ſalivatione Mercuriali curandæ methodus.* 24
B. Alary *certa Febrium curatio ope remedii cujusdam Provincialis in forma Tabellarum confecti* 333
Pauli Ammanni *character Plantarum Naturalis a fructificatione deſumtus.* 228
Caſpari Bartholini *de ductu Salivali hactenus non deſcripto obſervatio Anatomica.* 30
Bernoullii *Nova Ratio aeris ponderandi.* 433
Examen ponderationis aeris per veſicam. 436
Gottefridi Bidloo *Anatomia humani corporis centum & quinque Tabulis illuſtrata.* 295
Stephani Blanckardi *Academia Carteſiana.* 144
Tractatus de Scorbuto ejusque Symptomatis, nec non demonſtra-

monſtratio Fermentationis doctrinæ Carteſii ſuperſtructa. 456

Nicolai de Blegny *Doctrina Relationum Chirurgicarum.* 454

*Joh.*Bohn *Diſſertationes Chymico-Phyſicæ, cum tractatu de aëris in ſublunaria influxu.* 404

Roberti Boyle *Tentamen Porologicum.* 422

Apparatus ad Naturalem & Experimentalem Hiſtoriam Aquarum Mineralium. 587

Danielis le Clerck *& I. Jacobi* Mangueti, *Bibliotheca Anatomica* 296

Johannis Dolæi *Encyclopædia Medicinæ Theoretico-Practicæ* 131

*Michaelis*Ettmulleri *Chymia Rationalis & Experimentalis curioſa.* 341

Medicus Theoria & Praxi generali inſtructus, h.e. Fundamenta Medicinæ vera 341

Opera omnia Theoretica & Practica. 341

Wilhelmi Gould *Experimenta circa incrementum ponderis in oleo vitrioli aëri expoſito &c.* 315

Nehemiæ Grew *Deſcriptio ac uſus pororum in cute manuum atq; pedum.* 516

Joh. Groenveld *Diſſertatio Lithologica.* 124

Griff. Hatleji *obſervatio de Conchis Foſſilibus ſeu lapide Conchite* 371

Antonii de Lewenhoeck *Anatomia & Contemplatio nonnullorum Naturæ inviſibilium Secretorum.* 533

Davidis Liſteri *Obſervatio de uſu inteſtini cæci in figurandis quorundam animalium excrementis.* 313

Obſervationes de natura & origine terræ motus ac fulminis 351

Obſervationes de modo eliciendi aquam dulcem ex marina mediante halitu plantarum marinarum, ut & de ventis Tropicis. 372

De Fontibus Medicatis Angliæ Exercitatio poſterior. 586

B. Martini *Tractatus de lactis uſu.* 83

Jacobi le Mort *Pharmacia & Chymia Medico-Phyſica rationibus & experimentis inſtructa.* 239

Joh. Muys *Praxis Chirurgica Rationalis.* 227

Joh. Nicolai Pechlinii *Theophilus Bibaculus, ſive de potu Theæ Dialogus.* 45

Digitized by Google

Joh. Conradi Peyeri *Merycologia, ſeu de Ruminantibus & Ruminatione Commentarius* 384
Roberti Plot *de origine Fontium Tentamen Philoſophicum.* 535
Henrici van Rhedee *tot Drackeſtein Horti Indici Malabarici pars V* 401
Pompeji Sacchi *Iris Febrilis, fœdus inter antiquorum & recentiorum opiniones de Febribus promittens* 558
Nova methodus Febres curandi fundamentis Acidi & Alcali ſuperſtructa. 560
Joh. Schwammerdammi *Hiſtoria generalis de inſectis.* 46
Roberti Sibbaldi *Scotia illuſtrata, ſeu Prodromus Hiſt. Natur. Scotiæ* 173
Silveſtri *Obſervatio ſingularis de Fractura in qua nova quadam efformata ſuit Articulatio* 513
Joh. Chriſtoph. Sturmii *Phyſica Conciliatricis Conamina.* 93
Joh. Henr. Suiceri *Compendium Phyſicæ Ariſtotelico-Carteſianæ* 492
Eduardi Tyſon *Anatomia Apri Mexicani Moſchiferi.* 75
Raymundi Vieuſſens *Neurographia univerſalis.* 335
Georg. Wolfgangi Wedelii *Amœnitates Materiæ Medicæ.* 123
Joh. Segeri Weidenfeld *de Secretis Adeptorum, ſive de uſu Spiritus Vini Lulliani Liber 1.* 87

IV. *Mathematica.*

Anonymi Elementa ſeu Principia Geometriæ. 481
Thomæ Backeri *Clavis Geometrica Catholica, ſive Janua Æquationum reſerata.* 25
Franciſci Blanchini *Cometes anno 1684 menſe Junio Julioque Romæ obſervatus* 189.241
Nova methodus Caſſiniana obſervandi Parallaxes & diſtantias Planetarum a terra, tentata Romæ. 470
Blondelli *Balliſtice, ſive Ars jaciendarum bolidum igniariarum (Bombarum.)* 164
Curſus Architecturæ. 438
P. Pauli Caſati *S. I. Mechanicorum libri VIII.* 247
Joh. Cevæ *Opuſcula Mathematica de Potentiis obliquis, de Pendulis, de Vaſis, & de Fulminibus.* 493
G. S. Dörfelii *Methodus nova, phænomenorum cæleſtium intervalla a terris facillime determinandi &c.* 571

Valen-

Valentini Eſtancel *S.I. Uranophilus Cæleſtis peregrinus.* 235
Thomæ Everardi *Deſcriptio & uſus virgæ Stereometricæ pro doliis metiendis.* 269
H. Gautier *Tractatus de Munitionibus ſecundum hodiernam praxin* 480
Joh. Hevelii *Annus Climactericus, ſive Rerum Uranicarum obſervationum annus quadrageſimus nonus* 141
Phil. de la Hire *Sectiones Conicæ.* 399
Adami Adamandi Kochanskii *S.I. Conſideratio ſpeciminis Libri de Momentis gravium Auctore L. F. V.* 262
Conſiderationes Phyſico-Mathematicæ circa diurnam Telluris vertiginem 317
Obſervationes Cyclometricæ ad facilitandam praxin accommodatæ 394
Novum genus perpendiculi pro Horologiis Rotatis portabilibus. 428
G.G.L. Demonſtratio Geometrica regulæ apud Staticos receptæ de Momentis gravium in planis inclinatis 501
P. Franciſci Tertii de Lanis *S. I. Magiſterium Naturæ & Artis, opus Phyſico-Mathematicum* 31
Ozanami *Geometria Practica, nec non Tabulæ ſinuum tangentium & ſecantium, ac Logarithmorum.* 481
P. Ignatii Gaſtonis Pardies *Elementa Geometriæ* 130
Caroli Renaldini *Mathematum Analyticæ Artis pars Tertia* 176
Joh. Chriſtoph. Sturmii *Quadratum Parabolæ, methodo Arithmetica infinitorum demonſtrata.* 259
Collegii Experimentalis ſeu curioſi pars ſecunda. 420
Joh. Baptiſta Tarragon *Tractatus de calculo hexapedario.* 480
Caroli Amonii Tortoni *Novum Microſcopium.* 478

V. *Philoſophica & Philologica Miſcellanea.*

Anonymi Memoria familiæ Stuartorum. 22
Anonymi Genius Linguæ Latinæ. 519
Franc. Angelonii *Hiſtoria Auguſta a I. Cæſare uſque ad Conſtantinum M. antiquorum numiſmatum veritate illuſtrata, cum ſupplemento Joh. Petri* Bellorii. 485

Annæ *Tanaquilli Fabri Filiæ Obſervationes in Comœdias Ariſtophanis Plutum & Nubes.* 302

Ariſtophanis *Plutus & Nubes Comœdiæ in Gallicum ſermonem converſæ cum Obſervationibus Annæ Tanaquilli Fabri Filiæ* 302

Ant. Arnaldi *defenſio adverſus reſponſionem ad librum de veris & falſis ideis.* 414

Leonhardi Auguſtini *Gemmæ & Sculpturæ antiquæ, additâ earum enarratione in Latinum verſa a Jacobo* Gronovio 272

Auguſtini Babelonii *notæ in C. Suetonii Tranquilli opera.* 448

Bohuslai Balbini *S. I. Miſcellaneorum Hiſtoricorum Bohemiæ Decadis I. Liber V & VI* 18

L. Begeri *Theſaurus ex Theſauro Palatino ſelectus, ſive Gemmarum & Numismatum, quæ in ElectoraliCimeliarchio continentur diſpoſitio.* 271

J. Bernerii *Epitome Philoſophiæ Gaſſendi.* 70

Nicolai Biffii *Commentaria in Claudii Claudiani Libros de Raptu Proſerpinæ.* 557

Luudovici Bonii *Vita Johannæ Valeſiæ Reginæ Franciæ.* 455

Chriſtoph Cellarii *Chaldaiſmus, ſive Grammatica nova linguæ Chaldaicæ.* 245

Hiſtoria Antiqua. 357

Jac. Mariæ Cennii *Vita C. Cilnii Mæcenatis, deſcripta & illuſtrata* 592

Vincentii Chartarii *Pantheon Antiquorum, exhibens imagines Deorum, qui ab Antiquis colebantur.* 212

Franciſci Combefiſii *Hiſtoriæ Byzantinæ Scriptores poſt Theophanem, partim nunc primum editi, partim recenſiti & nova verſione adornati.* 437

Q. Curtius *Rufus de Rebus Alexandri M. cum commentario Samuelis Pitiſci & variorum.* 425

Hironymi Dandini *S. I. Iter ad Montem Libanum Gallice verſum, cum Annotationibus de Theologia Chriſtianorum Orientalium ut & Mahumedanorum.* 282

Joh. Eiſenhart *Inſtitutionum juris Naturalis in Moralis Philoſophiæ doctrina Repræſentatio.* 452

R. Samuelis Elieſaris *ben Juda Nova Explanationes Hiſtoriarum toto opere Talmudico comprehenſarum* 1

Antonii

An onii Furetęrii *Specimen Dictionarii univerſalis Gallici.* 519
Thomæ Goveani *Logica Elenctica.* 65
Balthaſaris Gratiani *Vir Aulicus ex Hiſpanico Latine verſus a Dn. Ameloto Huſſao.* 89
Jacobi Gronovii *Reſponſio ad Cavillationes Raphaelis Fabretti.* 207
Johannis Harduini *S. I. Nummi Antiqui populorum & urbium illuſtrati.* 274
Notæ in C. Plinii Secundi Hiſtoria Naturalis libros. 449
Notæ in Themiſtii orationes. 460
Heis *Hiſtoria Imp. Rom. Germanici.* 392
Henr. Chriſtiani Henninii *diſſertatio paradoxa de Lingua Græca ſecundum Accentus non pronuncianda* 147
Horatius *cum Notis Petri Rondelii.* 448
Ameloti Huſſæi *Annotationes in Virum Aulicum Balthaſaris Gratiani* 89
Junii Juvenalis *& A. Perſii Flacci Satyræ cum notis Ludovici Pratei* 448
Gregorii Leti *Ceremoniale Hiſtorico-Politicum.* 303
Malebranchii *Epiſtolæ tres, concernentes defenſionem Arnaldi adverſus Reſponſionem de Ideis.* 416
Pomponii Melæ *de Situ Orbis Libri III.* 444
Franciſci Meneſtrerii *S. I. de Equeſtri dignitate veteri & nova Tractatus.* 113
Tractatus de Funerum Exornationibus. 194
Ars Emblematum. 371
Pauli Merulæ *Opera varia poſthuma.* 28
D. Georgii Mœbii *Tractatus de oraculorum Ethnicorum origine, propagatione & duratione.* 374
Leonhardi Nicodemi *Additiones locupletes ad Nicolai Toppii Bibliothecam Neapolitanam.* 447
Dan. Papebrochii *S. I. Acta Vitæ S. Ferdinandi Regis Caſtellæ & Legionis, cum Poſthuma illius Gloria.* 433
Caroli Patini *Commentarius in tres inſcriptiones Græcas Smyrnæ nuper allatas.* 581
Claudii Peraldi *Notæ in P. Papinii Statii opera.* 449
Jac. Perizonii *Animadverſiones Hiſtoricæ.* 487
Petri Petiti *de Amazonibus diſſertatio.* 390
Juliani Pichonis *notæ in C. Cornelii Taciti opera* 448

Samuelis Pitiſci *Commentarius in Q. Curtium Rufum de Rebus Alexandri M.* 415
Vincentii Placcii *Typus Medicinæ Moralis.* 56
Demonſtratio ſolida immortalitatis animæ humanæ ex ſolo lumine naturæ facta. 490
C. Plinii *Secundi Naturalis Hiſtoria Libri XXXVII cum notis Joannis Harduini S. I.* 449
P. Franciſci Pomey *S. I. Pantheum Mythicum ſeu Fabuloſa Deorum Hiſtoria.* 210
Joh. Ludovici Praſchii *Pſyche Cretica.* 583
Ludov. Pratei *Notæ in Juvenalis & Perſii Satyras.* 448
Henrick van Quellenburghs *Vindiciæ Batavicæ.* 419
Rainſantii *diſſertatio ſuper XII Nummis Domitiani, Ludos Sæculares concernentibus.* 440
Thomæ Reineſii *diſſertatio Critica de Sibyllinis oraculis.* 593
Petri Rodelii *Horatius.* 448
Caſparis Sagittarii *Antiquitates Regni Thuringici.* 361
Antiquitates Gentiliſmi & Chriſtianiſmi Thuringici. 363
Georgii Schubarti *Enarratio Parergica Metamorphoſeos Ovidianæ de diluvio Deucalionis.* 593
Sheldoniani *Theatri Curatorum Tomus I. Rerum Anglicarum Scriptorum Veterum.* 143
Jacobi Sponii *Miſcellanea Erudita Antiquitatis.* 349
Publii Papinii Statii *Opera cum notis Claudii Peraldi* 449
C. Suetonii *Tranquilli Opera cum Notis Auguſtini Babelonii.* 448
C. Cornelii Taciti *opera, cum notis Juliani Pichonis.* 448
Themiſtii *Orationes XXXIII cum notis Dionyſii Petavii & Joh. Harduini S. I.* 460
Thevenotii *itinera, in quibus referuntur res Indoſtanenſes novorum Mogolum, aliorumque Populorum & regionum Indiæ* 407
Varillaſii *Hiſtoria Franciſci I. nec non comparatio Franciſci I. cum Carolo V.* 10
Minorennitas Ludovici Sancti; adjuncta Hiſtoria Ludovici XII & Henrici II. 192
Iſaaci Voſſii *Obſervationes in Catullum.* 72

ADDEN-

Digitized by Google

SERENISSIMIS PRINCIPIBUS
AC DOMINIS,

DN. JOHANNI
GEORGIO IV,

Electoratus Saxonici Hæredi,

&

DN. FRIDERICO
AUGUSTO,

Ducibus Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Landgraviis Thuringiæ, Marchionibus Miſniæ Superioris item ac Inferioris Luſatiæ, Comitibus Principalibus Hennebergicis, Comitibus Marcæ, Ravensbergi & Barbiæ, Dynaſtis in Ravenſtein &c.

DOMINIS NOSTRIS CLEMENTISSIMIS.

Digitized by Google

QUarto anno quæ collegimus Eruditæ gentis Acta, Celſisſimis Veſtris, PRINCIPES SERENISSIMI, Nominibus inſcripta, ſubjectiſſimo nunc, anno feliciter, quæ Divini Numinis eſt benignitas, in orbem redeunte, exhibemus cultu. Nec eſt, cur annum hunc vel magnitudine editorum operum, vel ſcriptorum inventorumq; ubertate atque copia, cedere præſumamus prioribus. Sane animo ſi recolimus, quæ per Europam publice hoc anno a Principibus aut inter Principes geſta ſunt, Bone Deus! quam ampla ſcribendi materia naſcetur iis, qui ſeu ſacram ſeu civilem Hiſtoriam condere, & eorum, quæ vel uno hoc anno contigere, memoriam ad poſteros propagare inſtituent? Turcarum, truculenti atque ut olim, ſic & nuper Orbi Chriſtiano formidandi hoſtis, vires in Hungaria invictisſimi Cæſaris, in Græcia Sereniſſimæ Venetorum Reipublicæ auſpiciis; adeo fractas eſſe proſtratasque, imo eas in anguſtias redactam eſſe gentem mortalium facile ſuperbisſimam, ut licet alias dare leges victis, non accipere a victoribus ſolita ſit, hiſce tamen temporibus pacem deprecari ſupplex nulla dubitet: ELECTORIS SAXONIÆ, Potentiſſimi Parentis Veſtri, Domini noſtri clementisſimi arma, Venetæ Reipublicæ latura adverſus barbaros auxilium, in Peloponneſum penetraſſe, & in regionibus a Germanorum oculis & commerciis longiſſime remotis, ære perenniora Saxonicæ virtutis monumenta poſuisſe: Alibi in Regem, qui defuncto Fratri, jure ſummo, maximoque

populi

Digitized by Google

populi cum applauſu ſucceſſerat, ſpecioſo religionis obtentu, ſed in quam vis nulla parabatur (Rege ad Sacra Romana dudum quidem transgreſſo, ſed uno conſcientiæ impulſu, non ut aliorum conſcientiis ad Regnum aliquando evectus, laqueos aut nervos & vincula injiceret) arma nefario prorſus auſu, & felicibus quidem initiis, ſed exitu admodum funeſto ſumpta: Chriſtianiſſimum Regem, qui clementiæ atque juſticiæ non minus, quam fortitudinis prolatorumq; Regni finium laudem ſummo decori gloriæq; ſibi ducit, moveri eo potuiſſe, ut ſubditos a religione quidem, quam profitetur ipſe, alienos, ſed fide in Regem illibata meritorumq; in Regiam Domum magnitudine adverſariis minime concedentes, ſanctiſſimisque prædeceſſorum Regum Edictis conſcientiæ tuentes libertatem, eorum violentiæ permitteret, qui præpoſtero religionis zelo ducti non niſi unam Numinis colendi rationem in Regno tolerandam perſuaſerant: Hæc & alia, quæ memorare nec hujus loci nec noſtri eſt inſtituti, ut in ſtuporem & admirationem dubio procul omnem rapient poſteritatem, ita induſtriam exercebunt & fidem eorum maxime, qui componendæ juſto ſtudio civili atque ſacræ Hiſtoriæ applicuerunt animum. Noſtris vero Muſis, quæ Rei ſolum Litterariæ Hiſtoriam texere laborant, non minorem dicendorum copiam hoc oblatam anno fuiſſe, res ipſa, & vel hoc, quod Celſisſimis Veſtris manibus obſequentisſimo animo nunc offerunt, Volumen loquitur. Adeo enim ornandis litteris expoliendisque ſcientiis incubuere, & certatim

tatim

Digitized by Google

tatim quidem, Viri docti, ut libri non pauci, ac inter eos primæ notæ, qui cum hoc tum ſuperiori anno aſpexerunt lucem, in ſecutura Divino munere tempora rejiciendi fuerint, nec materia facile nobis defutura videatur, ſi vel maxime ferias ad tempus in divulgandis ingeniorum monumentis indicere, & typis ubiq; ſudantibus otii nonnihil indulgere Orbis Eruditus decerneret. Ut vero quartum hunc Actorum annum non alia, quam qua primum triennium dignati eſtis fronte, i. e. ſereniſſima ac gratioſiſſima excipiatis, CELSISSIMI PRINCIPES, ſumma devotione animi & obſequio contendimus; Deum immortalem venerati, ut Veſtra ſummorum Principum vota porro expleat, nec quicquam deeſſe Vobis eorum patiatur, quæ ad felicitatis abſolutæ poſſeſſionem ullo modo facere poſſe videbuntur; ac Te cumprimis, Sereniſſime Princeps, JOHANNES GEORGI, ELECTORATUS HÆRES, ex peregrinatione, quam ad exteras nuper provincias ſuſcepiſti, non modo incolumem, ſed magna etiam prudentia omnique virtutum genere excultum Patriæ reddat. Dab. Lipſiæ Kalendis Dec. A. MDCLXXXV.

SERENISSIMARUM CELSITUDINUM
VESTRARUM

Subjectiſſimi

Actorum Collectores.

Digitized by Google

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 298. lin. 8. poſt verba: *Clariſſimus Saggiatus* lege: (*id enim nominis ex more Academiis Italicis ſolenni ſibi ſumſit Societatis ampliſſimæ iſto tempore Secretarius.*) Pag. 580. lin. penult. poſt verba: *hactenus cogimur*; lege: *Cæterum quomodo intervalla itidem Planetarum, e. g. Martis Acronychi, per diſtantias a fixa quadam commode ſita, cujus & Aſc. R. datur, continuis aliquot diebus veſperi & interim ſemel mane, 'ope micrometri curioſius obſervatas, non abſimili calculo venari liceat', intelligentium indagini non latebit.* Pag. 28. l. 21. lege: *diſceſſum.* Pag. 46. l. 23. lege *potulentis.* Pag. 123. l. 24. lege *traumaticis.* Pag. 77. l. 25. lege, *maculoſus.* Pag. 192. l. 12. lege, *Ludovici XI.* Pag. 199. l. 9. pro *Eſaia,* lege *Esdra.* Pag. 243. l. 24. pro *ex*, lege *ea.* Pag. 270. l. 26. pro *conveidem*, lege *conoeidem.* Pag. 278. l. 7. lege, *frivole.* Pag. 290. l. 2. pro *fore*, lege, *futurum fuiſſe.* Pag. 336. l. 30. lege *ſinuum.* Pag. 373. l. 23. lege *irrigata.* Pag. 443. l. 34. lege *Lucinas.* Pag. 483. l. 22. lege *Gallam.* Pag. 521. lin. 31, pro *ab omnibus*, lege, *ac omnibus.* Pag. 522. l. 27. pro *530*, lege *520.* Pag. 570. lin. 24. lege *Turnebum.* Pag. 584. l. 75. lege *Cacodocia.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google